Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PHILOSOPHIA MORALIS SIVE ETHICA,

METHODO SCIENTIFICA PERTRACTATA.

PARS SECUNDA,

IN QUA AGITUR

DE

VOLUNTATE ET NOLUNTATE,

UNA CUM

APPETITU SENSITIVO

ET

AVERSATIONE

SENSITIVA

PERFICIENDA ET EMENDANDA.

AUTORE

CHRISTIANO L. B. DE WOLFF,

POTENTISSIMI BORRUSSORUM REGIS CONSILIARIO INTIMO, *FRIDERICIANÆ* CANCELLARIO ET SENIORE, JURIS NATURÆ ET GENTIUM ATQUE *MATHESEOS* PROFESSORE ORDINARIO, PROFESSORE PETROPOLITANO HONORARIO, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ, LONDINENSIS AC BORUSSICÆ MEMBRO.

CVM PRIVILEGIIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA

MDCCLI.

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE CANTONALE
LAUSANNE

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO,

DOMINO
ANDREÆ
ZALUSKI,

EPISCOPO CRACOVIENSI,

DUCI SEVERIÆ,

&c. &c. &c.

MECÆNATI ET SCIENTIARUM OMNIUMQUE LITERARUM PROTECTORI SUMMO.

Digitized by Google

REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS EPISCOPE.

Homini natura inſitus eſt appetitus felicitatis: pauci tamen admodum ſunt, qui eam conſequuntur. Non alia de cauſa miſeria humana tot ac tantas ubivis ſine fine habet querelas, ac nonnulli hominem omnium animalium miſerrimum pronuntiare non dubitant. Comparata ita eſt hominum natura, ut, ſi facultatibus a Numine beni-

Digitized by Google

benigniſſimo ſibi conceſſis homo recte utatur, non inexplicabilis ſit via felicitatis. Quemadmodum vulgo dicitur, quemlibet eſſe fortunæ ſuæ fabrum; ita mihi non a vero aberrare videtur, qui omni aſſeveratione affirmat, quemlibet eſſe infelicitatis ſuæ fabrum. Natura voluptatem fecit ſtimulum appetitus, ſicuti moleſtiam averſationis: dedit vero etiam homini intellectum, ut voluptatem veram ab apparente, innocuam a nocua diſcernere poſſit, ne illecebris corruptelarum irretitus, felicitate cadat, dum eam inhiat. Enimvero non tam facilis eſt rectus intellectus uſus, quo negotium adeo arduum perficitur. Quamobrem non eſt quod miremur, homines in tam diverſas abire ſententias, quando de felicitate pronuntiandum. Trahit unumquemque ſua voluptas, prout vel naturalis quædam animorum inclinatio, vel diuturna, ab incunabilis præſertim contracta, conſuetudo hanc, vel iſtam ipſi perſuaſit. Videas inprimis alios ea, quæ ſenſum hilarant, alios divitias & opes, alios honores & famam appetere, quamvis etiam in

hiſce plurimum variant hominum judicia. In hos facile conſentiunt omnes, eum dicendum eſſe felicem, qui vacuus eſt ab omni moleſtia & animi ægritudine, ſemperque in voluptate eſt: aſt quam primum quæritur, quomodo ad hunc ſtatum perveniatur, & num fieri poſſit, ut ad eum perveniamus, qui modo placide conſentiebant, nunc vehementiſſime diſſentiunt. ALFONSUS ANTONIUS DE SARASA, Societatis Jeſu, ſeculo ſuperiori Artem ſemper gaudendi ex principiis divinæ providentiæ & rectæ conſcientiæ deduxit, nec a veri tramite aberravit. Studendum nimirum eſt, ut Deus nobis placeat in ſua gubernatione & nos placeamus Deo in adminiſtratione ac directione actionum noſtrarum. Sola igitur virtus eſt, pietate erga Deum ad ſublimiorem gradum evecta, quæ hominem in his terris felicem reddere poſſit. Cum ego genus humanum amem, ad felicitatem ejus promovendam pronus, poſtquam mihi ſumſi, ut Philoſophiam certam ac utilem efficerem, id mihi potiſſimum datum eſſe exiſtimavi, ut demonſtrarem, quinam faci-

faciendus ſit facultatum noſtrarum uſus, ſi quidem virtutis infucatæ compotes fieri velimus. Oſtendendum igitur erat, quomodo eædem ſint perficiendæ, ut earum uſu virtutem acquiramus. Poſtquam igitur in parte Ethicæ prima demonſtravi modum perficiendi facultates cognoſcendi, in ſecunda jam porro oſtendendum erat, quomodo facultates appetendi & averſandi ſint perficiendæ, ut ſic pateat rectus facultatum animæ uſus, ſine quo virtus non concipitur. Mea philoſophandi ratio dudum placuit REVERENDISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ: id quod mihi animum addit, ut Celſiſſimo Nomine Tuo præſenti volumini decus & autoritatem conciliarem. Agnoſcit orbis Eruditus, REVERENDISSIME & *CELSIS*SIME PRINCEPS EPISCOPE, Te judicem competentem eorum, quæ ad ſcientiam & eruditionem pertinent. Neque enim ſolum Te Mecænatem & ſcientiarum omniumque literarum *Protectorem* Summum venerantur, qui eas colunt, verum etiam Te ſcientia omnique eruditionis genere non minus excellere norunt, quam quantum

tum in administrandis Regni negotiis prudentiam Tuam admirati sunt tam cives, quam exteri, cum Magni Cancellarii munus Tibi esset demandatum. Nullus itaque dubito fore, ut REVERENDISSIMA CELSITUDO TVA gratioso vultu excipiat opus, quod devotissima mente offero. Servet Te Deus omnium rerum moderator, REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS EPISCOPE, ut Te Mecænate ac Protectore in augustissima præsertim Rep. Poloniæ scientiæ atque litteræ omnes majora indies capiant incrementa. Ita vovet

REVERENDISSIMÆ CELSITUDINIS TUÆ

humillimus cultor

CHRISTIANUS L. B. DE WOLFF.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Quoniam nobis propoſitum eſt **nova prorſus ratione** Philoſophiam moralem, ſive Ethicam pertractare, ita ut a priori demonſtretur, quomodo recto facultatum animæ uſu virtus omnis acquiratur, earundem vero non uſu, vel abuſu in vitia incidamus, recto illarum uſu vitanda & emendanda; ideo ante oſtendendum erat, quomodo facultates animæ ſint perficiendæ, ut iisdem recte uti, non uſum vero & abuſum vitare valeamus. Ea igitur fini in parte prima Ethicæ egimus de intellectu & facultatibus ceteris cognoſcendi in miniſterium ejus perficiendis, atque de virtutibus intellectualibus, qui ſunt habitus intellectu recte utendi in rerum quarumcunque cognitione: nunc vero in parte altera docemus, quomodo perficienda &

emendanda ſit voluntas una cum appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva. Eandem hic calcamus viam, quam in parte prima ingreſſi ſumus, cum de facultatibus cognoſcendi ageremus. Nimirum primum facultates appetendi & averſandi conſideramus, quales nobis natura ſunt, quando naſcimur; deinde vero oſtendimus, quasnam a prima infantia & in ætate adultiori ſubeant mutationes. Hoc modo patet, quomodo appetitus ſenſitivus in infantia & pueritia corrumpatur, ac deinceps intellectus uſu ſe exerente in voluntatem diffundatur corruptio & cum eodem creſcat atque latius extendatur. Probe vero notandum eſt, cum nos non ultra procedamus, quam limites Philoſophiæ permittunt, nos nonniſi ea tradere, quæ ex principiis rationis demonſtrari & experientia confirmari poſſunt; cetera vero, quæ non ex lumine revelationis nobis innoteſcunt, Theologis addenda & ſupplenda relinquere, ne perverſa interpretatione detorqueantur in ſenſum a mente noſtra alienum, nec negare videamur, quæ ſilentio præterimus ac præterire debuimus, niſi falcem in alienam meſſem immittere velimus. Nos agimus, quod Philoſophi eſt; agat Theologus, quod ſuum eſt. Si penes utrumque ſtet veritas, non metuenda eſt ulla contradictio: de conformitate enim rationis ac fidei nulla ſupereſt dubitatio, modo rationis decempeda metiri non audeamus, quæ captum rationis tranſcendunt. In Ethica demonſtramus, qualis eſſe debeat facultatum uſus, ut

vir-

virtutem colamus, vitia fugiamus: quantum valeat natura in faciendo iſto uſu, experientia docet, & quomodo eum promoveat gratia, Theologus oſtendere debet. Hic vero apparet Philoſophum non inanem operam ſumere: cum enim gratia naturam non tollat, ſed perficiat, in illam inquirere Philoſophi eſt, & ſic ſcientia Philoſophi non uno modo prodeſt Theologo. Appetitus hominis naturaliter determinabilis eſt per bonum, quod eundem movet, quatenus voluptatem nobis creat. Intellectus autem eundem regere debet, diſcernendo bonum verum ab apparente, ne fallax boni opinio nobis imponat, nec nocua voluptas illudat. Oſtendimus itaque quomodo voluptas innocua a nocua ſit diſcernenda, ante intellectus uſum autem præcavendum, ne voluptatem nocuam inhiare adſueſcant infantes atque pueri. Appetitus hominis naturaliter determinatus eſt ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem, & determinationi huic ineſt ejusdem determinatio ad appetendum ſocietatem & inſerviendum aliis. Inclinationes hæ naturales in ſe bonæ ſunt, & ad fines bonos conſequendum tendunt. Quamobrem hinc deduximus diverſa bonorum genera, quibus cognitis intellectus intra limites juſtos illas continere poteſt. Naturaliter facultas averſandi ad averſionem determinabilis eſt per malum, quod eandem impellit, quatenus moleſtiam nobis creat. Intellectus autem etiam hanc rege-

re debet, diſcernendo malum verum ab apparente, ne fallax mali opinio nos decipiat, ut ſub ratione mali bonum, quod moleſtum nobis accidere videtur, averſemur. Reclinationes hæ naturales inclinationibus oppoſitæ in ſe quoque bonæ ſunt & ad fines bonos conſequendum tendunt. Et ideo hinc deduximus diverſa malorum genera bonis oppoſita, quibus cognitis facultas averſandi ab intellectu intra limites ſuos coërcetur. Hinc vero jam ulterius deducuntur genera actionum bonarum & malarum, quarum illæ ſunt objectum voluntatis, hæ objectum noluntatis. Voluntas autem primo generaliter determinari poteſt ad actiones bonas committendas & noluntas ad actiones malas non committendas, vel in particulari illa ad haſce actiones committendas, hæc ad haſce non committendas. Voluntas & noluntas generaliter determinata bona eſt; aſt in ſpecie determinata perfecta. Quoniam itaque plurimum differt voluntas & noluntas bona a perfecta; tum quomodo bona efficiatur, tum quomodo perficiatur oſtendimus, mediis ſpuriis a genuinis diſcretis. Enimvero miſera hæc eſt hominum conditio, ut tam voluntas, quam noluntas corrumpatur, & rectus intellectus uſus, quo utraque regi debet, vertatur in abuſum. Ac propterea peculiare ſtudium exigit voluntatis & noluntatis emendatio, cum quæ ad voluntatem bonam efficiendam & perficiendam ſufficiunt, antequam corrumpatur, non amplius ſufficiant, poſtquam

cor-

corruptæ fuerunt hæ facultates. Antequam enim id fieri poſſit, corruptioni medela afferenda. Cujus voluntas emendanda, is vitia dediſcere, virtutem addiſcere debet. Inclinationes igitur & reclinatione pravæ in partem contrariam flectendæ, habitus perverſi amittendi & boni acquirendi. Cautione vero non proletaria opus eſt, ut in emendanda voluntate recta via incedas, a qua facile aberratur. Actionum equidem commiſſio & omiſſio a voluntate dependet: aſt quamvis effeceris, ut quis actionem quandam comittat, aliam omittat, nondum tamen emendata eſt voluntas, ſed tam voluntas, quam noluntas corrupta adhuc manet. Ita voluntas & noluntas nondum emendata eſt, ſi quis metu pœnæ actionem bonam committit, malam omittit: mallet enim adhuc actionem, quam omittit, committere & quam committit omittere, modo pœnam evitare poſſet. Corruptio igitur voluntatis & noluntatis integra adhuc ſubſiſtit, nec ulla ex parte deminuta, nedum ſublata eſt. Quamobrem ubi quis exiſtimat ſe pœnam evitare poſſe, ab actione mala non abſtinet, nec bonum patrat. Si emendata fuerit voluntas, inanem operam ſumis, ubi virtutem amanti perſuadere volueris, ne agat quod bonum & rectum eſt: &, ſi emendata fuerit noluntas, omni conatu nihil agitur, quando vitii oſorem ad patrandum actionem turpem adducere volueris. Malus adhuc eſt, qui peccare non vult metu pœnæ: is demum bonus eſt, qui

peccare odit virtutis amore. Oſtendimus itaque, quænam ſint vera media emendandi voluntatem, quænam vero perperam pro talibus habentur. Enimvero quoniam etiam horum aliquis eſſe poteſt uſus in voluntate ac noluntate emendanda, quamvis eodem negotium tam arduum minime perficiatur; nec hic a nobis ſilentio prætereundus erat. Nobis in more poſitum eſt ſingula ſuo pretio æſtimare, ideoque improbantes pretium, quod minus recte iisdem ſtatuitur, non tamen æquum, quod merentur, denegamus. Voluntas corrupta refrenanda eſt, quando emendanda, antequam emendatio fuerit abſoluta. Quæ igitur ad eam refrenandam requiruntur, non minus obſervanda, quam quæ emendationi inſerviunt, niſi ſtudium facultates iſtas emendandi irritum eſſe debeat. In appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva ſedem ſuam habent affectus, quos eradicari non poſſe conſtat. Quemadmodum omnes animæ facultates & iisdem inhærentes diſpoſitiones atque inclinationes in ſe ſpectatæ bonæ ſunt & nonniſi non uſu & abuſu vitium contrahunt; ita etjam affectus in ſe ſpectati boni ſunt, ac voluntati & noluntati perfectæ ſuppetias ferunt, modo regimini intellectus non ſubtrahantur. Noſtrum igitur inprimis fuit docere, in quonam uſus affectuum conſiſtat, ut ſint præſidium ſalutare virtutis & propugnaculum firmiſſimum contra vitiorum impetus. Demonſtrandum ita-

itaque fuit, quomodo affectus concitentur, quomodo ſedentur, quomodo regantur, & ut regi poſſint, ad quod natura ſua tendant. Quoniam vero non ſufficit, ut de hiſce in genere conſtet, ſed de ſingulis affectibus hoc fuit oſtendendum; prolixa enata eſt de affectibus tractatio & quot affectus dentur a priori erat demonſtrandum, ut certi ſimus, eos omnes ſufficienter a nobis fuiſſe enumeratos. Ampliſſima vero hæc doctrina non ſolum nobis uſui erit in ſpeciali Ethicæ tractatione, quando de ſingulis virtutibus atque vitiis acturi ſumus; ſed & oratoribus utilis eſſe poteſt, quibus in affectibus præſidium eſt ad perſuadendum, immo etiam non infrequentes ſunt caſus in vita communi, in quibus tam concitandi, quam ſedandi ſunt affectus. Denique ne quid deſideretur, quod ad voluntatem perficiendam requiritur, de puritate quoque animi agendum erat. Voluntas enim & noluntas perfecta dici nequit, ſi ulla adhuc labe infecta eſt, nec ſine puritate animi vera datur virtus. Niſi ab omni labe purgetur animus, ut nullus deprehendatur in appetitione vel averſione rectitudinis defectus a non uſu, vel abuſu facultatis cujuscunque pendens, ad virtutem ſe jam perveniſſe nemo putare poteſt. Atque hinc naſcitur novum argumentum, quod magnum momentum habet in omni Ethica, quomodo ſcilicet labe quadam inficiatur virtus unaquæque, a qua purgandus animus, ne tibi vide-

videaris, qui nondum es. Hactenus dicta qui perpendit, haud obſcure intelliget, quænam ſperanda ſint in ſpeciali Ethicæ pertractatione. Diſcet vero etiam, quam ardua ſit ad virtutem via, & quantum fallantur, qui ſibi aliisque perſuadent, nullo fere ſtudio ac labore eandem acquiri. Faxit Numen benigniſſimum, ut in incepto pergere valeamus & quod jam dudum intendimus, nunc vero alacriter aggreſſi ſumus, opus feliciter ad umbilicum perducamus Halæ,

d. 20. Februarii A. 1751.

PHILO-



PHILOSOPHIÆ MORALIS
SIVE
ETHICÆ
Pars Secunda.
DE
VOLVNTATE PERFICIENDA ET DIRECTIONE APPETITVS SENSITIVI ATQVE AFFECTVVM VIRTVTVM MORALIVM CAVSA.

CAPVT I.
De modo voluntatem perficiendi.

§. 1.

De ſcientia boni & mali ad voluntatis perfectionem requiſita.

Qui *voluntatem & noluntatem perficere vult, boni atque mali ſcientiam ſibi comparare tenetur.* Voluntatis enim perfectio in determinabilitate ejusdem per bonum nonniſi verum; noluntatis autem perfectio in determinabilitate per malum nonniſi verum conſiſtit (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*).

Enimvero cum fieri non poſſit, ut voluntatem per bonum nonniſi verum, & noluntatem per malum nonniſi verum determines, niſi certo conſtet, hoc revera eſſe bonum, iſtud revera eſſe malum, conſequenter quid vere bonum ſit, quid malum ſcias (§. 595. *Log.*); ſi voluntatem & noluntatem perficere velis, boni atque mali ſcientiam tibi comparare teneris.

Naturalis appetitus perfectio conſiſtit in determinabilitate per bonum, & perfectio averſationis in determinabilitate per malum: id quod ex lege appetitus & averſationis manifeſtum eſt (§. 904. 907. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum actus appetitus elici non poſſit niſi repræſentatione boni, nec actus averſationis niſi repræſentatione mali (§. 892. 893. *Pſych. empir.*); facultas appetendi & averſandi efficitur dependens a facultate cognoſcendi (§. 53. *Pſych. empir.* & §. 851. *Ontol.*), quatenus nimirum ratio, cur actus illius eliciatur, in hac quærenda (§. 56. *Ontol.*). Quodſi boni & mali ſcientia homini eſſet naturalis, ut nunquam bonum vel malum videretur, niſi quod eſt, naturalis facultatis appetendi & averſandi perfectio ſufficeret, nec unquam actus ejus a rectitudine deficerent (§. 64. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Enimvero quoniam non una de cauſa contingit, quod a poſteriori nunc ſumere licet, ut bonum vel malum videatur, quod non eſt; ideo neceſſe eſt, ut nullum hæreat vitium in facultate cognoſcendi, ſi actus facultatis appetendi & averſandi recte ſeſe habere debet. Et propterea actus facultatis appetendi & averſandi rationalis, hoc eſt, voluntas atque noluntas (§. 880. 881. *Pſych. empir.*), ſupponit rectitudinem actus intellectus, hoc eſt judicium verum de eo, quod bonum vel malum eſt. Nititur nimirum hoc ſyllogiſmo: Quod tale eſt, id bonum, vel malum eſt. Atqui hoc tale eſt. Ergo bonum, vel malum eſt. Propoſitio major, cum non modo vera eſſe debeat, ſed ab agente quoque tanquam vera certo cognoſci, pertinet utique ad ſcientiam boni & mali (§. 595. *Log.*). Quamobrem

obrem qui voluntatem perficere vult, boni atque mali ſcientiam ſibi comparare tenetur.

§. 2.

Ante uſum intellectus voluntas & noluntas perfici nequit.

Quoniam voluntatem perfecturus boni atque mali ſcientiam ſibi comparare debet (§. 1.), ſcientia autem ſupponit rectum intellectus uſum (§. 402. 142. *part. 1. Eth.*), homini non naturalem, ſed exercitio demum acquirendum (§. 199. *part. 1. Jur. nat.*); *quamdiu quis intellectus uſu minime pollet, voluntatem & noluntatem ejus ut perficias fieri non poteſt.*

Oſtendimus jam (§. 13. *part. 1. Eth.*), qui voluntatem & noluntatem perficere velit, eum primum operam dare debere, ut intellectum perficiat. Unde infantis & pueri infantiæ proximi, in quo ne quidem verus voluntatis ac noluntatis actus elici poteſt, voluntas perfici nondum poteſt: id enim tum demum fieri poteſt, quando uſus rationis ſeſe exerit. Pertinet huc, quod alias dudum demonſtravimus, determinationem voluntatis & noluntatis ab intellectu dependere (§. 88. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 3.

De potentia diſcernendi bona et mala vera ab apparentibus ad perfectionem voluntatis neceſſaria.

Similiter quia voluntatem perfecturus boni atque mali ſcientiam ſibi comparare debet (§. 1.), bonum vero eſt, quicquid hominem ſtatumque ejus perficit (§. 554. *Pſych. empir.*), & ex adverſo malum, quod imperfectiorem reddit (§. 565. *Pſych. empir.*); *qui voluntatem perficere vult, cognoſcere tenetur, parentibus quænam hominem & ſtatum ejus perfectiorem, quænam imperfectiorem reddant*, conſequenter cum alia revera eundem perfectiorem, aut imperfectiorem reddant, alia vero tantummodo reddere videantur, illa autem vera bona veraque mala ſint, hæc ſaltem apparentia (§. 557. 568. *Pſych. empir.*), *qui voluntatem perficere vult, operam dare debet, ut bona & mala vera ab apparentibus accurate diſcernere diſcat.*

Alibi jam demonſtravimus obligationem naturalem ad hanc cognitionem (§. 266. *part. 1. Jur. nat.*): aſt hic evincitur indiſpenſabilis ejus neceſſitas ad perfectionem voluntatis, & ſpectatur tanquam medium, ſine quo ea obtineri nequit. Illa conſideratio juris naturæ eſt, hæc autem ad philoſophiam moralem, ſeu Ethicam pertinet. Cum voluntas tota pendeat ab intellectu (§. 880. 275. *Pſych. empir.*); in Ethica quoque demonſtrandum eſt, quid ex parte intellectus requiratur, ne labe quadam inficiatur voluntas, nec actus ejus a rectitudine deficiat. Perfectio hominis & ſtatus ejusdem in quo conſiſtat, in parte inprimis prima Juris naturæ dudum docuimus, atque inde haud difficulter diſcernuntur bona atque mala vera ab apparentibus.

§. 4.

De modo diſcernendi bonum a malo naturali.

Ab initio homo bonum a malo diſcernere nequit, niſi ex eo, quod voluptatem, vel moleſtiam parit; aut a moleſtia liberat, vel voluptatem impedit. Etenim uſus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ homini natura ineſt (§. 200. *part. 1. Jur. nat.*), cum ex adverſo uſus voluntatis liberæ natura non inſit, ſed exercitio demum acquirendus (§. 199. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero appetitus ſenſitivus generaliter determinatus eſt ad appetenda ea, ex quibus voluptas percipitur, & averſatio ſenſitiva ad averſanda ea, quæ tædium ſive moleſtiam creant (§. 890. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum id, quod appetimus, nobis repræſentemus tanquam bonum, quod averſamur tanquam malum, ſeu objectum appetitus ſenſitivi, in quod is fertur, bonum ſit judicio ſenſuum, a quo autem abhorret facultas averſandi ſenſitiva, malum (§. 893. 580. 582. *Pſych. empir.*); ab initio homo bonum a malo diſcernere nequit niſi ex eo, quod voluptatem parit, aut moleſtiam creat. *Quod erat unum.*

Enim-

Enimvero conſtat nos voluptatem quoque ex eo percipere, quod a tædio ſive moleſtia liberemur, & ex adverſo moleſtum nobis accidere, quod voluptatem, qua frui poteramus, quomodocunque impedit. Quamobrem cum bonum a malo ab initio diſcernamus ex eo, quod voluptatem, vel moleſtiam parit, *per demonſtrata n. 1.* bonum quoque a malo ab initio diſcernimus ex eo, quod a moleſtia liberet, vel voluptatem impediat. *Quod erat alterum.*

Initio homo, quando infans in lucem editur, nonnifi uſum ſenſuum habet, quo continuato exerere ſeſe incipit imaginatio & tandem memoria pro conditione eorum, quæ ſenſu percipiuntur. Quamobrem fieri non poteſt, ut bonum & malum aliter repræſententur, quam per id, quod ſenſum hilarat, vel moleſtum accidit. Ac ideo in diſcernendo bono & malo ſtandum eſt judicio ſenſuum. Quando infans primum in lucem editur, dum lux viſui officiens moleſta accidit, flebilem vocem edit, averſionis ſignum. Atque hinc patet, averſationem ſenſitivam naturaliter determinatam eſſe ad averſandum ea, quæ moleſtiam creant, cum infans abhorreat a *moleſto* lucis ſenſu. Similiter dum fames ac ſitis moleſta accidit infanti, ejulatum edit, denuo certum ſignum determinationis averſationis ſenſitivæ ad averſandum ea, quæ moleſtiam creant, ſeu quorum ſenſus moleſtus accidit. Enimvero quando nutrix ubera eidem admovet, eadem ſugens dulcedine lactis allicitur, ut ſugat, donec fames ac ſitis fuerit ſedata, & non modo in ſugendo appetitionis indicia præbet, verum etiam poſthac avide ubera nutricis arripit &, ſi auferuntur, antequam appetitus fuerit exſatiatus, plorat. Quatenus dulcedine ſua lac ſeſe infanti commendat, & appetitum fovet; inde colligitur, appetitum determinatum eſſe generaliter ad appetendum ea, quæ ſenſum hilarant, ſeu voluptatem pariunt: quod idem confirmatur poſthac ex aviditate arripiendi ubera nutricis. Quatenus vero plorat, ſi ubera auferuntur,

antequam appetitus fuerit exſatiatus, inde patet, voluptatis fruitionem quod impedit moleſtum accidere. Denique quatenus fames atque ſitis ſtimulus eſt ad appetendum ea, quæ eandem ſedant; hinc porro manifeſtum eſt, volupe eſſe, quod a ſenſu moleſto liberat. Ab initio itaque non aliter bonum a malo diſcernit homo, quam eo modo, quem inſinuat propoſitio præſens. Cumque ex iis, quæ modo diximus, appareat, appetitionem & averſionem in infante recens nato aliunde quam a ſenſu jucundo & moleſto dependere non poſſe; ab initio quoque aliter bonum a malo diſcerni nequit, quam eo modo, quo id fieri in propoſitione præſente aſſeritur. Habent bruta appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam cum hominibus communem (§. 757. *Pſycb. rat.*), atque obſervant legem appetitus & averſationis (§. 758. *Pſycb. rat.*). Quamobrem quæ de infantibus diximus, eadem quoque conſpicere licet in brutis, in ipſis catulis adhuc cœcis. Et, ſi quis ad alia animantia bruta animum attendere ac ſuper iis, quæ videt, reflectere voluerit; pluribus adhuc modis idem confirmare poterit. Aſt non opus eſt, ut in re ſatis manifeſta ſimus prolixiores.

§. 5.

Quænam notio boni & mali atque actionum bonarum & malarum menti primitus ingignatur.

Quoniam ab initio homo diſcernere nequit bonum a malo niſi ex eo, quod voluptatem vel moleſtiam parit, aut a moleſtia liberat, vel voluptatem impedit (§. 4.); *notio boni & mali ipſi ingignitur, quod bonum ſit, quicquid voluptatem parit, aut a moleſtia liberat, malum vero, quicquid moleſtiam creat, vel voluptatem impedit*, conſequenter *actiones habentur bonæ, quæ ad ea conſequenda tendunt, ex quibus voluptas percipitur, vel quibus moleſtiam a nobis depellimus*, ex adverſo autem *malæ, quæ ad ea tendunt, ex quibus moleſtia percipitur, vel quibus impeditur voluptas percipienda.*

Patet itaque, unde ſit, ut vulgo homines ex voluptate perci-

cipienda æſtiment bonum, ex moleſtia autem, quæ animo affertur, malum, ac ideo illa ſtimulus ſit ad agendum, hæc vero ut ab agendo abſtineant. Cumque a prima infantia notio iſta menti ingignatur, & iſtiusmodi agendi conſuetudo contrahatur; illa quaſi menti innata, hæc autem quaſi connata videtur. Quo minus autem hoc fiat, impediri minime poteſt, propterea quod infans recens natus non regitur niſi ſenſu, nec aliter regi poteſt, antequam uſu facultatum ſuperiorum acquiſito ad uſum rationis pervenerit. Quoniam in philoſophia morali oſtendendum, quomodo præcaveatur, ne præjudicia tacite in intellectum ſerpant, & appetitus atque facultas averſandi depravetur; in naturam humanam penitius inquirendum & a prima origine res deducenda.

§. 6.

Cum non omnis voluptas innocua ſit, ſed dentur etiam voluptates nocuæ, quæ vel moleſtiam pariunt, vel in eam degenerant (§. 383. 384. *part. 1. Phil. pract. univ.*), notio autem boni, quæ a prima infantia nobis ingignitur, idem nobis repræſentet tanquam voluptatis genitorem, aut a moleſtia liberatorem (§. 5.); ideo *accidit, ut, quando voluptas nocua ab innocua non diſcernitur, notio boni evadat ſeductrix, ut appetatur quod malum eſt ſub ratione boni*, conſequenter *neceſſe eſt, ut voluptatem nocuam ab innocua diſcernere diſcamus.* *Quomodo notio boni evadat ſeductrix.*

Quomodo voluptas nocua ab innocua ſit diſtinguenda, alibi dudum docuimus. Nimirum quicquid cognoſcimus, vel a poſteriori cognoſcimus, vel a priori (§. 435. *Pſyeh. empir.*). Quamobrem quoque voluptatem nocuam ab innocua vel a poſteriori, vel a priori diſcernere diſcimus. Quomodo agnoſcamus voluptatem eſſe nocuam a poſteriori, patet per ea, quæ inſinuavimus de modo, quo voluptas præſens in tædium, ſive moleſtiam degenerat, aut tædium, ſive moleſtiam parit (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Aſt quoniam voluptas

vera

vera in ſe innocua eſt (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*); a priori voluptas innocua a nocua diſcernitur vi definitionis voluptatis veræ (§. 514. *Pſycb. empir.*).

§. 7.

Quomodo notio mali evadat ſeductrix.

Similiter cum etiam detur tædium innocuum, ſive moleſtia innocua (§. 386. *part. 1. Phil. pract. univ.*), notio autem mali, quæ a prima infantia ingignitur, idem nobis repræſentet tanquam moleſtiæ cauſam, vel voluptatis percipiendæ impedimentum (§. 5.); ideo *accidit, ut quando moleſtia innocua non agnoſcitur, notio mali evadat ſeductrix, ut averſemur quod bonum eſt ſub ratione mali*, conſequenter *neceſſe eſt, ut moleſtiam innocuam agnoſcere diſcamus.*

Tenendum quoque hic eſt, moleſtiam innocuam agnoſci vel a poſterioti, vel a priori, per ea, quæ alibi dudum inculcavimus. Nimirum a poſteriori agnoſcitur ex eo, quod voluptatem veram parit, vel etiam in eandem degenerat (§. 386. *part. 1. Phil. pract. univ.*); a priori autem inde, quod ex falſa imperfectione ortum trahat (§. 518. *Pſycb. empir.*), vel ſine ea ad fruitionem veræ voluptatis ex acquiſita perfectione oriundæ pervenire non valeamus, quemadmodum ex ſequentibus clarius eluceſcet.

§. 8.

Quamdiu homo ſibi cavere nequeat a notione ſeductrice boni & mali.

Antequam homo ad uſum rationis pervenit, ſibi cavere nequit, quo minus malum appetat ſub ratione boni, aut bonum averſetur ſub ratione mali. Antequam enim homo ad rationis uſum pervenit, ſeu, quod perinde eſt, uſu intellectus pollet, bonum quoque a malo diſcernere nequit niſi ex eo, quod voluptatem vel moleſtiam parit, aut a moleſtia liberat, vel voluptatem impedit (§. 4.); Quamobrem cum notio hæc boni & mali, quæ a prima infantia ipſi ingignitur (§. 5.), ſe-

du-

ductrix evadere poſſit, ut appetatur quod malum eſt ſub ratione boni (§. 6.) & averſemur quod bonum eſt ſub ratione mali (§. 7.); antequam homo ad uſum rationis pervenit, ſibi cavere nequit, quo minus malum appetat ſub ratione boni, aut bonum averſetur ſub ratione mali.

Si lapſus in appetendo, vel averſando evitari debet, neceſſe omnino eſt, ut voluptas nocua ab innocua diſcernatur (§. 6.), & moleſtia innocua agnoſcatur (§. 7.). Utrumque fieri nequit, antequam intellectu uti didiceris & ad rationis uſum perveneris. Non eſt quod excipias, quicquid a poſteriori cognoſcimus, id ſenſu duce cognoſci, quicquid vero in mente cognoſcimus, ope apperceptionis cognoſci (§. 436. *Pſych. empir.*), conſequenter differentiam voluptatis nocuæ & innocuæ cognoſci & moleſtiam innocuam agnoſci poſſe, etiamſi uſu intellectus nondum polleamus (*not.* §. 6. 7.). Quamvis enim negari non poſſit, voluptatem nocuam & moleſtiam innocuam ſubinde cognoſci poſſe ſolo facultatum cognoſcendi inferiorum uſu, & hoc ſufficere, ne quod malum eſt appetamus ſub ratione boni & quod bonum eſt averſemur ſub ratione mali, prouti vel exempla brutorum docent, quatenus inde pendet expectatio caſuum ſimilium, ſeu analogum rationis (§. 506 *Pſych. empir.*) brutis non denegandum (§. 765. *Pſych. rat.*); id tamen in pauciſſimis fieri, ſatis ſuperque conſtat. Nec ratio in obſcuro latet, cum quæ voluptatem creant ſenſus hilarando plerumque nonniſi ex intervallo eoque ſatis longo tædium pariant aut in id degenerent, vel eo, quod moleſtum accidit, tandem obtineatur, quod nobis volupe eſt, ut voluptas nocua & moleſtia innocua non agnoſcatur niſi concurrente intellectu & facultatibus inferioribus ac intermediis in miniſterium ejus perfectis (§. 14. 15. *part. I. Esth.*)

§. 9.

Quoniam homo ſibi cavere nequit, quo minus quod malum eſt appetat ſub ratione boni, aut quod bonum eſt averſetur ſub ratione mali, *De cura admovenda, ne infantes &*

pueri malum appetant ſub ratione boni, bonum averſentur ſub ratione mali.

averſetur ſub ratione mali, antequam ad uſum rationis pervenit (§. 8.); ideo *infantes & pueri ab iis, qui educationem curæ habent, quocunque fieri poteſt modo deterrendi & detinendi, ne quod malum eſt ſub ratione boni appetant, atque impellendi & incitandi, ne quod bonum eſt, ſub ratione mali averſentur.*

Ad educationem pertinet, vt appetitus liberorum dirigatur in bonum verum, nec in iis locum habeat averſio niſi mali veri. Ac ideo actiones eorum ſunt in dominio parentum, quamdiu ipſimet ignorant, quomodo actiones ſuas juxta naturæ legem determinare debeant (§. 675. *part. 7. Jur. nat.*). Noſtrum vero jam non eſt diſtincte docere, quomodo fieri poſſit, ut deterreantur vel detineantur, ne quod malum eſt, appetant ſub ratione boni, & ut impellantur aut incitentur, ne quod bonum eſt ſub ratione mali averſentur, quamdiu ipſimet per ſe ſolo ſenſu reguntur. Patebit hoc per ea, quæ in ſequentibus demonſtrantur. Absque præjudicio itaque veritatis hic ſumitur id fieri poſſe.

§. 10.

De corruptione voluntatis.

Voluntas dicitur corrumpi, ſi efficitur proclivis ad malum, aut ſegnis & iners ad bonum. Corruptio igitur voluntatis alia poſitiva eſt, alia privativa. *Corruptio voluntatis* poſitiva eſt proclivitas ad malum, hoc eſt, ad committendum actiones malas: *privativa* vero ſegnities atque inertia in committendis actionibus malis. Conſiſtit autem *ſegnities* in difficultate ſeſe dererminandi ad committendum actionem bonam; *Inertia* vero in negligentia committendi actiones bonas: ſicuti ex ad verſo *Proclivitas* in facilitate ſe determinandi ad male agendum.

Conuptio voluntatis ſe prodit per actiones liberas, ac ideo ex iisdem æſtimatur. Actiones liberæ vel bonæ ſunt, vel malæ (§. 53. *part. I. phil. pract. univ.*). Quamobrem cum volunta-

luntatis corruptæ actus minus recte ſeſe habeant, defectus rectitudinis vel reſpicit actiones malas, vel bonas. Quodſi voluntas corrupta referatur ad actiones malas, in homine deprehenditur facilitas quædam ſe determinandi ad male agendum; ſi vero illa referatur ad actiones bonas, ex adverſo difficultas obſervatur ſeſe determinandi ad eas committendas, aut homo prorſus ſeſe ad eas committendas determinare nequit. Sunt hæ itaque aberrationes voluntatis a rectitudine ſua, utpote cujus perfectio conſiſtit in determinabilitate nonniſi per bonum verum (§. 271. *part. I. Phil. pract. univ.*), ideoque requirit & conſtantiam, & perpetuitatem ejusdem (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*). Tres igitur mendas in voluntate corrupta notamus, quas ſingulas peculiaribus nominibus diſtingui neceſſe eſt. Facilitatem ideo ſeſe determinandi ad male agendum in oppoſitione ad bene agendum proclivitatem ad malum appellare libuit; ex adverſo autem difficultatem ſeſe determinandi ad committendum actionem bonam ſegnitiem dicere voluimus &, ſi quis nullo modo ſeſe determinare poteſt ad bene agendum inertiam vocamus. Facile autem patet, a proclivitate ad malum dependere actus poſitivos voluntatis, *qui ab eo* proficiſci minime debebant. Objectum nimirum voluntatis eſſe debent actiones bonæ, quia voluntas, ad quam perficiendam obligamur (§. 273. *part. 1. Jur. nat.*), tunc demum recte ſe habet, ſi determinatur per bonum verum (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi ergo determinatur ad male agendum, actus negativus, qui erat voluntatis, vertitur in poſitivum, ut fiat voluntatis, perverſo facultatum uſu. Propterea hanc voluptatis corruptionem poſitivam diximus. Quando homo iners eſt ad bene agendum, deeſt illa determinabilitas, quæ adeſſe debebat (§. §. *cit. part. 1. Jur. nat.*), quando vero ſegnis, deficit facilitas ſeſe determinandi, quæ adeſſe debebat. Et ea de cauſa ſegnitiem atque inertiam corruptionem voluntatis privativam vocavimus.

§. 11.

De corruptione noluntatis.

Ex adverſo *noluntas corrumpi* dicitur, ſi quod bonum eſt faſtidium creat, ut actiones bonas fugiamus. *Corruptio* igitur *noluntatis* eſt repugnantia quædam in determinatione ad bene agendum.

Nimirum quando noluntas corrupta eſt, actionibus bonis affertur faſtidium, ita ut, ſi ad eas committendas homo ſeſe determinare debet, repugnantiam quandam in ſe ſentiat, quæ obſtat, quo minus ſeſe determinare poſſit. Ac ideo ſibi relictus actiones bonas fugit, nec a ſe impetrare poteſt, ut committat. Quemadmodum in Pſychologia appetitum & averſationem in genere atque ideo voluntatem quoque & noluntatem in ſpecie tanquam diverſas facultates animæ a ſe invicem diſtinximus, cum utraque peculiarem habeat rationem, ob quam ineſſe intelligitur (§. 586. *Pſych. empir.*), & perinde ac aliæ facultates denotent diverſas poſſibilitates modificationum animæ (§. 81. *Pſych. rat.*), & utraque peculiarem habeat legem, juxta quam modificationes actu ſequuntur (§. 904. 907. *Pſych. empir.*); ita quoque corruptionem noluntatis a corruptione voluntatis diſtinguere debebamus. Et ſane ita facilius corruptionem voluntatis & noluntatis perſpicere valemus. Sicuti enim voluntas, ſi nihil vitii in actu ejus hæret, conſiſtit in inclinatione ad bonum verum; ita ſi fuerit depravata, inclinata ad malum, atque ideo homo vult, quod nolle debebat. Et ex adverſo quemadmodum noluntas, ſi nihil vitii in actu ejus hæret, conſiſtit in reclinatione a malo; ita ſi fuerit depravata, relinatur a bono, ac ideo homo non vult, quod velle debebat. Objectum itaque noluntatis vertitur in objectum voluntatis & ex adverſo objectum voluntatis in objectum noluntatis, permutato actu utriusque facultatis: quod quomodo fieri poſſit, ex iis, quæ ſequuntur, clarius eluceſcet. Oſtendimus appetitum proprie eſſe directionem percepturitionis, ſeu conatus mutandi perceptionem præſentem in prævi-

ſam

ſam (§. 495. *Pſych. rat.*), & averſationem directionem percepturitionis, ſeu conatus mutandi perceptionem præſentem in partem contrariam prævisæ (§. 496. *Pſych. rat.*). Quodſi igitur corruptionem voluntatis & noluntatis ad notionem magis adæquatam reducere vellemus; ad hæc animum attendere poteramus. Aſt in praxi morali non opus eſt, ut eo usque progrediamur, ſed ſufficiunt ea, quæ diximus. Quamobrem ne præter neceſſitatem difficilia reddamus, quæ ab omnibus cognoſcenda, malumus ab iis abſtinere, quæ ſcientiam philoſophi augent & curioſitati magis ſatisfacere, quam cognitu utilia videntur.

§. 12.

Voluntatem & noluntatem corrumpi poſſe indies experimur. Corruptio voluntatis & noluntatis datur.

Experimur enim quotidie, homines actiones malas committere, bonas fugere ſeu committere nolle. Obſervamus quoque eos ad male agendum eſſe promptos; aſt ubi bene agere debent, eos ad actiones bonas committendum difficulter adduci poſſe, ſibi autem relictos eas negligere. Unde *patet*, eos eſſe ad malum proclives, in actionibus bonis committendis ſegnes atque inertes, conſequenter voluntatem ipſorum eſſe corruptam (§. 10.). Similiter obſervamus, ſi ad bene agendum invitantur, actiones bonas ipſis faſtidium afferre, ut, dum ad eas committendas ſe determinare debent, in ſe quid deprehendant, quod determinationi reſiſtit, ut ideo ſibi relicti actionem bonam fugiant. Unde patet, noluntatem ipſorum eſſe corruptam (§. 11.).

Corruptionem voluntatis & noluntatis, qualem hic ſumimus (§. 10. 11.), in dubium nemo vocare poteſt, niſi qui turpiſſimo errore omnem differentiam inter bonas & malas actiones tollit, & libertatem naturalem in vivendi licentiam vertit, vel omne bonum ex utilitate metitur, ita ut unum

idemque nunc bonum, nunc malum cenſeatur, prouti ſub his, vel aliis circumſtantiis utile, vel utilitati ſuæ adverſum exiſtimatur. Hos autem errores dudum profligavimus in parte inprimis prima Philoſophiæ practicæ univerſalis, ubi omnem actionum humanarum differentiam ſufficienter explicavimus & demonſtravimus, & boni atque mali intrinſecam differentiam in Pſychologia empirica ſatis perſpicue oſtendimus. Quamobrem nec neceſſe videtur, ut ad exempla deſcendamus, quæ quotidie ubivis obvia ſunt, modo quis attentionem ſuam deſiderari minime patiatur: neque enim in eo quid committitur, quod regulis genuinæ methodi ſit adverſum (§. 666. *Log.*). Noſtrum potius erit a priori oſtendere, cur voluntas & noluntas corrumpatur.

§. 13.

Quomodo voluntas & noluntas corrumpatur in infantibus et pueris.

Si in infantibus & pueris non præcavetur, ne appetitus feratur in voluptatem nocuam, aut ne fugiant moleſtiam minus nocuam; voluntas & noluntas eorum corrumpitur. Etenim niſi in infantibus & pueris præcaveatur, ne appetitus feratur in voluptatem nocuam, aut ne fugiant moleſtiam minus nocuam; notio boni & mali ipſis ingignitur, quod bonum ſit, ex quo voluptas percipitur, malum vero, quod moleſtiam creat (§. 5.), ac ideo ſine ulla reſtrictione appetunt, quod voluptatem; averſantur, quod moleſtiam creat (§. 589. 590. *Pſych. empir.*), conſequenter habitum acquirunt ſine ulla reſtrictione committendi actiones, quæ ad ea conſequenda tendunt, ex quibus voluptas percipitur, vel quibus moleſtia depellitur, & omittendi actiones quæ moleſtiam afferunt, vel quibus voluptatis fruitio impeditur (§. 430. *Pſych. empir.* & §. 5. *h.*). Quamobrem cum voluptas nocua ab innocua non diſcernatur, nec moleſtia innocua agnoſcatur; ideo eadem facilitate ſe determinare adſueſcunt ad committendas actio-

actiones malas, quam ad bonas, & faſtidiunt eadem facilitate bonas, quam malas, ita ut ad eas committendas ſua ſponte ſe adduci minime patiantur. Quoniam itaque voluntas proclivis efficitur ad malum, ideoque corrumpitur, ſi facile ſeſe determinat homo ad male agendum (§. 10.), noluntas vero corrumpitur, ſi quod bonum eſt faſtidire adſueſcit, ut actiones bonas fugiat (§. 11.); ſi in infantibus & pueris non præcavetur, ne appetitus feratur in voluptatem nocuam, aut ne fugiat moleſtiam minus nocuam, voluntas & noluntas eorum corrumpitur.

Actiones externæ, quatenus ſpectantur tanquam motus organorum corporis, nec bonæ, nec malæ dici poſſunt, cum demum bonæ, aut malæ fiant per id, quod ex iis quoad nos & ſtatum noſtrum conſequitur (§. 554. 565. *Pſych empir.*). Ac idem quoque patet de internis, quatenus ſpectantur ut modificationes animæ. Quæ de actionibus humanis tam internis, quam externis notanda veniunt, quatenus vel phyſice, vel moraliter ſpectantur, dudum docuimus alias (§. 569. & *ſeqq. part. I. Theol. nat.*). Et ſi omnia accurate expendantur, quemadmodum fieri debet, omne malum in actiones noſtras inde manare intelligimus, quod ea appetamus quæ voluptatem nocuam creant, quia voluptatem afferunt, & averſemur ea, quæ moleſtiam innocuam creant, quia moleſta accidunt. Quodſi ergo minime præcaveatur, ne in prima ætate appetitus ferri adſueſcat in voluptatem nocuam, neque ob moleſtiam innocuam actio bona faſtidium moveat; voluntatem corrumpi utique neceſſe eſt. Quando enim homo ad uſum intellectus pervenit, ut de iis, quæ facienda, vel non facienda, ratiocinetur; non alio modo argumentatur, quam hoc modo: Ex hoc voluptas percipitur. Aſt ex quo voluptas percipitur, id bonum eſt. Ergo hoc bonum eſt. Et ex adverſo: Hoc moleſtum accidit. Sed quicquid moleſtum accidit, id malum eſt. Ergo hoc malum eſt. Quoniam itaque

que a caſu dependet, vt voluptas quæ percipitur ſit nocua, vel innocua, atque idem intelligatur de moleſtia, ideo patet voluntatem ferri in malum ſub ratione boni, & noluntatem faſtidire bonum ſub ratione mali. Habitus vero a prima ætatei acquiſitus, in quo conſiſtit facilitas ſeſe determinandi ad male agendum, & actiones bonas faſtidiendi, naturalis homini videtur quemadmodum viſus, cum ignoret quomodo eum contraxerit. Eſt utique homini naturalis diſpoſitio ad hunc habitum, quatenus ab initio bonum & malum diſcernere non poteſt niſi ex eo, quod voluptatem vel moleſtiam parit, aut a moleſtia liberat, vel voluptatem impedit (§. 4.), nec in eius poteſtate eſt præcavere, ne diſpoſitio iſta in habitum convertatur, cum ſibi cavere nequeat, quo minus malum appetat ſub ratione boni, aut bonum averſetur ſub ratione mali, antequam ad uſum rationis perveniat (§. 8.). Aſt ne hoc fiat, educatorum curæ relictum eſt (§. 9.). Ceterum haud difficulter intelligitur, quod cum non eadem ſint, ex quibus voluptatem percipiunt homines, aut quæ ipſis moleſta accidunt, quando ad uſum intellectus perveniunt, corruptionem hanc latius ſerpere et pro diverſitate opinionum, quibus imbuuntur homines, diverſas induere formas, prouti ex ſpeciali tractatione per univerſam philoſophiam moralem clarius eluceſcet. Hinc ſaltem oſtendendus eſt fons eiusdem, ex quo deinceps cetera derivantur. Quemadmodum enim omnia principia generalia habent, unde continuo nexu deducuntur cetera; ita & principium generale habet corruptio voluntatis atque noluntatis, ex quo prono alveo fluunt cetera, quæ ad eandem pertinent. Et inſtituto noſtro maxime convenit, ut continuo ratiocinationis filo ea inde deducamus.

§. 14.

Quomodo corruptio iſta præcavenda.

Quoniam in infantibus & pueris voluntas & noluntas corrumpitur, niſi præcaveatur, ne appetitus feratur in voluptatem nocuam, et ne fugiant moleſtiam minus nocuam (§. 13.);

(§. 13.); *a primis ſtatim unguiculis adſuefaciendi ſunt liberi non committendis actionibus, quæ voluptatem nocuam afferunt, nec omittendis iis, quæ moleſtiam minus nocuam pariunt.*

Homo ipſe præcavere nequit, ne voluntas atque noluntas in infantia atque pueritia corrumpatur. Neque enim aliter bonum et malum diſcernere poteſt niſi ex eo, quod voluptatem vel moleſtiam parit aut a moleſtia liberat, vel voluptatem impedit (§. 4.). Quamobrem nec fieri poteſt, quo minus appetant quæ voluptatem nocuam afferunt, & averſentur, quæ moleſtiam minime nocuam cauſantur, cum voluptatem nocuam ab innocua diſcernere nequeant, nec moleſtiam minime nocuam agnoſcere valeant. Ne igitur adſueſcant ideo actiones committere, quia voluptatem afferunt, vel moleſtiam depellunt, ac eas omittere, ex quibus moleſtia percipitur, vel quibus voluptatis perceptio impeditur; id educatorum curæ relictum eſt, qui ſi negligentes & minus circumſpectos ea in re ſe præbent, corruptio voluntatis & noluntatis ipſis tribuenda. Naturæ hoc tribui nequit, quia infantes non naſcuntur homines perfecti, ſed per educationem demum fieri debent. Sicuti enim corpus adoleſcat & ætate robur ac vires demum acquirat neceſſe eſt; ita quoque anima ætate demum perficienda, ut diſpoſitiones naturales in habitus convertantur & ſic demum qui potentia erat homo, cum naſceretur, actu homo evadat, quem ratio a brutis animantibus diſcernit. Infantibus non eſt niſi uſus ſenſuum, nec per naturam hominis aliter fieri poteſt, quam ut præter eum ceterarum facultatum uſus ſit naturalis, quemadmodum corpuſculum infantis robur virile habere nequit, nec juſtam magnitudinem organa quævis ipſius habere poſſunt. Sicuti igitur corpus alendum, ut ætate creſcant ſingula ejus organa & totum corpus robur ſuum acquirat; ita quoque curandum, ut facultates animæ perducantur ad eum, quem habere debent, uſum. Inde eſt quod propagatio generis humani & generatione & educa-

tione prolis contineatur atque hi duo actus indivulso nexu cohæreant, ut, qui eos a se invicem separant, quod contra naturam est agant, ac animantibus brutis se probent pejores, quæ speciem suam rectius propagant. Quo minus autem homines in propagando genere humano omnes officii sui partes adimpleant, id corruptæ ipsorum voluntati & noluntati tribuendum. Sed de hisce alibi dicendi locus erit.

§. 15.

De corruptionis voluntatis & noluntatis ab intellectu dependentia.

Voluntatis & noluntatis corruptio dependet a vitio intellectus. Etenim corruptio voluntatis consistit in proclivitate ad malum, seu ad male agendum, & in segnitie atque inertia ad bonum, seu ad bene agendum (§. 10.), noluntatis autem corruptio in fastidio boni atque inde nata repugnantia in determinatione ad bene agendum (§. 11.). Quoniam voluntas determinatur per repræsentationem boni (§. 892. *Psych. empir.*) et noluntas per representationem mali (§. *cit.*). necesse est ut, si velimus quod malum est, id nobis repræsentemus tanquam bonum, & si nolimus quod bonum est, id nobis representemus tanquam malum. Errat autem intellectus, si quod bonum est malum, quod vero malum est bonum judicat (§. 623. *Log.*). Aberratio igitur voluntatis & noluntatis ab intellectu venit, consequenter voluntatis & noluntatis corruptio a vitio intellectus dependet (§ 581. *Ontol.*).

Equidem non desunt, qui contendunt, intellectum corrumpi minime posse: quod tamen affirmant nulla ratione defendere valent. Destituuntur notione distincta intellectus atque voluntatis, nec utriusque ab illo dependentiam agnoscunt. Quodsi homo nasceretur cum recto intellectus, quemadmodum cum sensuum usu, voluntas quoque & noluntas nihil vitii haberet, utpote sequens judicium intellectus, quod recte

recte ſeſe haberet *per hypotheſin*, prouti videmus in Deo, qui intellectu perfectiſſimo gaudet, ſenſu autem ac hinc pendente appetitu ſenſitivo caret. Antequam homo uſum intellectus acquirit, nulla volitio & nolitio in eodem locum habet (§. 880. 882. *Pſych empir.*), ſed ſolo regitur appetitu ſenſitivo et averſatione ſenſitiva (§. 580. 581. *Pſych. empir.*), conſequenter nec voluntas cum noluntate corrumpitur, niſi poſtquam intellectus labe quadam infectus eſt, a quo eadem quoque inficitur voluntas atque noluntas. Ut vero hæc corruptio intimius perſpiciatur, paulo penitius adhuc inquirendum, quomodo, dum vitium hæret in ſenſu & appetitione atque averſatione ſenſitiva, labe inficiatur intellectus & quomodo fieri poſſit, ut inde ſequatur voluntatis corruptio, qualem ante deſcripſimus (§. 10.). Notandum vero nos, qui limites philoſophiæ non egredimur, non alia docere, quam quæ beneficio rationis cognoſcuntur. Abſit itaque, ut quis exiſtimet, nos ea hic explicare velle, quæ Theologi ſunt.

§. 16.

Corruptio facultatis appetendi & averſandi ante intellectus uſum inhæret appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ; exeretne in voluntatem & noluntatem & cum eodem crescit atque latius extenditur. Etenim voluntatis & noluntatis corruptio dependet a vitio intellectus (§. 15.). Quamdiu itaque homo caret intellectus uſu, nec ejus errore induci poteſt ad appetendum, quod averſari, & ex adverſo ad averſandum, quod appetere debebat, notione boni atque mali ſeductrice evadente (§. 6. 7.). Quamobrem ſi ante uſum intellectus adſueſcit appetere malum ſub ratione boni & averſari bonum ſub ratione mali, ut inde contrahatur facilitas ſeſe determinandi ad actiones malas committendum, difficultas vero ad bonas committendum, immo repugnantia quædam in determinatione ad bene agendum (§. 430. *Pſych. empir.*)

Unde corruptio in voluntatem & noluntatem diffunditur & cum eodem crescit atque latius extenditur.

noluntatem derivetur & quando auteſt ad appetendum, quod averſari, & ex adverſo ad averſandum, quod appetere debebat, notione boni atque mali ſeductrice evadente (§. 6. 7.).

empir.), in hiſce vero corruptio facultatis appetendi & averſandi conſiſtat (§. 10. 11.); hæc ipſa corruptio ante uſum intellectus inhærere nequit niſi apperitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ. *Quod erat primum.*

Enimvero quando uſus intellectus ſeſe exerit, notio boni & mali confuſa, quæ ingignitur ante eundem, in diſtinctam abit (§. 275. *Pſych empir.)* & in eo caſu, quo ſeductrix evadit (§. 6. 7.), in errorem incidit intellectus (§. 623. *Log.)*, falſa ratiocinatione (§. 626. *Log.)*. Quamobrem cum voluntatis & noluntatis corruptio ab hoc errore, intellectus vitio, dependeat; corruptio, quæ appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ inhærebat, in voluntatem & noluntatem diffunditur. *Quod erat ſecundum.*

Cum itaque poſthac etiam voluntas feratur in malum ſub ratione boni, & noluntas faſtidiat bonum ſub ratione mali, & habitus continuo uſu conſervetur & perficiatur (§. 431. *Pſych empir.)*; cum uſu intellectus corruptio quoque voluntatis & noluntatis creſcit. *Quod erat tertium.*

Denique quoniam uſu intellectus creſcente multiplicatur rerum cognitio, voluptas quoque & moleſtia percipitur ex rebus, ex quibus antea tanquam homini ignotis voluptas nulla percipi poterat, nec moleſtia ulla, conſequenter ad quæ appetitus & averſatio tam ſenſitiva, quam rationalis, ſeu voluntas & noluntas (§. 880. 881. *Pſych. empir.)*, indifferens erat (§. 587. *Pſych. empir.)*; error de eo, quod bonum vel malum eſt, latius extenditur, & per conſequens corruptio quoque voluntatis & noluntatis, quæ a vitio hoc intellectus dependet (§. 15.), latius extendatur neceſſe eſt. *Quod erat quartum.*

Equi-

Equidem habitus appetendi malum ſub ratione boni & averſandi bonum ſub ratione mali, conſequenter corruptio facultatis appetendi vel averſandi ſicuti habitus omnes ceteri, animæ quædam qualitas eſt, nec in ſe multiplex, cum in anima tanquam ente ſimplici (§. 48. *Pſych. rat.*) multitudo concipi nequeat: non tamen hoc obſtat, quo minus corruptionem facultatis appetendi & averſandi referamus vel ad appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam, vel ad rationalem, ſeu voluntatem & noluntatem, ſicuti appetitum ſenſitivum a rationali ſeu voluntate, & averſationem ſenſitivam a rationali, ſeu noluntate diſtinguimus & facultatem cognoſcitivam a facultate appetendi et averſandi, atque illius ſpecies a ſe invicem, utut non ſint diverſa entia, ex quibus tanquam partibus ſeparatam a ſe invicem exiſtentiam habentibus anima componatur (§. 82. *Pſych. empir.*), ſed tantummodo denotent nudas modificationum animæ poſſibilitates (§. 81. *Pſych. rat.*). Modus noſter cognoſcendi non aliter admittit, quam ut poſſibilitates modificationum tanquam diverſas per motum entium ſubſtantiis inexiſtentium conſideremus & tanquam de ſubſtantiis de iisdem loquamur & ratiocinemur: qua de cauſa quoque in ſermone *communi* nominibus ſubſtantivis, quae ſigna ſubſtantiarum propria ſunt, accidentia appellari ſolent, & idem quoque in denominandis facultatibus animæ & in iis, quæ de iisdem concipiuntur, obſervatur. Fictionibus hisce carere non poſſumus ac ſine præjudicio veritatis, quæ absque iis a nobis cognoſci nequit, admittuntur, modo in Metaphyſicis caveatur, ne talia revera ita eſſe, putemus, qualia utiliter finguntur & in uſum cognitionis noſtræ fingi debent. Hæc ideo diximus, ne qui in Pſychologia rationali verſatus fuerit, difficultates inanes nectat circa demonſtrationes, quas ex natura animæ derivari diximus. Neque enim deſunt ſcioli, qui ut habeant quod reprehendere poſſint, nodum in ſcirpo quærunt. Non autem ſine ratione corruptio appetitus & averſationis, quatenus inhæret voluntati & noluntati, diſtinguitur ab ea,

quatenus inhæret appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ: id enim utiliter fieri, immo fieri debere, ex ſequentibus abunde eluceſcet, cum contingat appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ inhærere corruptionem, quæ voluntatem & noluntatem minime afficit, ut ideo oriatur pugna inter partem ſuperiorem ac inferiorem facultatis appetendi (§. 917. & ſeq. *Pſych. empir.*), & haud parum intereſt diſtincte cognoſci, quomodo corruptio in voluntatem derivetur: morbum enim hunc animi cūrare non valemus, nec quantum curatio in poteſtate ſit demonſtrari poteſt, niſi cauſa illius ſufficienter cognoſcatur. Non dicimus corruptionem ex appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva tranſire in voluntatem & noluntatem, quia dum voluntas & noluntas corrumpitur, appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva a corruptione non liberatur, ſed omnis facultas appetendi & averſandi jam eſt corrupta, & quia in appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva reſidet corruptio, etiamſi voluntas & noluntas ab eadem non inficiatur.

§. 17.

Quomodo impediatur, ne corruptio ex appetitu ſenſitivo & averſatione diffundatur in voluntatem & noluntatem.

Quoniam *corruptio facultatis averſandi & appetendi* ante intellectus uſum inhæret appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ, illo autem ſe exerente in voluntatem & noluntatem diffunditur (§. 16.), voluntatis autem & noluntatis corruptio a vitio intellectus dependet (§. 15.); *ne ea ex appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva in voluntatem & noluntatem diffundatur, aliter præcaveri nequit, quam ne intellectus in diſcernendo bono et malo utatur notione ſeductrice, qua voluptas nocua ab innocua non diſcernitur (§. 6.), nec moleſtia innocua agnoſcitur* (§. 7.).

Cum appetitus naturaliter feratur in id, quod tanquam bonum repræſentatur, & averſatio faſtidiat id, quod repreſentatur tanquam malum (§. 904. 907. *Pſych. empir.*); ſi appetitus rationalis & ſenſitivus in idem ferri, averſatio rationalis & ſenſitiva idem averſari debent, neceſſe eſt ut ſen-

ſenſus, & quæ ab eodem pendet imaginatio (§. 117. *Pſych. empir.*), cum intellectu in repræſentando bono & malo conſentiant (§. 580. *Part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem quod inhæret appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ in rationalem, ſeu voluntatem atque noluntatem diffundi nequit, niſi quatenus intellectus notionem boni & mali conformat ad ideam, qua ſenſus & imaginatio bonum atque malum repræſentant. Quoniam enim tum actus appetitus ſenſitivi & voluntatis atque actus averſationis ſenſitivæ & noluntatis per eandem rationem determinantur; qualis eſt actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, talis erit actus voluntatis & noluntatis (§. 192. *Ontol.*), conſequenter facilitas ſeſe determinandi ad agendum, & negligentia, aut repugnantia, quæ locum habet in determinatione ſui ad agendum, ab appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva cum rationali, ſeu voluntate & noluntate communicatur. Atque ita clariſſime perſpicitur, quomodo corruptio ab appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva propagetur in rationalem, ſeu voluntatem & noluntatem. Quodſi ergo id fieri minime debeat, intellectus recto uſu notio boni & mali, quam non ſatis determinatam offert ſenſus & eidem conformata imaginatio, ad rite determinatam reducenda, diſcernendo nimirum voluptatem nocuam ab innocua & moleſtiæ innocuæ notas indicando, ipſamque voluptatis & moleſtiæ notionem ad diſtinctam eamque ſatis adæquatam reducendo.

§. 18

Voluptas nocua ab innocua diſcernitur ſolo ſenſu, ſi ſtatim in moleſtiam degenerat, vel moleſtiam parit. Etenim ſi voluptas ſtatim in moleſtiam degenerat, ex eodem obiecto, ex quo voluptatem percipimus, & ſi voluptas faſtidium parit, ex eo, unde voluptatem percipimus, ſtatim quid ſequitur; ex quo moleſtiam percipimus. Quamobrem cum nobis ſatis conſcii ſimus, moleſtiam percipi ex eodem objecto, ex quo modo

Quando voluptas nocua ab innocua ſolo ſenſu diſcernatur.

modo voluptas percipiebatur, aut id, ex quo moleſtia percipitur, inde ſecutum, unde voluptas percipiebatur, conſequenter in utroque caſu voluptatem moleſtia eſſe luendam, nocua autem ſit voluptas, quæ in tædium ſive moleſtiam degenerat, aut moleſtiam parit (§. 383. *part. Phil. pract. univ.*), ideoque moleſtia luenda; voluptas nocua ab innocua ſolo ſenſu diſcernitur, ſi ſtatim in moleſtiam degenerat, vel moleſtiam parit

Si nocumentum quod alit voluptas, ſtatim proderetur, nocua voluptas ab innocua absque ulla difficultate & hæſitatione diſcerneretur. Quoniam vero id rariſſime ſit, ſolus ſenſus ad illam agnoſcendam parum ſufficit. Antequam igitur facultates cognoſcendi ceteræ ſatis perfectæ fuerint, inprimis antequam intellectu recte uti didicerimus, voluptas nocua ab innocua ægre diſcernitur. Atque ideo iam ſupra demonſtravimus, quod, qui voluntatem & noluntatem perficere vult, boni atque mali ſcientiam ſibi comparare teneatur (§. 1.), nec voluntatem & noluntatem perfici poſſe, quando quis nondum pollet intellectus uſu recto (§. 2.). Plurimum lucis hiſce affundunt, quæ de reducendo appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva ad conſenſum cum rationali & ceteris huc ſpectantibus prolixe demonſtravimus (§. 575. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamvis vero rariſſime voluptas nocua ab innocua ſolo ſenſu diſcernatur, ſi homo ſibi relinquitur; propoſitio tamen præſens magnum momentum habet in corruptione voluntatis & noluntatis præcavenda, prouti ex ſequentibus pateſcit.

§. 19.

De notione voluptatis nocuæ infan

Quoniam infantes ac pueri intellectus uſu ceterarumque facultatum eidem miniſtrantium (§. 14. *part. 1. Ethic.*) minime pollentes, & experientiæ vacui, quod per ſe patet, volu-

voluptatem nocuam ab innocua diſcernere nequeunt niſi ſolo ſenſu (§. 200. *part. 1. Jur. nat.*), ſolo autem ſenſu voluptas nocua ab innocua diſcerni nequit, niſi ſtatim in moleſtiam degenerat, aut moleſtiam parit (§. 18.); *educatoribus cura eſſe debet, ut infantes ac pueri ex actionibus, quas voluptas nocua commendat, moleſtiam eadem maiorem ſentiant, verberibus primum, & ubi vim eorum experti, minis ab iisdem deterendi.* Atque hoc modo patet, *quomodo infantibus & pueris ante intellectus uſum ſufficientem notio voluptatis nocuæ ingignatur.* *tibus & pueris ingignenda.*

Satis ſuperque notum eſt, non alio medio uti omnes ad deterrendum infantes & pueros ab actionibus, quas committere non debent; a nobis tamen reddenda erat ratio, cur id fieri debeat, nec aliter fieri poſſit, & oſtendendum, quod hoc fieri debeat. Atque hinc ſimul apparet, quinam ſit rectus verberum uſus & qualia conveniant, & quando minæ in eorum locum ſuccedant. Minæ nimirum metum poenæ cauſantur quo deterrentur infantes atque pueri ab agendo, eædem autem metum producere nequeunt, quamdiu appetitus & averſatio a ſolo ſenſu dependet, quam ubi verberum, in quibus poena conſiſtit, vim experti ſunt. Nondum hic agimus de educatione liberorum, conſequenter nec fuſius ea explicamus, quæ de poenis liberorum in infantia & pueritia obſervanda ſunt; ſed ea ſaltem tradimus, quæ ad præcavendam corruptionem voluntatis fieri poſſunt atque debent.

§. 20.

Cum notio voluptatis nocuæ infantibus & pueris ante intellectus uſum ſufficientem ingignatur, quatenus ea, ex quibus voluptatem percipiunt, verbera pariunt, aut, ſi mavis, dolorem ex iis percipiendum (§. 19.), verbera autem poenæ ſint (§. 285. 286. *part. 1. Phil. pract. univ.*), voluntate educatorum cum illis connexæ; *notio voluptatis nocuæ infanti-* *De ejus efficacia.*

bus & pueris ante intellectus uſum ingenita evaneſcit, quamprimum ſub educatorum poteſtate non ſunt, conſequenter *in determinationem appetitus non amplius influit, ne* ſcilicet *quod malum eſt ſub ratione boni appetant.* Quoniam itaque eadem ſaltem præcavetur, ne infantes & pueri male agere adſueſcant & facilitatem ſeſe determinandi ad male agendum contrahant (§. 428. 430 *Pſych. empir.*), *notio iſta tantummodo præcavet voluntatis corruptionem, quamdiu liberi ſub educatorum poteſtate ſunt* (§. 10.), *non vero voluntatis perfectionem promovet* (§. 271. *part.* 1. *Jur. nat.*), *immo poſtquam ſub poteſtate educatorum eſſe deſinunt, nec præcavendæ voluntatis corruptioni amplius inſervit.*

Oſtendimus ſuperius, quamdiu quis intellectus uſu minime pollet, voluntatem perfici minime poſſe (§. 2.). Quamobrem ſufficit, ut, quantum datur, præcaveatur, ne interea corrumpatur, dum perfici adhuc nequit. Falluntur autem, qui voluntatis perfectionem cum corruptionis averſione ad tempus educationis confundunt, vel etiam ſibi perſuadent, medium temporarium præcavendi corruptionem effectum perpetuum habere poſſe, quatenus abſentiam facilitatis ſeſe determinandi ad male agendum a facilitae ſeſe determinandi ad bene agendum minime diſcernunt.

§. 21.

De cura educatorum in genuina voluptatis nocuæ & veri boni notione animis educandorum ingignenda.

Quoniam notio voluptatis nocuæ infantibus & pueris ante intellectus uſum ingenita nonniſi efficaciam quandam habet ad præcavendam voluntatis corruptionem, quamdiu ipſi ſub poteſtate educatorum ſunt (§. 20.); *educatoribus tempeſtive curæ eſſe debet, ut, quando liberi ad uſum intellectus veniunt, voluptatem nocuam ab innocua rectius diſcernere diſcant, & genuina boni atque mali notio animo ipſorum ingignatur.*

Quæ neceſſitas imperat ad præcavendam corruptionem voluntatis tempore educationis, ea non habenda ſunt pro medio perfi-

perficiendi voluntatem, quæ potiſſima curæ educatorum pars eſt. Niſi enim tempeſtive huc animus advertatur, uſus intellectus degenerat in abuſum, quo pœnæ metus ſucceſſive magis magisque enervatur, & ſi vel maxime impediatur eadem, ne in actus externos erumpat appetitus, eodem tamen non obſtante, idem fertur in ea, quæ voluptatem nocuam creant, & corruptio in ipſam voluntatem diffunditur, quatenus intellectus eadem bona eſſe judicat, & voluntate educatoris ſaltem mala effici putantur quæ non ſunt, ut ideo medium avertendæ corruptionis degeneret in medium eandem promovendi, notione deceptrice boni minime correcta.

§. 22.

Si uſu intellectus ſe exerente voluptas nocua ab innocua non diſcernitur, voluntas continuo magis magisque corrumpitur & conſuetudo agendi, prouti unumquemque trahit voluptas ſua, contrahitur. Cum enim intellectus utatur miniſterio facultatum intermediarum, attentionis ſcilicet atque reflexionis (§. 14. *Part. 1. Ethic.*); uſu illius ſe exerente animus magis attenditur ad voluptatem, quæ ex re percipitur, conſequenter ea magis appercipitur (§. 235. & ſeqq. *Pſych. empir.*), ut tibi magis conſcius ſis eam ex re iſta percipi (§. 25. *Pſych. empir.*), & rem iſtam hanc afferre voluptatem iudicas (§. 257. 343. *Pſych. empir.*), ſicque tandem notio diſtincta boni formatur, quod ſcilicet bonum ſit illud, ex quo voluptas percipitur (§. 671. *Log.*), quæ a prima infantia ingenita confuſa erat (§. 5. *h.* & §. 88. *Log.*). Quamobrem cum voluntas ſequatur judicium intellectus (§. 891. *Pſych. empir.*); *uſu intellectus ſe exerente voluntas promiſcue fertur in id, quod voluptatem creat & ſi vel maxime metu pœnæ, cum adhuc ſub aliena poteſtate ſis, actionem invitus omittas, quæ*

Quando voluntas abuſu intellectus corrumpatur.

ad iſtud obtinendum tendit (§ 581. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 19. *b.*). Quoniam itaque notio illa boni deceptrix evadit, quando voluptas nocua ab innocua non diſcernitur, ut malum appetatur ſub ratione boni (§. 6.); ſi uſu intellectus ſe exerente voluptas nocua ab innocua non diſcernitur, eadem facilitate voluntas determinatur ad malum ſub ratione boni appetendum, quam ad bonum verum, cum nonniſi caſui tribuendum ſit, ut bonum verum appetatur, ac per conſequens voluntas continuo magis magisque proclivis efficitur ad malum, ſeu actiones malas committendas, quas vel actu commiſiſti, vel ſaltem committere maluiſſes, niſi metu pœnæ invitus omiſiſſes (§. 10.). In hac proclivitate cum conſiſtat corruptio voluntatis (§. *cit.*); voluntas continuo magis magisque corrumpitur, ſi uſu intellectus ſe exerente voluptas nocua ab innocua non diſcernitur. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam hoc pacto homo adſueſcit malum appetere ſub ratione boni, ſi vero quid jam ſæpius appetivimus id denuo oblatum ſtatim appetamus, nulla ratione, cur idem appetamus, diſtincte expenſa (§. 922. *Pſych. empir.*); conſuetudo agendi, prout unumquemque ſua trahit voluptas, contrahitur (§. 923. *Pſych. empir.*). Atque ideo patet, hanc agendi conſuetudinem contrahi, ſi uſu intellectus ſe exerente voluptas nocua ab innocua non diſcernitur. *Quod erat alterum.*

Quo magis uſus intellectus perficitur, eo pertinatior evadit voluntatis corruptio, niſi voluptatem nocuam ab innocua diſcernere didiceris & ex notione boni genuina de eo, quod bonum eſt, ſtatuere. Infantes & pueri, qui attentionem ſufficientem afferre nondum poſſunt, multo minus ſuper iis, quæ ſenſu percipiunt, reflectere ſolent, moleſtiam, quam parit, vel in quam

in quam degenerat voluptas nocua per ſe, non diſcernunt ab ea, quæ voluntate ſuperiorum, quorum poteſtati ſubiecti ſunt, cum iis actionibus conuingitur, quæ ipſis voluptatem creant. Aſt ubi attentione ſufficiente uti & ſuper iis, quæ experiuntur, reflectere didicerunt, nexum neceſſarium a voluntario diſtinguunt, ac ideo pro voluptate nocua in ſe minime habent, quam nonnifi voluntate eorum, quorum poteſtati ſubjecti ſunt, talem effici exiſtimant. Non igitur medela affertur appetitui, quamdiu quis invitus ſaltem omittit actionem, quam ſibi relictus patraturus erat. Quamdiu non corrigitur error ex notione boni ſeductrice propullulans, idem quoque labe ſua inficit voluntatem, ut ea maneat proclivis ad malum. Proclivitas iſta minime dependet ab actu externo, ſed a determinatione voluntatis, qui actus internus eſt. Cumque in actione invita remaneat voluntas faciendi contrarium ejus, quod fit (§. 581. *part. I. Phil. pract univ.*); voluptati, quæ actionem commendat, propterea quod ab invito omittenda, moleſtia jungitur, quæ facultatem averſandi ſeu noluntatem in conſenſum trahit, ac ideo proclivitas efficitur pertinacior. Satis hæc experimur, ubi voluntatem corruptam emendare debemus, quemadmodum deinceps oſtendetur. Ceterum quando homines intellectu uti diſcunt, rerum quoque plurium cognitionem ſibi comparant, & ideo voluptas quoque limites arctos, intra quos ab initio coercebatur, egreditur & per conſequens corruptio voluntatis latius ſerpit. Docet autem experientia indies obvia, non omnium ſenſus eodem modo hilarari, ſed unumquemque ſua trahi voluptate. Et ea de cauſa corruptio voluntatis, ubi ad ſpecialia deſcenditur, non in omnibus eadem eſt, nec omnes eandem male agendi conſuetudinem contrahunt, quamvis in genere omnis voluntatis corruptio in eo conveniant, ut malum appetatur ſub ratione boni, voluptate nocua minime diſcreta.

§. 23.

Ad impediendam voluntatis corruptionem conducit, ſi præcavea- *De ignoran-*

 tur, quan- tia rerum

voluptatem nocuam creantium & privatione occaſionis male agendi.

tur, quantum datur, ne rerum voluptatum nocuam creantium notitia imbuatur, qui voluptatem nocuam ab innocua diſcernere nequit, & occaſione male agendi privetur. Etenim qui ignorat res, quæ nocuam voluptatem creant, quamvis ob voluptatem nocuam rem judicet eſſe bonam, ideoque quod malum eſt ſub ratione boni appetat (§. 6.), cum tamen appetitus, deficiente ratione ſufficiente, (§. 586. *Pſych. empir.*), non feratur in incognitum (§. 76. *Ontol.*), ad res ſibi ignotas appetendum ſe determinare nequit. Quamobrem cum acquirere nequeat habitum eas appetendi (§. 430. *Pſych. empir.*), conſequenter facilitatem ſe ad eas appetendum determinandi (§. 428. *Pſych. empir.*), in hac autem facilitate corruptio voluntatis conſiſtat (§. 10.); ad eam impediendam conducit, ſi præcaveatur, quantum datur, ne rerum voluptatem nocuam creantium notitia imbuatur, qui voluptatem nocuam ab innocua diſcernere nequit. *Quod erat unum.*

Similiter quamvis is, qui voluptatem nocuam ab innocua diſcernere nequit, voluptate nocua allici poſſit ad id, quod malum eſt, ſub ratione boni appetendum; cum tamen agendi occaſione privetur, *per hypoth.*, fieri nequit, ut habitum male agendi acquirat (§. 430, *Pſych. empir.*). Unde porro, ut ante, patet, voluntatis corruptionem hoc modo impediri. *Quod erat alterum.*

Dudum obſervatum eſt, apud gentes barbaras plus valuiſſe ignorantiam vitiorum, quam apud cultas ſcientiam virtutis. Quamvis autem ignorantia vitiorum non perficiatur voluntas, utpote ſine ſcientia boni & mali non perficienda (§. 1.); corruptio tamen ejus præcavetur, ne ſcilicet latius extendatur. Ignorantiam igitur rerum voluptatem nocuam creantium non commendamus tanquam medium perficiendi voluntatem, ſed tanquam remedium ad imminuendum corruptionis voluntatis incre-

incrementum. Eadem enim tantummodo impeditur, ne voluntas corrumpatur quoad eas res, quas ignorat. Plurimum itaque falluntur, qui ſibi perſuadent, ignorantia rerum voluptatem nocuam creantium perfici voluntatem, aut corruptionem omnem averti. Quamdiu quis voluptatem nocuam ab innocua diſcernere neſcius notione boni ſeductrice ſe induci patitur ad id, quod malum eſt, ſub ratione boni appetendum (§. 6.), fomes vitii adhuc inhæret appetitui, nec ignorantia vitii eum tollit, ſed tantummodo obſtat, quo minus nos excitet atque accendat ad agendum. Idem intelligitur in eo caſu, in quo occaſione male agendi privatur eandem arrepturus, quando hoc modo impeditur, quo minus male agendi cogitatio animum ejus ſubeat. Tum enim æquipollet ignorantiæ vitii. Enimvero ſi quis novit adeſſe occaſionem male agendi & voluptas nocua movet appetitum, ut invitus a male agendo abſtrahatur; corruptionis ſaltem incrementum impeditur, quatenus conſuetudo agendi avertitur, & voluptas nocua actu percepta ſtipata aliis cum eadem caſu ſimul perceptis vi imaginationis poſthac appetitum efficit fortiorem (§. 593. 595. *Pſych. empir.*). Quamvis itaque in caſu poſteriori privatio occaſionis non eſt ejusdem efficaciæ, quantæ eſt in priori, non tamen omni deſtituitur. Et intereſt, quid in utroque valeat, diſtincte cognoſci, tam ſi voluntas perficienda, quam ſi emendanda.

§. 24.

Ignorantia rerum, ex quibus voluptas nocua percipitur, qui voluptatem nocuam ab innocua diſcernere nequeunt detinentur ab appetendo malo ſub ratione boni, & privatione occaſionis detinentur a voluptatem male agendo. Quodſi enim qui voluptatem nocuam ab innocua diſcernere nequit ignorat res, ex quibus voluptas nocua percipitur; fieri non poteſt, ut eadem permoveatur ad eas appetendas. Quamobrem cum quod malum eſt ſub ratione

De uſu ignorantiæ rerum nocuam creantium & privationis occaſionis.

tione boni appeteret, ſi quidem id fieret (§. 6.); ignorantia rerum, ex quibus voluptas nocua percipitur, detinetur ab appetendo malo ſub ratione boni. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi qui voluptatem nocuam ab innocua diſcernere neſcius illa ſe permoveri pateretur ad male agendum; quando privatur occaſione agendi, fieri non poteſt, ut male agat, ſi vel maxime vellet. Patet igitur privatione occaſionis eum detineri a male agendo. *Quod erat alterum.*

Oſtendimus in ſuperioribus, infantes & pueros ab iis, qui educationis curam habent, quocunque fieri poteſt modo deterrendos & detinendos eſſe, ne quod malum eſt ſub ratione boni appetant (§. 9.). Quomodo deterreantur, patet ex iis, quæ paulo ante demonſtravimus (§. 19.); quomodo detineantur, ex propoſitione præſente. Deterrentur nimirum metu pœnarum; detinentur ignorantia rerum, ex quibus voluptas nocua percipitur, & privatione occaſionis male agendi. Multa hinc pendent, quæ in educatione liberorum obſervanda ſunt; ſed de quibus diſertius dicere non eſt hujus loci, ubi ſaltem agitur de modo præcavendi corruptionem voluntatis. Ut vero eorum, quæ hic demonſtrantur, verum faciamus uſum, a ſe invicem probe diſcernenda ſunt, quæ ad impediendam corruptionem voluntatis, quæ ad voluntatem perficiendam, & quæ ad eam emendandam faciunt. Quantum enim mali pariat eorundem confuſio, non minus ratio, quam experientia docet.

§. 25.

Quomodo moleſtia innocua vincenda quæ agnoſci nequit

Ne moleſtia innocua hominem deterreat ab agendo, qui eam agnoſcere nequit, neceſſe eſt ut ex omiſſione actionis ſtatim ſequatur, quod majorem moleſtiam parit. Etenim qui malum judicant id, quod moleſtiam parit, tanquam malum majus ſibi repræſentant id, quod moleſtiam majorem creat, quod per ſe patet. Quamobrem

obrem cum eam rem averſemur, quam nobis tanquam malam repræſentamus (§. 590. *Pſych empir.*); malum majus fortius averſamur, quam malum minus. Quamobrem ſi ex duobus unum eligendum, minus utique præfertur majori, conſequenter moleſtiam minorem devoramus, ut majorem evitemus. Quodſi ergo quempiam moleſtia innocua deterreat ab agendo, qui eam agnoſcere nequit; neceſſe eſt, ut ex omiſſione actionis ſtatim ſequatur, quod moleſtiam majorem parit.

Moleſtia innocua voluptatem veram parit, vel etiam in eandem degenerat (§. 386 *part. 1. Phil. prat. univ.*). Enimvero cum voluptatem iſtam non prævideat, qui ſolo ſenſu bonum a malo diſcernit, multo minus præguſtum quendam ejus habeat; in appetitus quoque determinationem ea influere nequit, multo minus appetitum fortiorem averſatione efficere poteſt, vt ille hanc vincat. Quoniam itaque moleſtia innocua non agnoſcitur, quæ actionem impedit; evitandæ majoris cauſa devoranda minor. Convenit hoc notionibus communibus. Si enim puero moleſta eſt diligentia, quam adhibere debet, ut legere vel ſcribere diſcat, verberibus ac minis ad eam excitatur. Cum vero moleſtia hæc tranſitoria ſit, nunquam reditura, (§. 387. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ne noceat in poſterum verendum non eſt. Remedium tamen nec prodeſt niſi in caſu actu præſente.

§. 26.

Si ſolo ſenſu moleſtia innocua agnoſcenda, & is, quem ab agendo deterret, ad eam devorandam incitandus; neceſſe eſt, ut ex commiſſione actionis ſtatim ſequatur, quod voluptatem illa maiorem creat.

De moleſtia ſolo ſenſu agnoſcenda.

Etenim ſi ex commiſſione actionis, quæ moleſta accidit, ſtatim ſequatur quod voluptatem creat, cum innocua ſit moleſtia, quæ voluptatem veram parit, aut in eadem degenerat (§.

386. *Part. I. Phil. pract. univ.*), ea innocua ſolo ſenſu agnoſcitur. *Quod erat unum.*

Et quoniam voluptas iſta major eſt moleſtia, quæ deterret ab agendo *per hypoth.* appetitus in commiſſionem actionis fortius fertur, quam averſatio eandem faſtidit (§. 591. 592. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo is, quem moleſtia innocua ab agendo deterret, ad eam devorandam incitandus, neceſſe eſt, ut ex commiſſione actionis ſtatim ſequatur, quod voluptatem illa majorem creat. *Quod erat alterum.*

Convenit hoc quoque notionibus communibus. Ecquis enim eſt qui neſciat, pueros ad diſcendum incitari ſpe boni cujusdam obtinendi, quod ex voluptate, quæ inde percipitur, æſtimatur (§. 4.)? Actio nimirum, quæ moleſta accidit, ſpectatur tanquam medium obtinendi id, quod cupimus. Cupiditas in ſe trahit attentionem, cum oriatur antequam agere incipiamus, conſequenter antequam moleſtiam ſentiamus, &, dum repræſentatione boni obtinendi continuo fovetur, attentionem a moleſtia, quæ invadit animum, dum agere incipimus, avertit. Et quamvis ejus ſenſus non prorſus abeſſe poſſit, ipſa tamen cupiditas nos incitat, ut quantocyus ab eadem liberemur, ſicque diligentiam cauſatur (§. 751. *part. I. Phil. pract. univ.*), & moleſtiæ, quæ per ſe negligentiam parere apta erat (§. 750. *part. I. Phil. pract. univ.*), omnem efficaciam adimit. Alia igitur longe ratio eſt, ſi moleſtia nocua, quam ſi voluptas nocua ſolo ſenſu agnoſcenda.

§. 27.

Cur habitus non ſine moleſtiæ acquiratur.

Nullus habitus ſine moleſtia acquiritur. Quando enim habitus acquirendus, diſpoſitio in habitum convertenda (§. 430. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum diſpoſitio in difficultate agendi conſiſtat (§. 429. *Pſych. empir.*), ut nonniſi tarde ac

de ac interjectis moris actiones ſimplices ad compoſitam requiſitas edere valeamus (§. 427. *Pſych. empir.*); dum habitum acquirere ſtudemus, quam parum apti ſimus ad agendum experimur, conſequenter cum aptitudo agendi perfectio ſit (§. 209. 330. *part. 1. Jur. nat.*), imperfectionis noſtræ nobis ſumus conſcii (§. 664. *Log.*). Quoniam itaque moleſtiam ſive tædium percipimus, quando nobis imperfectionis noſtræ conſcii ſumus (§. 518. *Pſych. empir.*); nullus habitus ſine moleſtia acquiritur.

A poſteriori ſatis hoc conſtat. Cumque non omnis habitus eadem facilitate acquiratur, quantæ ſubinde devorandæ ſint moleſtiæ, antequam acquiratur, abunde experimur. Atque hæ ipſæ moleſtiæ in cauſa ſunt, ut multi ſtudium habitum quendam acquirendi ſtatim deſerant. Videmus hoc indies in Academiis, quam pauci ſint, qui indefeſſam induſtriam afferunt ad doctrinam ſolidam perdiſcendam, & moleſtiam, quam ab initio ſentiunt, ſuperandam, cum nullus adſit ſtimulus, quo ad eam ſuperandam incitentur in determinandis actionibus ſuis a voluntate ſua unice pendentes.

§. 28.

Quoniam habitus ſine moleſtia non acquiritur (§. 27.), ad vero averſamur, ex quo moleſtiam percipimus, quamdiu in notione mali confuſa acquieſcimus (§. 592. *Pſych. empir.*); *Quando habitum acquirere abſtinemus, quamdiu in notione mali confuſa acquieſcimus, ſeu malum quid judicamus ex eo quod moleſtiam creat,* conſequenter *eum acquirere abſtinemus.*

Experientia idem confirmat: videmus enim ab initio moleſtum accidere tironibus, ſi inchoantur exercitia, quibus habitus comparandus, ut inde dudum natum ſit proverbium: omne principium eſſe grave, quamvis deinceps, quemadmodum in vage enunciatis accidere ſolet, latius fuerit extenſum. Specta-

mus vero hic habitum in ſe, quatenus ad eum acquirendum exercitia requirunt certos actus facultatum certo ordine eliciendos, præcisis ceteris omnibus, quæ pro diverſitate ſubjectorum & circumſtantiarum ceterarum in caſu particulari atque ſingulari occurrere poſſunt. Inde nimirum oritur diverſitas difficultatis, quæ cum nunc majorem, nunc minorem imperfectionem indicet, majorem quoque, vel minorem moleſtiam creat (*ſ.* 521. *Pſych. empir.*), ideoque nunc majorem, nunc minorem averſionem cauſatur (§. 599 *Pſych. empir.*). Quando igitur hujus averſionis ratio reddenda in caſu dato, non modo inquirendum in ſingulos facultatum animæ & facultatis locomotivæ actus, atque perpendendum, quinam agere debenti ſit earum uſus, verum etiam probe expendendum, quænam circumſtantiæ uſum earundem juvent, vel impediant. Ita enim demum innoteſcit, cur in acquirendo habitu non omnes eandem ſentiant moleſtiam, & per conſequens averſio non ſit eadem. Quamdiu vero habitus in ſe ſpectatatur, ea non attenduntur. Etenim tum ſaltem quæritur, undenam ſit ut acquiſitio habitus ab initio ſit in ſe averſabilis, non vero, undenam ſit, ut averſio huius, vel illius tironis minor ſit, quam per ſe foret, niſi rationes quædam adeſſent, quæ eandem imminuerent. Ponamus e. gr. ad exercitia, quibus habitus acquiritur, requiri magnam attentionem. Quodſi quis eam attentionem afferre jam didicerit, is minorem difficultatem ſentiet in eliciendo actu attentionis, quam qui eidem non adſuetus eſt. Tenendum nimirum in actus præſentis determinationem influere præteritos (§. 85. *Part. 1. Ethic.*). Et quod hic de actu attentionis dicitur, id tenendum quoque eſt de ceteris actibus ad exercitia, quibus habitus comparatur, requiſitis, & de vi circumſtantiarum in eosdem. Pertinet hæc diſquiſitio ad latebras & receſſus in animis hominum ſcrutandos (§. 72. *part. 1. Ethic.*). Hos vero in caſu præſenti ſcrutari non licet, niſi perpendatur, qualis ſit acquiſitio habitus in ſe ſpectata. Sane ſi quis jam prompte elicere poteſt aliquem facultatis actum ad exercitium, quo habitus comparandus, requisitum; is revera jam

jam ad eum acquirendum ſe præparaſſe intelligitur, & quod unum vel alterum iſtiusmodi actum jam antea quamvis alia prorſus occaſione reddidit jucundum, vel moleſtum, idem quoque ſimili modo eundem afficit in præſenti, vi imaginationis atque memoriæ tacite concurrente (§. 117. 175. *Pſych. empir.*). Pertinent huc quæ de voluptatibus et tædiis ſive moleſtiis peregrinis ideam rei eiusdem confuſam ingredientibus dudum alias demonſtravimus (§. 593. 594. *Pſych. empir.*). Habent ea, quæ diximus, non contemnendum uſum in praxi, quando habitus aliquis acquirendus, quemadmodum perſpicatiores facile videbunt, ut ſufficiat eorum attentionem excitaſſe.

§. 29.

Si quæcunque ratio nos fortius impellit ad habitum appetendum, Quando eum quam moleſtia in eo acquirendo percipienda ad ejus acquiſitionem aver- acquirere ſandum; appetitus adverſus averſationem prævalet, nec eum ac- non abſtinea-quirere abſtinemus. Etenim ſi qua ratio nos movet ad habitum *mus.* quendam appetendum, moleſtia autem in eo acquirendo percipienda ad ejus acquiſitionem averſandum (§. 392. *Pſych. empir.*); facultas appetendi & averſandi ſibi invicem adverſantur. Quamobrem ſi appetitus fortior, quam averſatio; nulla ſane ratio eſt, cur ille in gratiam hujus mutetur. Quoniam itaque manet animus habitum iſtum habendi, manifeſtum vero eſt, nos voti noſtri compotes fieri minime poſſe, niſi moleſtiam devoremus, immo etiam contingit, ut habitus ob rationem, quæ eundem commendat, omnem fere in ſe trahat attentionem, ut moleſtia iſta vix ac ne vix quidem appercipiatur; appetitus adverſus averſationem prævalet. *Quod erat unum.*

Cum itaque per ſe porro pateat, averſionem, quam cauſatur moleſtia, unicam eſſe rationem, cur habitum ac-

quirere abſtineamus, appetitus autem adverſus averſationem prævalet, ſi quæcunque ratio nos fortius impellit ad habitum acquirendum, quam moleſtia in eo acquirendo percipienda ad ejus acquiſitionem averſandum, *per demonſtrata n. 1.* in hypotheſi propoſitionis præſentis habitum acquirere minime abſtinemus.

Variæ omnino eſſe poſſunt rationes, quæ nos fortius impellunt ad habitum appetendum, quam moleſtia in eo acquirendo percipienda ad ejus acquiſitionem averſandum. Demus unum, vel alterum exemplum. Si quis voluptatem percipit ex habitu, quem alios exercere videt, inſignem; eundem fortiter appetit, dumque eundem acquirere ſtudet, vim voluptatis iſtius conſtanter in ſe experitur. Si quis in eo vitæ genere, quod ſequi decrevit, habitu quodam ſe carere non poſſe novit, ſaltem ſibi firmiter perſuadet; neceſſitas eum fortiter impellit ad habitum iſtum acquirendum. Similiter ſi quis ſupra alios excellerere geſtit, & pro certo habet, habitum quendam ſibi prærogativam inſignem præ aliis tribuere; cupido alios præcellendi ardorem excitat (§. 218. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quo quis non facile ſe a propoſito habitum acquirendi dimoveri patitur (§. 224. *part 2. Phil. pract. univ.*). Et ſi quis metuit damnum a neglectu habitus, quem acquirere poterat; ipſe metus accendit cupiditatem eum acquirendi. Habitum, qui comparandus eſt, nobis repreſentamus tanquam bonum acquirendum. Quoniam id acquirere non poſſumus ſine certis actionibus, neceſſe eſt, ut eas committamus. Cupiditas itaque acquirendi & neceſſitas mediis utendi, cum indivulſo nexu cohæreant, in cauſa ſunt, ut moleſtiam ſuperemus, hoc eſt, non obſtante moleſtia ea faciamus, ſine quibus habitus compotes nos fieri non poſſe perſuaſi ſumus. Miris modis in caſu particulari actus facultatum animæ concurrunt & actus præteriti una influunt, ut, qui diſtincte hoc explicare voluerit, in latebris & receſſibus in animis hominum explicandis plurimum verſatus ſit ne-

fit neceſſe eſt, etſi ignorantia circumſtantiarum præſentium & oblivio præteritarum non ſemper permittat, ut ea detegamus, quæ ad actus illos cognoſcendos requiruntur. Sed talia a cognitione noſtra adhuc procul remota ſunt: per ea tamen, quæ a nobis tradita ſunt &, ſi Deus voluerit, in poſterum tradentur, ad illa patet aditus, modo ea via progredi quis voluerit, quam nos ingreſſi ſumus.

§. 30.

De naturali determinatione appetitus humani.

Appetitus hominis naturaliter determinatus eſt ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem. Videmus infantes recens natos avide trahere ubera materna lacte diſtenta. Nemo eſt, qui neſciat, lac eſſe nutrimentum, quo infans conſervatur. Appetitio igitur lactis materni prodit determinationem naturalem appetitus ad ſui conſervationem. *Quod erat primum.*

Videmus præterea infantes appetere ea, quæ voluptatem pariunt, atque homini adeo naturale experimur appetere ea, quæ voluptatem creant, ut hic appetitus ab eo ſeparari minime poſſit. Voluptas oritur ex ſenſu perfectionis (§. 511. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum appetitio eorum, quæ voluptatem creant, indicet generalem determinationem ad appetendum ea, ex quibus voluptas percipitur; eadem quoque prodit naturalem appetitus determinationem ad ſui perfectionem. *Quod erat ſecundum.*

Denique in vulgus quoque notum eſt, quando homo generandi facultatem acquiſivit, eundem coitum appetere et ipſum coitum ſingularem quandam voluptatem parere. Quamobrem cum per coitum generentur homines & hoc

pacto

pacto homo ſeſe multiplicet; appetitus, qui naturaliter in eundem fertur, prodit naturalem ſui determinationem in homine ad ſe multiplicandum. *Quod erat tertium.*

Tria ſunt, in quæ fertur naturaliter appetitus humanus, ſui nimirum conſervatio, perfectio & multiplicatio. Hominem naturaliter appetere ſui conſervationem & multiplicationem unicuique ſtatim obvium eſt, ut levi attentione agnoſcatur, quamvis paulo majore attentione opus eſſe videatur, ut agnoſcatur, nos naturaliter ferri ad nos multiplicandos, propterea quod corrupto appetitu coitus per ſe appetatur per modum rei, ex qua voluptas percipitur. Aſt non jam quæſtio eſt de eo, quod a corruptione appetitus venit, ſed quod eidem naturale eſt. Naturaliter autem appetitionem coitus tendere ad ſui multiplicationem, exinde liquet, quod parentes lætentur infante in lucem edito, niſi adſint cauſæ accidentales, quæ lætitiam impediunt, ſed quarum in præſenti nulla habenda eſt ratio. Sane nullum eſt dubium, niſi cauſæ iſtiusmodi accidentales obſtarent, fore ut homines nulla fere re magis delectarentur quam magno liberorum numero. Inde ſane eſt, ut, ſi ſenex grandævus multos viderit filios, nepotes ac pronepotes, ſeu ingentem liberorum cujuscunque ſexus & generis numerum, id felicitati ipſius tribuatur, & tanquam ſingulare beneficium Dei commemoretur. Utrumque iſtum appetitum clariſſime conſpicimus in ipſis brutis, in quibus quod naturale eſt per cauſas accidentales non adeo ſupprimitur & in diverſam quaſi formam mutatur, quemadmodum in hominibus accidit abuſu facultatum, præſertim ſuperiorum animæ, qui in bruta non cadit, ea præſertim, quæ a conſortio hominum procul remota ſunt & libertati naturali relicta. Enimvero appetitus naturalis determinatio ad ſe perficiendum non adeo manifeſtus eſt, ſed magis latet, ut multo majori attentione & vi quadam mentis opus ſit ad eum agnoſcendum, quemadmodum ex demonſtratione ſatis intelligitur. Non tamen

men in dubium vocari poteſt, modo ſingula, quæ demonſtrationem ingrediuntur, ſatis expendantur. Inprimis autem opus eſt, ut notio perfectionis rite inſpiciatur, ac nebulæ, quæ a perfectione apparente ortæ, diſpellantur. Cum animantia bruta non multum perfectionis, vel etiam prorſus nihil acquirere poſſint, quam a natura non habent, naturalis autem perfectio a perfectione organorum tota pendeat, quæ in conſervatione animalis continetur, conſequenter præter appetitum ſe conſervandi alium ab iſto diſtinctum ſe perficiendi minime requirat; appetitus quoque ſe perficiendi, quemadmodum ſe conſervandi ac multiplicandi, in animantibus brutis minime conſpicitur. Imago tamen quædam ejus apparet in volucribus, quando volatu ſuo aves ex nido eductas ad imitationem alliciunt. Neque dubito talem quoque conſpectum iri aliis brutorum actionibus, ſiquidem diligentius eas obſervare & accuratius ſuper iis reflectere vellemus, aut poſſemus, quas in educatione prolium videre licet. Agunt naturaliter bruta & per conſequens etiam infantes, ſicuti res ceteræ naturales omnes propter fines a Deo intentos, non ſecus ac ſi ab ipſis intenderentur (§. 661. *part. 1. Theol. nat.*). Ac ideo ad *id*, quod per actiones illorum obtinetur & absque iis obtineri non poterat, recte appetitus eorum naturaliter determinatus inde colligitur.

§. 31.

Quoniam appetitus hominis naturaliter determinatus eſt ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem (§. 30.), determinatio autem generalis appetitus, ſi ea naturalis fuerit, ſeu ſi per naturam animæ is fuerit hoc modo determinatus, inclinatio naturalis eſt (§. 895. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *determinationes appetitus ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem ſunt inclinationes naturales omnium hominum communes.* Quoniam appetitus habet gradus (§. 599. *Pſych. empir.*)

De communibus hominum inclinationibus naturalibus.

empir.), ideoque pro diverſitate ſubjectorum determinationes quoque ejusdem ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem gradu variare poſſunt, *in omnibus hominibus non ſunt ejusdem gradus, ſed alii magis inclinantur ad ſui conſervationem, alii ad ſui perfectionem, alii ad ſui multiplicationem.*

Aperimus hic fontem inclinationum naturalium, ex quibus deinceps rivulorum inſtar deducuntur inclinationes naturales ſpeciales, quatenus nimirum generales ad certa objecta reſtringuntur, prouti ex ſequentibus clarius eluceſcet. Differre homines inclinationibus naturalibus experientia dudum comprobatum eſt. Undenam vero ſit hæc differentia, non ſatis diſtincte fuit expenſum. In Ethica tamen plurimum intereſt, ut, quantum datur, adæquatam ejus notionem habeamus. Inſtituto igitur noſtro maxime convenit, ut in eam ſollicitius inquiramus & ab ovo, quod dicitur, exordiamur. Appetitus per modum vis cujusdam concipitur. Quamobrem cum vires eædem nonniſi gradu inter ſe differre poſſint; appetitus quoque determinatio non aliam differentiam admittit, quam quæ in gradu conſiſtit. Inde eſt, ut non modo unus homo magis feratur ad ſui conſervationem, vel perfectionem, quam alter, verum etiam unus idemque homo magis feratur ad ſui conſervationem, quam ad ſui perfectionem, & ex adverſo alius magis ad ſui perfectionem, quam ad ſui conſervationem. Et ea de cauſa communes inclinationes naturales variant.

§. 32.

De naturali determinatione facultatis averſandi.

Similiter quia appetitus hominis naturaliter determinatus eſt ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem (§. 30.), & per conſequens in ea fertur, quæ ad ſe conſervandum, perficiendum & multiplicandum faciunt, fieri autem minime poteſt ut idem ſimul ſit, quam non ſit (§. 28. *Ontol.*); *facultas averſandi naturaliter determinata eſt ad averſandum*

ſandum eā; quæ conſervationi, perfectioni & multiplicationi ſui quomodocunque contrariantur. Quamobrem cum omnibus hiſce nihil magis adverſetur morte, ultima rerum linea; *facultas* quoque *averſandi naturaliter ad nihil magis, quam ad mortem averſandum determinata eſt.*

Quæ de naturali appetitus determinatione annotavimus, ea mutatis mutandis præſenti quoque propoſitioni lucem majorem affundunt. Conſpicitur averſio eorum, quæ conſervationi inprimis & multiplicationi ſui obſtant, manifeſtiſſime in ipſis brutis, ut ab ipſo vulgo dudum animadverſa ſit, & brutis promiſcua tribuatur horror quidam mortis naturalis. Quodſi de averſione eorum, quæ multiplicationi ſui obſtant, dubium quoddam ſuperſit, id defectui attentionis & ſufficientis ſuper actionibus brutorum reflexionis tribuendum. In vulgus notum eſt, quanto conatu animantia bruta damnum a prole ſua avertere ſtudent & omne periculum, quod eorum corpori, vel vitæ imminet, aut imminere videtur. Appetitui, qui tendit ad prolis conſervationem, cohæret averſatio eorum, quæ eidem adverſantur. Sicuti autem appetitui conſervandi prolem ineſt appetitus ſe *multiplicandi;* ita averſationi eorum, quæ conſervationi nocent, ineſt quoque averſatio illorum quæ multiplicationem ſui impediunt. Et quatenus integritate membrorum conſervatur perfectio corporis organici naturalis; averſationi eorum, quæ damnum corpori inferunt, ineſt etiam averſatio illorum, quæ perfectioni obſtant. Quod ſi ergo ad actiones brutorum, quibus produnt curam educationis, animum ſatis attendamus & acumine ſufficiente earum notiones evolvamus; determinatio facultatis averſandi ad averſandum ea quæ perfectioni & multiplicationi contrariantur, latere amplius nequit. Quod vero diximus de averſatione eorum, quæ conſervationi prolis obſtant, quod inſit eidem averſatio illorum, quæ perfectionem impediunt, aut prolem imperfectiorem reddunt; idem eodem modo intelligitur de illis actionibus, quibus bruta produnt averſionem eorum, quæ ipſorum corpori damnum inferre poſſunt.

§. 33.

De reclinationibus naturalibus hominum communibus & horrore naturali.

Quia facultas averſandi naturaliter determinata eſt ad averſandum ea, quæ conſervationi, perfectioni & multiplicationi ſui quomodocunque contrariantur, ad nihil vero magis averſandum, quam ad mortem (§. 32.), determinatio autem generalis ad aliquid averſandum, ſi ea naturalis fuerit, reclinatio naturalis eſt, aut, ſi mavis, horror naturalis (§. 896. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *determinationes naturales facultatis averſandi ad averſandum ea, quæ conſervationi, perfectioni & multiplicationi ſui quomodocunque contrariantur, ad nihil vero magis averſandum, quam ad mortem, ſunt reclinationes naturales omnium hominum communes & horror mortis naturalis omnium hominum communis eſt.* Quoniam vero alii magis inclinantur ad ſui conſervationem, alii ad ſui perfectionem, alii denique ad ſui multiplicationem (§. 31.), cumque fieri minime poſſit ut idem ſimul ſit ac non ſit (§. 20. *Ontol.*), inclinationibus naturalibus ſe conſervandi, perficiendi atque multiplicandi reſpondent reclinationes naturales, ut abhorreamus ab iis, quæ conſervationi, perfectioni atque multiplicationi ſui contrariantur; *aliorum* quoque *reclinatio naturalis magis reſpicit ea, quæ conſervationi ſui contrariantur, aliorum vero reclinatio ea, quæ perfectioni ſuæ adverſantur, aliorum denique reclinatio magis ea, quæ multiplicationem ſui impediunt.*

Quæ paulo ante de differentia inclinationum naturalium communium monuimus (*not.* §. 31.); facile ad reclinationes naturales communes applicantur, quippe quæ vi principii contradictionis cum iisdem indivulſo nexu cohærent. Alias vero jam rationem reddidimus (*not.* §. 896. *part. 2. Phil. pract. univ.*), cur haſce determinationes naturales facultatis averſandi reclinationes naturales quam horrorem naturalem appellare malimus. Quodſi tamen horrorem naturalem eo modo explices, quo nos

quo nos eundem definivimus (§. *cit.*); dici nequit terminus inanis (§. 38. *Log.*), nec in numerum qualitatum occultarum recte refertur (§. 189. *Cosmol.*). Quamvis enim non negemus, contigisse subinde, ut horror naturalis allegatus tanquam causa effectus qualitatibus occultis recte annumeraretur & pro termino inani haberetur; non tamen propterea nonnullorum ignorantia & error veritatem evertit. Horrorem naturalem mortis esse omnium maximum, utpote continentem aversationem eorum omnium, ad quae aversandum naturaliter determinata est facultas aversandi, adeo exploratum est, ut ideo mors dudum omnium horribilium horribilissimum dicta fuerit, ratione pariter atque experientia adstipulante. Quae in contrarium afferri possunt, non a natura veniunt, sed alias causas ignoscunt & ad ea referenda, quae acquisita natura inexistentibus contradistinguuntur, quemadmodum ex sequentibus abunde eluceſcet. Difficultate sua non caret distinguere in hominibus ea, quae naturalia sunt, ab his, quae aliunde veniunt & longo usu acquisita. Quamobrem necesse est, ut lente festinemus, & singula, qualia in se sunt, acute perve-stigemus, antequam ad ea animum attendamus, quae latebrarum & recessuum in animis hominum accuratam discussionem exigunt. Cui itaque veritas curae cordique est, is unice animum attendat ad ea, quae a nobis demonstrantur & in adjectis notis uberius declarantur & confirmantur, eundemque avocet ab illis, quae memoria quomodocunque ipsi suggerit, ne confundendo ea, quae discernenda sunt, perplexus evadat, ut veritatem perspicere minime possit, quemadmodum accidit illis, qui ad censendum proni sibi judicium sumunt de his, quae nondum satis intelligunt.

§. 34.

Determinatio appetitus ad sui conservationem tendit ad conser- Ad quod di-
vandam perfectionem essentialem; determinatio autem ejusdem ad sui rigatur ap-
perfectionem tendit ad acquirendam accidentalem; Etenim si corpus *petitus, qua-*
conser- *tenus deter-*

minatur ad ſui conſervationem & ad ſui perfectionem.

conſervatur, ſtructura ejus integra & illæſa manet, quod tanquam per ſe notum ſine probatione ſumitur. Quamobrem cum conſtet, ſigula ejus organa per ipſam ſtructuram apta eſſe ad certas functiones (§. 278. *Coſmol.*); appetitus determinatio ad ſe conſervandum tendit ad conſervandum aptitudinem ſingulorum ejus organorum ad certas functiones. Quoniam itaque in hac aptitudine perfectio corporis humani conſiſtit (§. 317. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.)*, eaque eſſentialis (§. 528. *Ontol.*); determinatio appetitus ad ſui conſervationem tendit ad conſervandam perfectionem corporis eſſentialem. Enimvero quia perceptiones rerum præſentium, ſeu ſenſationes dependent a corpore (§. 961. *Pſych. empir.)*, & quando imaginatio, quæ a ſenſu pendet (§. 117. *Pſych. empir.*), ideam quandam rei antea ſenſu perceptæ denuo producit, idea quoque materialis in cerebro producitur, quæ ab actione ſenſibilis in organum ſenſorium oriebatur (§. 205. *Pſych. rat.)*, unde oritur appetitus ſenſitivus (§. 580. *Pſych. empir.*), quatenus in omni perceptione adeſt percepturitio (§. 481. *Pſych. rat.*) ad certam perceptionem dirigenda (§. 489. 495. *Pſych. rat.*), cui convenientes motus in corpore ſupponunt organa rite conſtituta (§. 954. *Pſych. empir.)*; anima quoad uſum ſenſuum, imaginationis atque memoriæ ab hac pendentis (§. 174. 175. *Pſych. empir.*) & appetitus ſenſitivi, qui natura eidem ineſt (§. 200. *part. 1. Jur. nat)*, peculiari conſervatione non indiget, ſed una cum corpore conſervatur. Quare cum perfectio eſſentialis animæ contineatur conſenſu determinationum eſſentialium (§. 528. *Ontol.*), ac per conſequens in aptitudine ad eum facultatum uſum, quem habere poſſunt, conſiſtat; perfectio animæ eſſentialis una cum perfectione corporis eſſentiali conſervatur, ideoque cum determinatio appetitus ad ſe conſervandum

dum tendat ad conſervandam perfectionem corporis eſſentialem, *per demonſtrata*, eadem quoque una tendit ad conſervandam animæ perfectionem eſſentialem. *Quod erat unum.*

Facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iisdem utendi (§. 209. *part. 1. Jur. nat.*) & corporis qua ſe moventis perfectio conſiſtit in aptitudine appetitionibus & averſionibus animæ convenientes motus producendi & ſitus tam totius corporis, quam membrorum ejus externorum determinandi (§. 330. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter perficitur, quatenus certos motus certo ordine producendi habitus acquiruntur. Enimvero cum habitus, qui acquiruntur, non ad perfectionem eſſentialem, ſed ad accidentalem pertineant, id quod de corpore oſtendimus (§. 331. *part. 1. Jur. nat.*), & eodem modo de anima quoque intelligitur, atque ex ipſa differentia inter perfectionem eſſentialem & accidentalem demonſtrari poterat (§. 528. *Ontol.*), ſiquidem tantis ambagibus foret opus; determinatio appetitus ad ſui perfectionem tendit ad acquirendam perfectionem accidentalem. *Quod erat alterum.*

Ex demonſtratione propoſitionis præſentis abunde patet, quanta rerum notitia ſupponatur, ſi veritatem propoſitionis præſentis intime perſpicere volueris. Videmus enim notionem propoſitioni huic reſpondentem reſolvi in notiones ontologicas, pſychologicas & alias in jure naturæ explicatas. Quodſi ſi quis analyſin notionum non ignoret, quam illuſtrat exemplum, quod dedimus oſtenſuri, quænam influant in determinationem aſſenſus vi demonſtrationis extorquendi (*not.* §. 992. *Log.*); is intelliget quantum quis in Ontologia, Coſmologia, Pſychologia tam empirica, quam rationali verſatus eſſe debeat, & quænam ex iis, quæ in parte prima juris naturæ de perfectione animæ atque corporis humani tradidi-

tradidimus, cognoſcenda, ut vim demonſtrationis præſentis percipiat. Abſit vero ut tibi vel aliis perſuadeas, quaſi quæ per ſe facilia ſunt, a nobis intricentur & difficilia reddantur! Neque enim alia datur via ad intimam rerum cognitionem, quam evolutio notionum ab iis, quæ obvia ſunt, ſed confuſe percipiuntur, continuo progreſſu nos ducens ad ea, quæ a cognitione noſtra procul remota ſunt. Qui in Matheſi ſatis verſatus fuerit, & ad notionum evolutionem vi demonſtrationum factam animum, quantum ſatis eſt, attendit; is facile capiet, quæ hic dicuntur, nec mirabitur, ubi videt in rerum cognitione philoſophica idem obtinere quod in mathematica. Aliorum præjudicia, qui legitimum facultatum cognoſcendi uſum facere nondum didicerunt, in parte prima Ethicæ demonſtratum, minime curamus. Et ſi quis dubitet eo ipſo, quod appetitus hominis naturaliter determinatus ſit ad ſe conſervandum, idem quoque naturaliter determinetur ad perfectionem eſſentialem conſervandum, & quod naturaliter determinatus ſit ad ſe perficiendum, una determinetur ad perfectionem accidentalem acquirendam, is ingrediatur eam viam, quam hic monſtramus, ut eas ſibi notiones ſucceſſive familiares reddat, quarum evolutione in notionem propoſitioni præſenti reſpondentem incidimus. Ita enim demum dubia evaneſcent, quæ nonniſi tenebris, in quibus omnia miſcentur, fugatis in auram fugiunt. Non fugantur tenebræ niſi lumine accedente. Tenebræ in animo in obſcuritate & defectu perceptionum conſiſtunt (§. 36. *Pſycb. empir.*), lumen vero in earundem claritate (§. 35. *Pſycb. empir.*). Quamobrem cum a tenebris ortum ducant dubia, nec lumen accendatur, niſi notionum evolutione; hæc ipſa quoque genuinum medium eſt ea fugandi. Quæ hic inculcantur, probe tenenda ſunt. Monitum enim generale eſt, nec ad præſentem ſaltem materiam reſtringitur. Conſultum nimirum nobis videtur, qui nos quacunque occaſione data aliis utiles præbere volumus, quantum in

tum in poteſtate noſtra eſt, hinc inde monita generalia inſpergere, quamvis ad caſus particulares, ut facilius intelligantur, applicentur.

§. 35.

Quia determinatio appetitus ad ſui conſervationem tendit ad conſervandum perfectionem eſſentialem, determinatio autem ejusdem ad ſui perfectionem tendit ad acquirendum perfectionem accidentalem (§. 34.), idem vero ſimul eſſe & non eſſe nequit (§. 28. *Ontol.*); *determinatio* quoque *facultatis averſandi ad averſandum ea, quæ conſervationi ſui quomodocunque contrariantur*, homini naturalis (§. 32.), *tendit ad averſandum ea, quæ perfectioni eſſentiali adverſantur*, & *determinatio illius ad averſandum ea, quæ perfectioni ſui quomodocunque contrariantur*, homini itidem naturalis (§. *cit.*), *tendit ad averſandum ea, quæ quomodocunque impediunt, quo minus perfectionem accidentalem acquiramus*, conſequenter *illa tendit ad impediendam imperfectionem eſſentialem, hæc vero ad avertendam accidentalem.* *Ad quod dirigatur averſatio, quatenus determinatur ad averſandum ea, quæ ſui conſervationi & perfectioni obſtant.*

Poterat hoc non abſimili modo demonſtrari, quo modo oſtendimus, determinationem appetitus ad ſui conſervationem tendere ad conſervandam perfectionem eſſentialem & determinationem ejusdem ad ſui perfectionem tendere ad acquirendum accidentalem (§. 34.): ſed non opus eſt, ut ad has ambages deſcendamus, ubi ſatis evidenter, quod demonſtrandum, per modum corollarii ex demonſtratis inferri poteſt. Nonnulla tamen hic monenda ſunt, ne parum attentis, nec ſufficiente acumine utentibus dubia quædam ſuboriantur. Iſtud facile patet, quod tendere ad conſervandum perfectionem eſſentialem & non averſari ea, quæ eidem quomodocunque adverſantur, ſimul conſiſtere nequeant. Quodſi enim ea non averſemur, conſequenter iisdem reſiſtamus, aut ea a nobis removeamus, nec fie-

nec fieri poteſt, ut perfectionem conſervemus. Et æque manifeſtum eſt, tendere ad acquirendum perfectionem accidentalem & non averſari ea, quæ quomodocunque impediunt, quo minus eam acquiramus, ſimul conſiſtere non poſſe. Niſi enim hæc impedimenta removeamus, fieri non poteſt, ut perfectionem acquiramus. Naturaliter igitur averſatio eorum, quæ adverſantur conſervationi perfectionis eſſentialis, ineſt tendentiæ ad eam conſervandam, & averſatio eorum quæ impediunt, quo minus accidentalem acquiramus, ineſt tendentiæ ad eam conſequendam. Neceſſarius hic nexus per ipſam legem appetitus & averſationis manifeſtus eſt, ſi quis eum nondum capere poſſit. Quando enim perfectionis eſſentialis conſervationem, aut accidentalis acquiſitionem appetimus, eam nobis repræſentamus tanquam bonam (§. 904. *Pſycb. empir.*). Quamobrem cum privatio ſeu abſentia boni malum ſit (§. 754. *part. t. Jur. nat.*), deſtructio perfectionis eſſentialis & carentia accidentalis pro malo utique habenda. Quoniam itaque quod tanquam malum nobis repræſentamus averſamur (§. 907. *Pſycb. empir.*); qui fertur in perfectionis eſſentialis conſervationem & accidentalis acquiſitionem, ut averſetur illius deſtructionem, huius carentiam, conſequenter ea, quæ illius conſervationi contrariantur, huius acquiſitionem impediunt, neceſſe eſt. Non minus dubio caret, quod tendentiæ ad conſervandam perfectionem eſſentialem (utimur vocabulo tendentiæ minus Latino & jam olim uſi ſumus tanquam termino technico) inſit tendentia ad impediendam imperfectionem eſſentialem, & tendentiæ ad acquirendam perfectionem accidentalem tendentia ad avertendam accidentalem imperfectionem. Ex antea dictis liquet, perfectionem eſſentialem dependere a ſtructura organorum, qua læſa oritur imperfectio eſſentialis, conſequenter hanc ſtatim poni, conſervatione illius ceſſante. Cumque imperfectio accidentalis cum perfectione accidentali conſiſtere non poſſit; qui illam acquirre vult hanc utique avertere debet. Ad perfectionem accidentalem pertinet virtus, ad

accidentalem imperfectionem vitium. Qui vero virtutem acquirere vult a vitio ſibi cavere debet. Sed non opus eſſe videtur, ut hiſce uberius explicandis immoremur. Si quis vero opinetur, ob immutabilitatem eſſentiæ perfectionem eſſentialem immutabilem quoque eſſe debere; is eſſentiam rei ab ejus exiſtentia non ſatis diſcernit. Quatenus nimirum res aliqua in ſtatu poſſibilitatis ſpectatur, eſſentia ejus immutabilis eſt, ita ut non amplius ſit eadem, ſi quid in determinationibus eſſentialibus mutetur. Quodſi ergo res quædam exiſtat hanc habens eſſentiam & ſupponamus aliquid in determinationibus accidentalibus mutari caſu quodam; jam exiſtit res aliam eſſentiam habens, conſequenter non amplius eadem. Sane ſi ponamus deſtrui oculorum ſtructuram, ut ad viſum non maneant apta; ecquis, quæſo, dixerit hominem cæcum eſſe eundem, qui viſu pollet? Nonne in ſtatu ideali homo cœcus & viſu pollens diſtinguuntur tanquam duo entia diverſa, quorum determinationes eſſentiales ſunt diverſæ, conſequenter quorum non eadem eſt eſſentia. Alia enim eſt notio hominis cœci, alia vero viſu pollentis. In Philoſophia, cujus objectum eſt ens univerſale, quod in ſtatu poſſibilitatis conſideratur, nimirum quatenus poſſibile eſt & quatenus exiſtere poteſt (§. 29. *Diſcp. prælim.*), & quæ exigit notiones rerum determinatas (§. 116. *Diſc. prælim.* & §. 152. *Log.*), identitati quoque notio determinata reſpondet (§. 181. *Ontol.*), nec idem dicitur, niſi cui identitatis notio convenit (§. 349. *Log.*). In ſermone vago eadem quoque dici ſolent, quæ, certo ſaltem reſpectu eadem ſunt, quando de individuis exiſtentibus loquimur. Vim definitionis noſtræ, quam de Philoſophia dedimus, non percipiunt, quod obiter hic monemus, qui difficultates circa eam nectunt, & ſe non cum ſufficiente attentione atque acumine in Philoſophia verſatos produnt.

§. 36.

Quoniam determinatio appetitus naturalis ad ſui conſerva- *De lege naturæ in natura*

homini radicata.

ſervationem tendit ad conſervandam perfectionem eſſentialem, determinatio autem ejusdem ad ſui perfectionem tendit ad acquirendum accidentalem (§. 34.) & ex adverſo determinatio facultatis averſandi naturalis ad averſandum ea, quæ conſervationi ſui quomodocunque contrariantur, tendit ad impediendum imperfectionem eſſentialem & determinatio ejusdem ad averſandum ea, quæ perfectioni ſui quomodocunque adverſantur, tendit ad avertendam imperfectionem accidentalem (§. 35.), lex vero naturæ nos obligat ad committendas actiones, quæ per ſe ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt, & ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri tendunt (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *ex naturali determinatione appetitus & averſationis*, conſequenter *ex inclinationibus* (§. 31.) *& reclinationibus naturalibus omnium hominum communibus* (§. 33.) *perſpicitur, quomodo lex naturæ in ipſa hominis natura radicetur* (§. 145. *Coſmol.*).

Quodſi naturam humanam radicitus excutias, eo clarius eluceſcit, quomodo ipſa natura conſtitutum jus ſit, & quomodo obligatio naturalis ab eadem veniat. Immo ſi acumen noſtrum deſiderari minime patiamur, ex iis, quæ hactenus demonſtrata ſunt, ſimul apparet, quænam ſit hominis aptitudo naturalis ad actiones legi naturæ convenienter determinandas, & ſic tandem conſpicitur, quomodo abuſui libertatis tribuenda ſit legis naturæ transgreſſio. Taceo alia huc ſpectantia, quæ inde ulterius conſequuntur. Sed hiſce omnibus uberior lux affundetur per ea, quæ in ſequentibus demonſtrantur. Velim autem, ut illi, qui in legendis noſtris aſſidui ſunt, advertant, quam pulchre ſibi omnia, quæ paſſim de eadem re traduntur, conſtent, quanta ſit doctrinarum noſtrarum concordia, quam fœcundæ ſint notiones noſtræ & quanto lumine perfundatur intellectus continuata earundem evolutione. Natura hominem

minem aptum facit ad obſervantiam legis naturæ, quatenus ipſi eſt naturalis inclinatio ad ſui perfectionem & reclinatio ab imperfectione, ac præterea ineſt intellectus per modum diſpoſitionis naturalis, ad quam in habitum convertendam, ut quænam actiones tendant ad perfectionem, quænam ad imperfectionem ſui atque ſtatus ſui, diſtincte cognoſcere poſſit, ipſa iſta inclinatio & reclinatio naturalis ducit. Ceterum ex hactenus demonſtratis quoque apparet, quod lex naturæ, dum urget ſui perfectionem, quoque urgeat conſervationem perfectionis naturalis, non modo acquiſitionem accidentalis, & per conſequens conſervationem ſui, ſine qua perfectio naturalis conſiſtere nequit. Quando igitur ſummam Juris naturæ reducimus ad hanc regulam, committendas eſſe actiones, quæ ad perfectionem noſtram atque ſtatus noſtri tendunt, omittendas vero, quæ ad imperfectionem tendunt, regula iſta dici nequit minus adæquata, quaſi non extendatur ad conſervationem ſui, quæ tamen magnum momentum habet in Jure naturæ.

§. 37.

De perfectione ſtatus externi cum perfectione ſui connexa.

Perfectio ſui exigit perfectionem ſtatus externi & ex parte cum ea ponitur. Nemo eſt, qui neſciat, ad conſervationem perfectionis eſſentialis, quæ a conſervatione ſui tota pendet (§. 34.), & ad acquirendum accidentalem nos variis indigere rebus ac aliorum hominum ope & auxilio (§. 220. *part. 1. ſui connexa. Phil. prac. univ.*). Res quibus indigemus ad nos conſervandum & perficiendum, non minus, ac conſuetudo cum iis, quorum auxilio & conſilio juvamur, ad ſtatum externum pertinent. Et ad eundem quoque pertinet exiſtimatio & honor, aliorum de perfectione noſtra judicium ejusdemque ſignificatio (§. 538 *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ſtatus externus perficiatur, ſi acquiruntur res ad nos conſervandum & perficiendum requiſitæ, ſi aliorum benevolentiam

nobis conciliamus, quorum auxilio & consilio, quando eodem opus habemus, juvari possumus, si nos honore dignos præstemus; evidens est perfectionem sui exigere perfectionem status externi & ex parte cum ea poni.

Ea, quæ ad statum externum hominis pertinent, partim se habent per modum medii, partim sunt necessarium consequens perfectionis nostræ. Ac inde apparet, cur lex naturæ non modo urgeat perfectionem nostram, verum etiam perfectionem status nostri externi. Manifestum quoque est, perfectionem status externi, quam urget lex naturæ, æstimandam esse ex perfectione nostra, ad quam ea refertur. Cum vero unusquisque hominum ad perfectionem alterius statusque ipsius conferre obligetur, quantum conferre valet (§. 222. *part. I. phil. pract. univ.*), & homini naturale sit, ut sit utilis aliis (§. 221. *part. I. Phil. pract. univ.*); ad perfectionem hominis quoque pertinet potentia inserviendi aliis, hoc est, ope, auxilio & consilio juvandi alios. Hujus igitur in perficiendo statu externo habenda quoque ratio est. Ita pecunia, quibus comparantur res ac operæ omnes, quibus indigemus, non modo acquiritur, ut nostræ indigentiæ prospiciatur, verum etiam ut alienæ consulatur: id quod multis modis fieri posse cum experientia loquitur, tum suo loco disertius ostendetur.

§. 38.

De naturali determinatione appetitus ad perficiendum statum externum & vitandum ejus imperfectionem.

Quoniam perfectio sui exigit perfectionem status externi & ex parte cum ea ponitur (§. 37.), *appetitus* vero *hominis* determinatus est ad conservandum perfectionem essentialem & ad acquirendum accidentalem (§. 34.); idem quoque *determinatus est ad perficiendum statum externum*, consequenter *facultas* etiam *aversandi determinata est ad avertendum imperfectionem status externi.*

Determinatio appetitus consistit in possibilitate appetendi & determi-

determinatio averſationis in poſſibilitate averſandi. Ut vero actu quid appetamus, vel averſemur, neceſſe eſt ut idem cognoſcamus & tanquam appetibile, vel averſabile agnoſcamus. Neque enim ignoti ulla datur appetitio, vel averſio, nec appetitum movet, niſi quod bonum agnoſcitur, nec facultatem averſandi, niſi quod pro malo habetur (§. 904. 907. *Pſych. empir.*). Hinc *determinationes naturales appetitus & averſationis* duplices ſunt, aliæ *immediatæ*, quæ per ſe inſunt animæ, nec ab aliis dependent, aliæ vero *mediatæ*, quæ in aliis contentæ, & ab aliis dependent. Ita determinatio appetitus ad ſe conſervandum immediata eſt, quemadmodum & determinatio ad ſe multiplicandum. Ac ideo ſtimulo excitatur actus, fame nimirum ac ſiti & æſtu venereo. Aſt determinatio mediata eſt determinatio ad perficiendum ſtatum externum, quæ ex determinatione ad ſe conſervandum & perficiendum fluit, ut ideo nullo peculiari ſtimulo opus ſit ad actum excitandum. Hæc probe expendenda ſunt, ut naturam animæ intime perſpiciamus, atque agnoſcamus, quæ homini natura inſunt, & quænam demum ſtudio acquirenda. Et ut acute diſtinguantur omnia, neceſſe eſt, ut quæ ad poſſibilitatem ſpectant probe diſcernantur ab iis, quæ ad actualitatem referenda, ſeu, quod perinde eſt, ut poſſibilitas intrinſeca & extrinſeca accurate a ſe invicem ſeparentur. Id enim philoſophi opus eſt (§. 29. *Diſc. prælim.*), nec aliter ad certam rerum cognitionem pervenitur.

§. 39.

De naturali determinatione appetitus ad ſocietatem & ad inſerviendum aliis.

Determinationi appetitus ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem naturaliter ineſt ejusdem determinatio ad appetendam ſocietatem & ad inſerviendum aliis. Etenim nemo hominum ſolus ſe ſtatumque ſuum perficere poteſt, ſed unusquisque auxilio aliorum indiget, nec niſi conjunctis viribus perfectio iſta obtineri poteſt (§. 220. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quam-

Quamobrem qui appetit ſui conſervationem & perfectionem; is quoque appetere debet aliorum auxilium, quo ad eam indiget, & conjunctionem virium ſuarum cum alienis ad ſe mutuo conſervandum & peficiendum. Enimvero ſi quis alios ſibi adjungit ad ſe conſervandum & perficiendum atque conjunctis viribus quidam ſe mutuo conſervare & perficere ſtudent, ſocietatem inſtituunt (§. 1. *part. 7. Jur. nat.*), & ipſa natura ſocietatem inter homines inſtituit (§. 138. *part. 7. Jur. nat.*). Quamobrem dum appetitus determinatus eſt naturaliter ad ſui conſervationem & perfectionem, eo ipſo quoque determinatus intelligitur ad appetendum ſocietatem & ad inſerviendum aliis. Immo cum ex conſuetudine cum aliis voluptatem percipi conſtet, naturaliter autem appetitus feratur in id, quod voluptatem nobis creat (§. 591. *Pſych. empir.*); appetitus quoque naturaliter determinata eſt ad appetendum ſocietatem. Et non abſimili modo patet, determinationi appetitus ad ſui perfectionem ineſſe determinationem ad inſerviendum aliis, quatenus utique potentia inſerviendi aliis perfectio eſt, cujus ſenſus voluptatem parit (§. 511. *Pſych. empir.*). *Quod erat unum.*

Enimvero nemo ſolus ſe multiplicare poteſt, ſed ad hoc requiritur conjunctio maris & fœminæ, conjunctim prolem procreantium & educantium. Quamobrem determinationi naturali appetitus ad ſui multiplicationem ineſt quoque determinatio appetitus ad ſocietatem ſobolis procreandæ & educandæ gratia (§. 1. *part. 7. Jur. nat.*). *Quod erat alterum.*

Homo per naturam ſuam utilis eſſe debet aliis, & aliis inſerviendo utilis eſt ſibimetipſi. Atque ea in re differt a brutis, quorum natura paucis contenta eſt & quæ multarum perfectionum

Alessandro Bertrand, ex direttore dei ponti & strade, ingegnere in capo, membro dell'accademia delle scienze, lettere & belle arti di Digione, corrispondente dell'istituto, membro della società filomatica di Parigi, ecc. ecc. ecc.

terminatum esse ex fine, cujus causa eadem est. Atque inde fluit differentia inter determinationem appetitus ad societatem in hominibus & brutis.

§. 40.

De naturali determinatione ad aversandum solitariam vitam & nocendum aliis.

Quoniam determinationi appetitus ad sui conservationem, perfectionem & multiplicationem inest ejusdem determinatio ad appetendum societatem & ad inserviendum aliis (§. 39.), impossibile vero est, ut idem simul sit & non sit (§. 28. *Ontol.*); *facultas aversandi naturaliter determinata est ad aversandam vitam solitariam & ad non nocendum aliis.*

Non est, quod excipias, si homo inter ursos educetur, eum vitam solitariam non aversari per ea, quæ alibi diximus (§. 461. *Psych. rat.*). Etenim appetitus societatis vim suam exerere nequit, nisi cognoscatur id, cujus causa ea necessaria est, cum in genere constet, appetitum non ferri in incognitum. Determinationes naturales appetitus & inde pendentis aversationis concipiuntur inesse per modum potentiæ (*not.* §. 38.). Quamobrem si actu poni debet iisdem conformis appetitio, vel aversio, necesse est ut adsint rationes ad traducendum potentiam ad actum sufficientes. Hæ cum deficiant, si homo inter ursos educatus in solitudine hinc inde errat, nec consortii cum hominibus ideam adhuc habet, mirum sane non est, quod naturalis determinationis ad aversandam vitam solitariam nulla indicia præbeat. Quando facultatem aversandi naturaliter determinatam esse dicimus ad non nocendum aliis, seu homini tribuitur horror quidam naturalis nocendi aliis; nullus dubito, fore plerosque, quibus non modo paradoxa, sed a veritate prorsus aliena videbitur assertio. Existimabunt enim hominem potius naturaliter delectari nocumento aliorum & ideo appetitum naturaliter in idem ferri, aversari autem studium inserviendi aliis. Enimvero hi non perpendunt, conservationem & perfectionem nostram ab ope & auxilio aliorum

ita

ita dependere, ut ſine alieno adjutorio vitam hominis vivere minime poſſimus, ita ut qui intendit conſervationem & perfectionem ſui tanquam finem ſeratur quoque in conſervationem & perfectionem aliorum tanquam medium (§. 941. *Ontol.*). Naturale igitur eſt homini, ut proſit aliis, quia naturale eſt ut proſit ſibi. Aſt nocere aliis & ſtudium inſerviendi iisdem averſari contra naturam eſt, quæ arctiſſimo vinculo homines conjungendo univerſorum conſervationem & perfectionem intendit nonniſi conjunctis viribus obtinendam. Quamobrem non naturæ, ſed corruptioni hominis tribuendum, ſi aliis nocere intendit & a ſtudio inſerviendi aliis abhorret, quemadmodum ſuo loco clarius eluceſcet, & ex iis jam colligitur, quod voluntatis & noluntatis corruptio dependeat a vitio intellectus (§. 15.). Quod vero a vitio intellectus ortum trahit, naturæ humanæ tribui nequit. Sed ut hoc intimius perſpiciamus, in latebras & receſſus in animis hominum accuratius inquirendum. Utile hic quoque eſt in memoriam revocari ea, quæ de differentia inter determinationes appetitus & averſationis mediatas & immediatas diximus, quatenus naturales ſunt (*not.* §. 38.). Ita nimirum apparebit, homines contra determinationem mediatam elicere appetitionem & averſionem, dum immediatam ſequuntur, quia huic intenti animum ab illa abducunt. Qui certum eligit vitæ genus, ut acquirat ea, quibus ipſemet indiget, natura huc ducitur, ut, dum ſibi prodeſſe vult, proſit etiam aliis, qui ipſius opera atque labore indigent. Aſt dum animum unice attendit ad ea, quæ ſe reſpiciunt, eundem avertit ab iis, quæ reſpiciunt alios. Quamobrem ſi in actiones ipſius quidpiam irrepit, quo nocetur aliis, vel commodum aliorum negligitur; id contrariatur determinationi naturali appetitus immediatæ, qua ad certum vitæ genus ſequendum ducebatur. Atque in hac contrarietate imperfectio conſiſtit, quæ per naturam homini non ineſt, neque ideo naturæ humanæ tribui poteſt. Non diffiteor hæc ſubtiliora multis viſum iri, quam ut ea ſtatim capere poſſint: ſpero

tamen eos, qui in operibus noſtris anterioribus ſatis fuerint verſati, nec in hiſce, quæ in Ethica traduntur, induſtriam ſuam deſiderari patientur, veritatem aſſerti noſtri perſpecturos.

§. 41.

De regimine inclinationum & reclinationum communium.

Intellectus regere debet inclinationes & reclinationes naturales communes. Inclinationes enim naturales communes ſunt appetitus determinationes ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem (§. 31.), & per conſequens ad conſervandam perfectionem naturalem & acquirendam accidentalem (§. 34.), atque ad appetendum ſocietatem & ad inſerviendum aliis (§. 39.). Enimvero niſi appetitus degenerare debeat, ſed in id ferri, ad quod per naturam determinatur; neceſſe eſt, ut cognoſcamus, quæ ad conſervationem noſtram & conſervandam perfectionem eſſentialem faciunt, & quænam ad acquirendam accidentalem requiruntur, quænam denique ad ſocietatis cuſtodiam neceſſaria ſint & quomodo ſtudio inſerviendi aliis nobismet ipſis proſimus. Nemo eſt, qui neſciat, non ſenſui, ſed intellectui deberi iſtam cognitionem, utut intellectus miniſterio ſenſuum utatur (§. 14. *part. 1. Ethic.*). Quodſi ergo appetitus degenerare non debeat, intellectus regere debet inclinationes naturales communes. *Quod erat unum.*

Similiter reclinationes naturales communes ſunt determinationes naturales facultatis averſandi ad averſandum ea, quæ conſervationi, perfectioni & multiplicationi ſui contrariantur (§. 33.) & per conſequens ad impediendam imperfectionem eſſentialem & avertendam accidentalem (§. 35.), atque ad averſandum vitam ſolitariam & ad non nocendum aliis (§. 40.). Enimvero niſi facultas averſandi degenerare debe-

debeat, ſed ab eo abhorrere, a quo per naturam reclinatur; neceſſe eſt, ut agnoſcamus, quænam conſervationi noſtræ & perfectioni eſſentiali ab ea pendenti adverſantur, eamque deſtruunt, quænam imperfectionem accidentalem inducunt, quænam vita ſolitaria incommoda poſt ſe trahat & quænam ex damno aliis dato in nos redundent mala. Nemo eſt, qui neſciat, non ſenſui, ſed intellectui deberi iſtam cognitionem, utut intellectus miniſterio ſenſuum, ſicuti ceterarum facultatum inferiorum & intermediarum miniſterio utatur (§. 14. *part. 1. Ethic.*). Quodſi ergo facultas averſandi degenerare non debeat, intellectus regere debet reclinationes naturales communes. *Quod erat alterum.*

Inclinationes & reclinationes naturales communes in ſe nihil vitii habent, cum per eas poſſibile ſit, ut appetitus feratur in id, ad quod ferri debet, & averſatio fugiat, quod fugere debet. Quoniam vero appetitus & averſatio ſupponunt boni & mali repræſentationem, per ipſam harum facultatum legem (§. 904. 907. *Pſych. empir.*), ſi actus utriusque facultatis in caſu dato eliciendus, intellectus judicio opus eſt, ne is declinet a meta, ad quam naturaliter tendit appetitus & averſationis determinatio. Intellectus igitur eſt regere inclinationes & reclinationes naturales communes. Quodſi is a vero aberret, vitio intellectus appetitus & averſatio non attingit metam, ad quam naturaliter dirigebatur, & ſic degenerat, intellectu nimirum facultatem appetendi & averſandi aliorſum dirigente, quam natura eandem dirigebat. Atque inde eſt, quod malum appetat homo ſub ratione boni, bonum vero averſetur ſub ratione mali. Ut non appetat niſi bonum verum, nec averſetur niſi malum verum, intellectui relictum, cujus eſt bonum a malo accurate diſcernere. Neque natura accuſari poteſt, quod appetitus & averſatio naturaliter ita determinetur, ut regimine intellectus habeat opus, intellectus

autem utramque facultatem male regere poſſit. Etenim fieri nequit, ut aliquid appetamus, niſi id agnoſcamus tanquam bonum, aut averſemur, niſi id agnoſcamus tanquam malum, vi ipſius principii rationis ſufficientis (§. 70. *Ontol.*). Intellectus autem uſus naturaliter per ipſam eſſentiam hominis ineſſe nequit, ſed demum acquirendus, notio autem boni & mali, quæ a ſenſu ortum trahit, ſeductrix evadere (§. 6. 7.), & nonniſi recto intellectus uſu impediri poteſt, ne evadat.

§. 42.

De modo impediendi, ne inclinationes & reclinationes, degenerent.

Quoniam intellectus *inclinationes & reclinationes naturales communes* regere debet (§. 41.); *ne* eædem *degenerent, intellectus perficiendus, ut recto ejus uſu boni & mali ſcientiam nobis comparare valeamus.*

Patet itaque naturales quo remedio ſit utendum, ne inclinationes & reclinationes naturales, quæ in ſe nihil vitii habent, degenerent & labe quadam inficiantur, qua natura carent. Eſſentia & natura a Deo eſt, rerum omnium autore & creatore ac conſervatore. Quicquid vero a Deo eſt, mali omnis expers eſt. Quodſi ergo labe quadam infectum deprehenditur, alia depravationis cauſa eſt. Sane ſi inclinationibus & reclinationibus naturalibus labes in ſe inhæreret, fieri minime poſſet, ut homo non appeteret malum ſub ratione boni & averſaretur bonum ſub ratione mali, quod tamen præcaveri poſſe experimur. Etenim ſi appetitus determinatus eſſet ad appetendum malum, quod ſpeciem boni mentitur, & averſatio determinata eſſet ad averſandum bonum, quod ſpeciem mali mentitur, ita ut homini naturale eſſet appetere malum ſub ratione boni & averſari bonum ſub ratione mali; nullum foret intellectus regimen, ſed homo ſemper ſequi teneretur determinationem naturalem. Quod enim naturale eſt, id a nobis mutari nequit. Atque hinc apparet, quam ſit neceſſe, ut intellectus perficiatur, ne inclinationes & reclinationes naturales

degene-

degenerent & voluntas atque noluntas corrumpatur. Unde porro patet ratio, cur tam operoſe in parte prima Ethicæ de intellectu perficiendo & recto ejus uſu egerimus, quodque iſta tractatio pertineat ad philoſophiam moralem & ab eadem fuerit exordiendum.

§. 43.

Bonum conſervativum dicitur, quod facit ad conſervationem perfectionis eſſentialis. Quamobrem cum *res omnes, quibus corpus noſtrum conſervatur*, faciant ad conſervationem perfectionis eſſentialis, utpote a conſervatione ſtructuræ corporis & organorum ejus pendentis, prouti ex demonſtratione ſuperiori de determinatione appetitus ad ſui conſervationem tendente ad conſervandam perfectionem eſſentialem liquet (§. 34.); eædem *bonæ ſunt, & uſus earum bonus eſt, quando eodem corpus conſervatur, aut ad ejus conſervationem aliquid confertur, aſt abuſus earundum malus eſt, quando ſcilicet conſervationi perfectionis eſſentialis, vel alio quocunque modo ad imperfectionem noſtram vel ſtatus noſtri, aut etiam aliorum tendit.* *De bono conſervativo.*

E. gr. Cibo ac potu indigemus ad conſervationem noſtri: qui itaque ad eandem conducit, bonus eſt. Et ſi eodem modice utamur, hoc eſt, ea quantitate, quæ ſanitati conſervandæ ſufficit, nec quicquam incommodi corpori parit; uſus cibi atque potus illius bonus eſt, immo per eam quantitatem uſus determinatur legitimus. Enimvero ſi nimio cibo vel potu oneretur ventriculus, ut varia inde oriantur incommoda, vel ſi ob utilitatem in eroganda pecunia modum excedimus, uſus vertitur in abuſum, atque tum malum eſt ea quantitate cibo ac potu quamvis alias ſalubri, vel etiam ejusdem qualitatis reſpectu patrimonii noſtri frui. Patet itaque, quomodo bonum conſervativum degenerare poſſit in malum. Quamobrem in eo æſtimando multa cautione opus eſt. In fruitione boni conſer-

conſervativi excedi poteſt & exceſſus quod in ſe ſpectatum bonum eſt, idem in malum vertit. Et quoniam ejus fruitio ut bona ſit exigit, ne in ea quicquam committatur, quod officio cuidam ſive erga nos, ſive erga alios repugnat, ideo bonum conſervativum in ſe conſiderari non ſufficit.

§. 44.

Ad quamnam inclinationem naturalem referatur bonum conſervativum.

Quoniam bonum conſervativum facit ad conſervationem perfectionis eſſentialis (§. 43.), determinatio autem appetitus ad ſui conſervationem tendit ad conſervationem perfectionis eſſentialis (§. 34.); *bonum conſervativum refertur ad appetitum, quatenus determinatus eſt ad noſtram conſervationem*, conſequenter *ad inclinationem naturalem ſe conſervandi* (§. 31.).

Probe notandum eſt, quomodo bonum referatur ad appetitum: ex eo enim non modo intelligitur, quamnam vim habeat ad appetitum movendum, hoc eſt actum ejus eliciendum, verum etiam ratio aberrationum appetitus circa bonum conſervativum conſpicitur, ut taceam alia ex iis, quæ ſequuntur, manifeſta.

§. 45.

Cur bonum conſervativum per ſe non moveat appetitum.

Similiter quia bonum conſervativum facit ad conſervationem perfectionis eſſentialis (§. 43.), appetitus vero tendit ad eam conſervandam, quatenus determinatus eſt ad ſui conſervationem (§. 34.), in qua conſervatio perfectionis eſſentialis continetur, quemadmodum ex demonſtratione ſuperiori (§. *cit.*) magis eluceſcit, ideoque perfectionis eſſentialis nobis conſcii non ſumus; *ex bono conſervativo qua tali voluptas non percipitur* (§. 511. *Pſych. empir.*), conſequenter cum ab initio *ante intellectus* ſcilicet *uſum*, qui homini natura non ineſt, ſed demum acquirendus (§. 199. *Part. 1. Jur. nat.*), bonum

bonum non diſcernatur a malo niſi ex eo, quod voluptatem parit (§. 4.), *bonum conſervativum non agnoſcitur, neque immediate appetitur* (§. 904 *Pſych. empir.*), conſequenter *ad excitandum appetitum ad ſui conſervationem ſtimulo opus eſt, fame* ſcilicet *atque ſiti, donec conſuetudine adducamur ad appetendum ea, quæ ad conſervationem ſui* (§. 922. 923. *Pſych. empir.*), & per conſequens *ad conſervandam perfectionem eſſentialem exiguntur.* Atque hinc eſt, *quod bonum conſervativum rectius agnoſcatur ex ejus oppoſito.*

Perfectio corporis qua humani ſupponit integritatem omnium organorum corporis (§. 339. *part. 1. Jur. nat.*), quæ in ſtructura minime vitiata conſiſtit (§. 320. *part. 1. Jur. nat.*), & ſingulorum organorum perfectio abſolvitur aptitudine ad eas functiones, quarum per ſtructuram ſuam ſunt capacia (§. 317. 323. 330. *part. 1. Jur. nat.* & 278. *Coſmol.*). Quamobrem facile patet perfectionem eſſentialem (§. 331. *part. 1. Jur. nat.*) per ſe in ſenſum non cadere & ante intellectus uſum non agnoſci, nec attentionem noſtram in ſe trahere. Immo quam pauci ſunt, qui, ubi intellectus uſus compotes facti, perfectionem eſſentialem cognoſcere ſtudent, & ſi vel maxime eam cognoverint, de eadem cogitant? Status ille corporis, quo ſingulæ ipſius partes munere ſuo rite funguntur, ſanitas eſt (§. 345 *prvt. 1. Jur. nat.*), quæ utique in bonorum numero non infimum ſibi locum vindicat. Aſt quot, quæſo, ſunt, qui ſanitatem tanti æſtimant, quanti æſtimare eandem debent, qui de eadem cogitant, quamdiu ſani ſunt, & eadem delectantur? Hinc appetitus ſanitatis admodum languidus eſt & vix ac ne vix quidem immediate in eandem is fertur, cum naturaliter non niſi mediate ad eam tendat, dum ſtimulo excitatus fertur in conſervationem ſui, donec conſuetudo ipſius vicem ſubit. Quomodo fieri poſſit, ut conſuetudo vicem ſtimuli ſubeat, patet ex iis, quæ olim alibi demonſtravimus (§. 922. 923. *Pſych. empir.*), id quod in præſenti brevitatis

vitatis cauſa expreſſius docere nolumus. Cum conſuetudo ſit habitus agendi ex determinatione præterita (§. 923. *Pſych. empir.*), actio vero omnis ex habitu proficiſcens ſuas habeat latebras (§. 73. *part. 1. Etb.*), et influxus actuum præteritorum animæ in actum præſentem ſit receſſus in animis hominum (§. 72. *Part. 1. Etbic.*); quomodo conſuetudo in præſenti caſu ſuccedat in locum ſtimuli intimius perſpiciet, qui ea obſervaverit, quæ de latebris & receſſibus in animis hominum cognoſcendis alibi demonſtravimus (§. 74. *& ſeq. Part. 1. Etb.*). Morbus ſanitati opponitur (§. 346. *part. 1. Jur. nat.*), qui corpus imperfectioni cuidam obnoxium reddens (§. 392. *Part. 1. Jur. nat.*) in malorum utique numero eſt (§. 565. *Pſych. empir.*). Idem vero magis ſentitur, quam ſanitas, ac ideo ſanitas quantum ſit bonum ex malo eidem oppoſito rectius agnoſcitur, ſed de eo ſuo loco diſertius dicemus. Multa hinc pendent, quæ ſuo loco inde deducenda. Quamobrem neceſſe eſt, ut, quæ hic dicuntur, recte perpendantur, ne hæreamus in iis, quæ alibi tradentur. Quando autem diximus bonum conſervativum immediate non appeti, ea relegenda ſunt, quæ de determinationibus naturalibus appetitus immediatis & mediatis ſupra annotavimus (§. 38.), ac præterea notandum eſt nos hic conſiderare appetitum, quatenus ſe habet ante intellectus uſum & ſepoſito intellectus uſu, ubi eundem acquiſivimus. Quodſi enim homo intellectu regere didicit inclinationes naturales communes, quemadmodum debet (§. 41.); fieri quoque poteſt, ut immediate appetamus bonum conſervativum eodemque delectemur.

§. 46.

Notio bonitatis rerum, quæ corpus conſervant,

Si ex uſu rerum, quibus corpus noſtrum conſervatur, voluptas ſenſuum percipitur, ſeu eædem ſenſum hilarant, ante intellectus uſum, aut abſque eodem recto, bonæ exiſtimantur, quia ſenſus hilarant. Etenim bonum conſervativum ante intellectus uſum non

non agnoſcitur, nec ex eo qua tali voluptas percipitur (§. 45.), conſequenter cum bonum conſervativum faciat ad conſervationem perfectionis eſſentialis, & res omnes, quibus corpus noſtrum conſervatur, aut ad ejus conſervationem quid confertur, bonæ ſint (§. 43.), ante intellectus uſum bonitas earum non agnoſcitur, nec ex iis, quatenus bonæ ſunt, voluptas percipitur. Enimvero cum ante intellectus uſum bonum non judicetur niſi id, quod voluptatem creat (§. 4.); ſi ex uſu rerum, quibus corpus noſtrum conſervatur, voluptas ſenſuum percipitur, ſeu eædem ſenſus hilarant, ante intellectus uſum & quod perinde eſt, absque eodem recto, eædem bonæ exiſtimantur, quia ſenſus hilarant. *Ante intellectus uſum.*

Patet hinc, quomodo notio bonitatis rerum, ad quarum uſum ducit determinatio appetitus ad ſui conſervationem, erronea ingignatur menti noſtræ. Vera notio hæc erat, res iſtas eſſe bonas, quia faciunt ad conſervationem perfectionis eſſentialis, immo etiam accidentalis a nobis acquiſitæ, cum utraque *ſine* conſervatione corporis ſubſiſtere nequeat. Aſt huic ſubſtituitur erronea, res illas eſſe bonas, quia delectationes ſenſuales pariunt: quæ cum influat in appetitum, eundem corrumpit, ut is intellectu notione deceptrice utente feratur in malum (§. 6.). Et ſola experientia docere poteſt, quanta ideo lues polluat actiones humanas.

§. 47.

Quoniam aute intellectus uſum, aut absque eodem recto, res, quæ faciunt ad conſervationem corporis, bonæ exiſtimantur, quia ſenſus hilarant (§. 46.), cibo autem ac potu indigemus ad conſervationem corporis; *ante intellectus uſum aut absque eodem recto cibi ac potus judicantur boni ex ſapore grato, & qualitatibus aliis, quæ ſenſus delectant.* Cumque ſic adſue- *Cur ex ſapore & alimentis qualitatibus ſenſibilibus homines res bonas diſcant.*

adſueſcamus de bonitate rerum ſtatuere ex delectationibus ſenſualibus; ideo *in genere bonum habetur, quod ſenſus delectat.*

Liquet inde, quomodo contingat, ut homines non modo cibum atque potum judicent bonum, qui bene ſapit, & alio quocunque modo ſenſus delectat; verum etiam hoc præjudicium extendatur ad res alias quascunque. Et quoniam hoc præjudicium radicatur in animis hominum, antequam intellectus uſus ſeſe exerit; ideo homini quaſi naturale videtur, ut, quod ſenſus hilarat, pro bono habeat, conſuetudine ante intellectus uſum contracta, cum attentione & acumine ad reflexionem ſufficiente uti nondum poteſt, veluti in naturam degenerante, ut in hoc maxime caſu conſuetudo dicenda ſit altera natura. Quamobrem nec mirum ut, quando deinde uſus intellectus acquiritur, in ratiocinando de bonitate rerum notione iſta tanquam innata utantur homines, quod bonum ſit, quicquid ſenſus delectat, aut, ſi mavis, hilarat.

§. 48.

Cur cibus ac potus appetatur, quia bene ſapit & aliis qualitatibus ſe ſenſibus commendat.

Quia *homines* ante intellectus uſum cibum ac potum bonum judicant ex eo, quod bene ſapit & ex aliis qualitatibus ſenſibilibus, quæ ſenſus hilarant (§. 47.), appetitus vero fertur in id, quod bonum videtur (§. 904. *Pſych. empir.*); ideo *ante intellectus uſum cibum ac potum appetere adſueſcunt, quia bene ſapit & aliæ qualitates ſenſum ſimul hilarant.* Cumque eadem notione utantur, ubi ad intellectus uſum pervenerunt, quando vera notione boni adhuc deſtituuntur, nec a præjudicio iſto ſeſe liberarunt; ideo quoque *ubi ad intellectus uſum pervenerunt, eodem tamen recte uti nondum didicerunt, cibum ac potum adhuc appetunt, quia bene ſapit aliisque qualitatibus ſenſibus ſeſe commendat.*

Nemo eſt, qui neſciat homines communiter ex ſapore de boni-

bonitate cibi ac potus ſtatuere, & dum appetitus in eundem fertur, vim in ipſum quoque ſuam exerere qualitates ſenſibiles alias, quæ ſenſus delectant, utut ob eas ſolas cibus ac potus non æſtimetur bonus. Quemadmodum vero alias oſtendimus, ſi nobis rem tanquam bonam confuſe repræſentamus, ideam boni ingredi voluptates quascunque ex re iſta, vel cum eadem antea ſimul perceptas (§. 593. *Pſycb. empir.*); ita quoque ſi præter guſtum alii ſenſus hilarantur a cibo quodam & potu, ideam boni omnes voluptates quocunque ſenſu perceptæ ingrediuntur præter eam, quam ſapor parit. Unde contingit cibum ac potum magis bonum videri, quam ob ſaporem haberi poteſt. Acquieſcimus autem in notione confuſa boni, quando adſuefimus ea appetere tanquam bona, quæ ſenſus oblectant.

§. 49.

De appetitione rerum, quæ ſenſus hilarant, & earum comparandarum cauſa in pecuniam.

Quoniam homines *ante intellectus uſum, aut recto intellectus uſu ſepoſito* in genere bonum eſſe opinantur, quod ſenſus delectat (§. 47.); *appetitus eorum fertur in res, quæ ſenſus delectant,* conſequenter *etiam in pecuniam, ut eas ſibi comparare poſſint.*

Experientia utrumque ſatis confirmat: videmus enim quotidie, quam avide homines appetant res, quæ ſunt ſenſuum oblectamenta, ſit ita quod non omnes æque delectent. Et cum unusquisque experiatur, ſine pecunia res iſtiusmodi comparari non poſſe, ideo quoque de pecunia acquirenda cogitant, ut eas ſibi comparare valeant. Pecuniam igitur appetunt, ut animi ſui deſideria explere queant. Enimvero hic oſtendendum erat, undenam iſta determinatio appetitus veniat, ut, quomodo ex naturali determinatione appetitus ad ſui conſervationem, quæ nihil vitii habet, ortum ſuum trahat, intelligatur. Pendent enim hinc multa alia, quæ ad praxin moralem ſpectant & in educatione liberorum magni ſunt momenti. Immo hinc quoque patet ratio, cur animantia bruta non adeo curent ſenſuum

oblactamenta, quemadmodum homines, nec determinatio appetitus ad ſui conſervationem & per conſequens ad conſervationem perfectionis eſſentialis vergat in deſtructionem ſui vel depravationem perfectionis. Bruta non utuntur niſi eodem cibi genere, prouti a natura offertur, & aquam potant. Quamobrem non videas, eos adhibere tantum cibi & potionis, ut vires opprimantur, ſed ut reficiantur. Abſit autem, ut inde colligas, ipſa ratione rectius uti hominibus. Neque enim rationis uſui hæc tribuenda ſunt, ſed ſequuntur bruta naturalem appetitus determinationem ad ſui conſervationem, deficiente cauſa, quæ eandem in transverſum agit. Ponamus homines non potare niſi aquam. Quilibet ultro concedet, nimiam potationem eos non delectaturam, ſicuti vino, aut cereviſiæ deditos. Ecquis unquam vidit conciliabula aquas potantium, quamvis ordinarius eorum potus ſit aqua?

§. 50.

De perverſo modo determinandi cibi ac potus quantitatem.

Cum homines *ante intellectus uſum, aut recto intellectus uſu ſepoſito* cibum ac potum appetant, quia bene ſapit, & aliæ qualitates ſenſibiles, quæ ceteros ſenſus hilarant, appetitum ſtimulent (§. 48.); *in determinanda quantitate cibi ac potus guſtus & ceterorum ſenſuum eidem obſtetricantium judicium ſequuntur, ac ideo vino & cereviſiæ deditos extrema potatio delectat, & idem obſervamus in capiendis cibis guſtum hilarantibus.*

Quæ modo annotavimus (*not.* §. 49.) de brutis in capiendo cibo ac potu non excedentibus, quemadmodum hominibus ſolenne eſt, propoſitionem præſentem quoque illuſtrant. Depravatio nimirum appetitus, quæ in hominibus locum habet, in illa non cadit. Nocet hominibus intellectus, qui prodeſſe debebat, uſu ejus in abuſum converſo, quatenus ad ratiocinandum ſumunt notionem boni deceptricem (§. 6.), & ſic dato uno abſurdo ſequuntur plura. Sed plura de his dicenda erunt, quando ſuo loco de temperantia acturi ſumus.

§. 51.

Digitized by Google

§. 51.

Pecunia refertur ad bonum conſervativum, quatenus eadem comparantur res ad conſervationem noſtram neceſſariæ. Quoniam pro pecunia res quælibet comparari poſſunt (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter etiam illæ, quæ ad conſervationem ſui faciunt; eadem æquivalet quoque rebus, quibus ad conſervationem noſtram indigemus. Quoniam itaque res, quæ ad conſervationem ſui pertinent, ad bonum conſervativum referuntur (§. 43.); pecunia quoque ad bonum conſervativum refertur, quatenus eadem comparantur res ad conſervationem ſui neceſſariæ. *Quo reſpectu pecunia ad bonum conſervativum referatur.*

Uſus nimirum pecuniæ tendit ad conſervationem ſui & per conſequens ad conſervationem perfectionis eſſentialis. Et hoc reſpectu perficit ſtatum noſtrum externum, ideoque verum bonum eſt (§. 557. *Pſycb. empir.*). Ut pecunia bona ſit, ab uſu habet: in ſe ſpectata, nec bona eſt, nec mala. Quamvis vero hic ſaltem ſpectemus uſum, quem habet in comparandis rebus ad conſervationem ſui neceſſariis; non tamen is ſolus eſt, qui pecuniam in verorum bonorum numero collocat. Aſt quoniam nunc ſaltem conſideramus bonum conſervativum; de alio uſu agendum eſt deinceps.

§. 52.

Quoniam pecunia refertur ad bonum conſervativum, quatenus eadem comparantur res ad conſervationem ſui neceſſariæ (§. 51.), appetitus vero hominis naturaliter determinatus eſt ad ſui conſervationem (§. 30.); *homini* quoque *naturale eſt, ut appetat pecuniam, quatenus eadem comparantur res ad conſervationem ſui neceſſariæ.* *Appetitus naturalis pecuniæ.*

Determinatio appetitus ad pecuniam ad eas pertinet, quas mediatas diximus in ſuperioribus (*not.* §. 38.). Supponit notitiam

titiam uſus, quo ignorato pecunia non movet appetitum. Ratio quamvis ſatis manifeſta ſit, modo recordemur eorum, quæ de appetitu abunde inculcata fuerunt; ipſa tamen quoque experientia idem docet in infantibus, quos pecunia non delectat, & qui rem nullius pretii ſenſum hilarantem nummo aureo præferunt Præferunt nimirum infantes & pueri infantiæ proximi ea, quæ ſenſus magis demulcent, eundemque morem tenent adulti, qui intellectu non magis utuntur, quam illis uti conceſſum (§. 4.). Videmus omnino homines pecuniam effundere delectationum ſenſualium cauſa, quam ad alios uſus convertere poterant.

§. 53.

De malo deſtructivo.

Malum deſtructivum, quod opponitur bono conſervativo, dicitur, quod perfectionem eſſentialem labefactat, vel funditus evertit, conſequenter hominem aut ſtatum ejusdem imperfectioni cuidam obnoxium reddit. Quamobrem cum *res omnes, quibus organa corporis quomodocunque vitiantur, ut functiones ſuas rite obire nequeant, vel corpus quomodocunque læditur*, perfectionem eſſentialem, utpote a conſervatione ſtructuræ corporis & organorum corporis pendentis vi demonſtrationis ſuperioris de determinatione appetitus ad ſui conſervationem tendente ad conſervandam perfectionem eſſentialem (§. 34.), labefactent, vel funditus evertant; eædem *malæ ſunt*. Et quoniam *abuſus rerum ad conſervationem corporis per ſe facientium* malus eſt, quando ſcilicet conſervationi perfectionis eſſentialis repugnat, vel alio quocunque modo imperfectionem homini, vel ſtatui ejusdem inducit (§. 43.) idem *ad malum deſtructivum pertinet.*

Ita cibus ac potus malus eſt, qui conſervationi corporis adverſatur. Et abuſus cibi ac potus, qui modice ſumtus ad conſervationem noſtram conducit, quatenus ſanitati nocet nimia

mia quantitas, malus eſt. Supra jam monuimus, quomodo bonum conſervativum degenerare poſſit in malum (*not.* §. 43.), ut idem hic repetendum non ſit.

§. 54.

Quoniam malum deſtructivum perfectionem eſſentialem labefactat, vel funditus evertit (§. 53.), determinatio autem facultatis averſandi ad averſandum ea, quæ conſervationi ſui quomodocunque contrariantur, tendit ad averſandum ea, quæ perfectioni eſſentiali adverſantur & ad impediendam imperfectionem eſſentialem (§. 35.) *malum deſtructivum refertur ad averſationem, quatenus determinata eſt ad averſandum ea, qua conſervationi ſui quomodocunque contrariantur*, conſequenter ad *reclinationem naturalem a deſtructione ſui* (§. 33.).

Ad quamnam reclinationem naturalem referatur malum deſtructivum.

Probe notandum eſt, quomodo malum deſtructivum referatur ad reclinationem naturalem: ex eo enim non modo intelligitur, quamnam vim habeat ad averſationem movendam, hoc eſt, actum ejus eliciendum; verum etiam ratio aberrationum averſationis circa malum deſtructivum perſpicitur, ut taceam alia ex iis, quæ ſequuntur, manifeſta.

§. 55.

Malum deſtructivum aliud *patens* eſt, quando organum corporis deprehenditur ineptum ad eum uſum, quem naturaliter habet, aut ex ejus læſione dolor percipitur: aliud vero *latens*, quando ignoramus, organum quoddam corporis ad eum uſum eſſe ineptum, quem naturaliter habet, aut ex ejus læſione nullus percipitur dolor, vel adeo parum doloris, ut *vix* ac ne vix quidem appercipiatur.

De malo deſtructivo patente & latente.

Malum deſtructivum patens eſt cœcitas: cœcus enim ſatis ſibi conſcius eſt ſe deſtitui uſu oculorum, dum videre nequit. Et idem intelligitur de quolibet organo ſenſorio reliquo. Si-

militer defectus organorum motoriorum in ſenſum occurrit, cum quilibet experiatur e. gr. manum aut pedem moveri non poſſe, aut nonniſi difficulter, vel non absque dolore moveri poſſe. Si vulnus infligitur corpori, dolorem percipimus. Contingit vero etiam, ut cum ineptitudine organi ad ſuum uſum dolor ſimul percipiatur, vel continuus, veluti fractis cruribus, vel tranſitorius, conatui ad motum conjunctus. Ex hisce abunde intelligitur, quomodo malum deſtructivum agnoſcatur. Enimvero ſi vis ventriculi labefactatur, ut cibos bene digerere non poſſit, malum deſtructivum latens eſt, nec per ſe in ſenſum incurrit, neque etiam vitium ventriculi dolorem cauſatur. Obtinet idem in aliis organis vitalibus.

§. 56.

Cur malum deſtructivum latens non averſemur.

Quoniam malum deſtructivum latens non agnoſcitur, ideo nec imperfectionis, cui corpus obnoxium redditur, nobis conſcii ſumus. Quamobrem cum tædium ſive moleſtia non oriatur, ſi imperfectionis, cui corpus obnoxium eſt, nobis minime conſcii ſumus (§. 518. *Pſych. empir.*); *ex malo deſtructivo latente nulla percipitur moleſtia*, conſequenter cum *ante intellectus uſum, aut eodem ſepoſito*, malum non agnoſcatur, niſi ex eo, quod moleſtiam creat (§. 4.), ante eundem, aut eodem ſepoſito, *malum deſtructivum latens non agnoſcitur*, conſequenter cum non averſemur niſi quod nobis tanquam malum repræſentamus (§. 901. *Pſych empir.*), *nec idem averſamur.*

Cibus inſalubris malum deſtructivum latens eſt (§. 55.). Si bene ſapit, avide appetitur: tantum abeſt, ut averſationi ullum locum relinquat. Idem obſervatur de cibo ſalubri, cujus nimia quantitas nocet. Gratus nimirum ſapor movet appetitum, ut feratur in nimium & omnem averſionem avertit. Cum enim ea plerorumque animos occupaverit opinio, in bono non poſſe committi exceſſum, ut apud Germanos in proverbium

verbium abierit, man könne des guten nicht zuviel thun; ſi ex delectatione ſenſuali æſtimatur bonum, veluti cibus bonus ex ſapore grato, a nimio non abhorret homo.

§. 57.

Quando organum corporis ineptum experimur ad eum uſum, quem habere debet, aut ex ejus læſione dolor percipitur, malum deſtructivum patens eſt (§. 55.). *Malum deſtructivum patens ante intellectus uſum, aut recto uſu deficiente, patens agnoſcitur, niſi ubi vel ipſimet in idem incidimus, vel alios eidem obnoxios obſervamus.* Unde porro conſequitur, ut *nec niſi ex præſenti molestiam percipiamus*, conſequenter *nec idem averſemur, niſi quando eidem vel ipſimet ſumus obnoxii, vel in aliis id obſervamus.* *Quomodo malum deſtructivum patens agnoſcitur & averſemur.*

Monuimus ante, cœcitatem eſſe malum deſtructivum patens, & tale quoque eſt ſurditas. Moleſtiam ex cœcitate & ſurditate non percipit, niſi qui cœcus & ſurdus eſt, vel, ubi cœcum, aut ſurdum videt, & incommoda inde ſecuta obſervat, vitium iſtud ad ſe refert. Neutram igitur averſamur, niſi ubi vel ipſimet in iſtud malum incidimus, vel alios eodem laborantes obſervamus. Idem intelligitur de vulneribus, quæ inter mala deſtructiva patentia referenda, quatenus dolorem faciunt.

§. 58.

Cum deficiente recto intellectus uſu malum deſtructivum latens non averſemur (§. 56.), patens autem non ante, quam ubi eidem vel ipſimet obnoxii reddimur, vel alios eidem obnoxios obſervamus (§. 57.), res autem, quibus organum corporis quocunque modo vitiatur, vel læditur, ad malum deſtructivum pertinent, quatenus ſcilicet eidem corpus noſtrum obnoxium faciunt (§. 53.); *deficiente recto intellectus* *Quando res averſemur, quæ malum deſtructivum cauſantur.*

ſtus uſu res iſtas, quæ organum aliquod corporis quomodocunque vitiant, vel lædunt, non averſamur, ſi malum deſtructivum latens cauſantur, nec ſi patens inferunt, antequam id actu fiat.

Deficit intellectus uſus rectus, quando omni uſu adhuc deſtituimur, quemadmodum in infantibus accidit, vel quando notione rei deſtituimur, ut de ea judicare, vel ex eadem ratiocinari minime valeamus. Tenendum vero eſt, uſum intellectus non eſſe rectum, ſi in ratiocinando ſumatur principium, quod verum non eſt, veluti ſi ex notione boni vel mali deceptrice ratiocinemur. Ita in præſenti uſus intellectus tum demum rectus eſt, ſi ſumamus rem eſſe malam, quæ nocet ſanitati, aut organum quoddam corporis lædit, ſeu definitione mali deſtructivi utamur (§. 53.), atque per judicium inde illatum noluntatem determinemus. Nemo autem non videt parum nobis proſpectum eſſe, ſi rem, quæ malum deſtructivum cauſatur, tunc demum agnoſcamus, ubi in idem incidimus, ut ideo maxime opus ſit, attenta mente obſervare idem in aliis, quamvis ſi ſola adhuc moleſtia movet facultatem averſandi, malum alienum plerumque parum moleſtum nobis accidat. Ubi vero res malum deſtructivum latens afferunt, ex iisdem nulla moleſtia percipi poteſt, conſequenter quamdiu malum non judicamus niſi ex eo, quod moleſtiam creat, nobis a nocumento parum cavere valemus.

§. 59.

Quodnam ſit maximum malum deſtructivum.

Inter mala deſtructiva mors omnium maximum. Etenim mors omnem corporis perfectionem funditus evertit (§. 368. *Part. 1. Jur. nat.*), ac ideo malum deſtructivum eſt (§. 53.). Quoniam vero malum omnium maximum eſt, quod corpori accidere poteſt (§. 752. *Part. 1. Jur. nat.*); inter mala deſtructiva omnium maximum.

Mors aufert omnium uſum organorum corporis, quem per ſtructu-

ſtructuram ſuam habere debent, & corruptioni eadem obnoxia facit, quemadmodum jam olim oſtendimus (§. 368. *Part. 1. Jur. nat.*) & quotidiana experientia adeo manifeſtum eſt, ut nemo ſit qui neſciat. Ac propterea nemo quoque eſt, qui non agnoſcat malum deſtructivum majus morte concipi non poſſe.

§. 60.

Quia inter mala deſtructiva mors omnium maximum eſt (§. 59.); *res* quoque *quæ mortem afferunt, maxime malæ ſunt, & hiſce proxima, quæ nos periculo mortis exponunt, quatenus malum deſtructivum ſpectatur.* *Quænam res reſpectu mali deſtructivi maxime malæ.*

Res, quæ mortem afferunt, ſunt venena, & his proximæ cibi & potus inſalubres, qui morbos periculoſos cauſantur, quamvis hi mali non ſint niſi reſpectu ſubjectorum, vel etiam pro diverſitate circumſtantiarum, ſubjecto manente eodem. Hiſce tamen rebus accenſenda non ſunt tela letifera, quibus homines abutuntur tanquam inſtrumentis ad interficiendum alios, cum ea non agant vi propria, ſed vi iisdem utentis, aut abutentis. Idem ſentiendum de rebus, quæ caſu hominem occidunt, veluti ſi regula vi venti dejecta capiti prætereuntis infligit vulnus lethale. Aſt reſpectu hominum fulmen & pulvis pyrius caſu accenſus in numerum rerum maxime malarum referuntur eodem jure, quo venena.

§. 61.

Bonum perfectivum dicitur, quod facit ad perfectionem accidentalem naturæ humanæ. Quoniam facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iisdem utendi (§. 209. *Part. 1. Jur. nat.*), ac idem valet de facultate locomotiva quatenus ejus uſus demum acquirendus (§. 328. *Part. 1. Jur. nat.*); *bonum perfectivum ſunt virtutes intellectuales & morales* (§. 277. 547. 548. *Part. 1. Jur. nat.*), *atque habitus facultatis loco* *De bono perfectivo.*

motivæ. Quamobrem cum *res omnes, quæ inſerviunt acquirendis habitibus facultatibus animæ & facultate locomotiva utendi, aut iisdem augendis atque exercendis*, faciant ad perfectionem hominis accidentalem (§. 331. *part. 1. Jur. nat.*); eædem *bonæ ſunt, & uſus earum bonus eſt, quando eodem habitus intellectuales, vel morales acquiruntur, aut ad eos perficiendos & exercendos quomodocunque conducunt.* Et quia virtus omnis habitus eſt actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), habitus vero omnis conſiſtit in agendi promptitudine (§. 428. *Pſych. empir.*); *omne bonum perfectivum redit ad promtitudinem facultatibus animæ & facultate locomotiva corporis legi naturali convenienter utendi*, & per conſequens *naturæ humanæ convenienter* (§. 188. *part. 1. Phil. pract. univ.*),

Lex naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales (§. 154. *part. 1. Phil. prat. univ.*), actiones autem naturales pendent a perfectione eſſentiali (§. 528. *Ontol.* & §. 12. *part. 1. Phil. pract. univ.*); actiones liberæ ad conſenſum cum naturalibus reductæ (§. 503. *Ontol.*), pendentes a perfectione animæ (§. 202. *part. 1. Jur. nat.*) & corporis accidentali (§. 331. *part. 1. Jur. nat.*), ſimul pendent a perfectione eſſentiali. Atque hinc ſimul intelligitur mutua boni conſervativi & perfectivi a ſe invicem dependentia (§. 43.). Sed demus exemplum rei, quæ bona eſt reſpectu boni perfectivi. Ad bonum perfectivum refertur utique cognitio rerum ſcitu neceſſariarum atque utilium. Liber itaque dicitur bonus, ex quo rerum utilium & neceſſariarum ſcientia hauriri poteſt. Similiter inſtrumentum aſtronomicum bonum dicitur, quatenus inſervit obſervationibus aſtronomicis accurate inſtituendis, cum ſic faciat ad exercitium artis obſervandi, quæ in virtutum intellectualium numero eſt (§. 322. *Part. 1. Ethic.*). Dicuntur autem res iſtiusmodi bonæ reſpectu noſtri

nam

nam in ſe ſpectatæ quoque bonæ dici poſſunt, quatenus ſunt aptæ ad eum uſum, quam habere debent, ut tunc bonum idem ſignificet quod perfectum. Hic vero bonitas priori ſenſu accipitur, quia res non movent appetitum, niſi quatenus bonæ quoad nos (§. 904. *Pſych. empir.*). Ita inſtrumentum aſtronomicum, quod obſervationibus aſtronomicis accurate inſtituendis inſervit, non appetitur niſi ab aſtronomo, cujus eſt obſervare phænomena cœleſtia. Qui enim artem obſervandi minime callet, aut cui obſervationibus aſtronomicis vacare non licet, cum is eodem non juvetur in exercenda arte, nec idem bonum reſpectu ſui judicat, & per conſequens nec idem appetit. Differt autem bonum conſervativum in eo a perfectivo, quod cum in illo excedi poſſit (*not.* §. 43.), in hoc exceſſus non habeat locum. Sed ut de eo multa dicamus, non opus eſſe videtur.

§. 62.

Quoniam bonum perfectivum facit ad perfectionem accidentalem naturæ humanæ (§. 61.), determinatio autem appetitus ad ſui perfectionem tendit ad acquirendam accidentalem (§. 34.); *bonum perfectivum refertur ad appetitum, quatenus determinatus eſt ad perfectionem noſtram*, conſequenter *ad inclinationem ſe perficiendi.*

Ad quam-nam inclinationem naturalem refertur bonum perfectivum.

Quod ſupra annotavimus de boni conſervativi ad appetitum relatione (*not.* §. 44.); idem quoque hic tenendum.

§. 63.

Quoniam bonum perfectivum facit ad perfectionem accidentalem naturæ humanæ (§. 61.), perfectio vero accidentalis ab habitibus acquiſitis tam quoad animam (§. 202. *part. 1. Jur. nat.*), quam quoad corpus venit (§. 331. *part. 1. Jur. nat.*), ad quos diſpoſitio naturalis exercitio evehitur (§. 430.

Quando bonum perfectivum movere nequeat appetitum.

(§. 430. *Pſych. empir.*), ideoque perfectionis accidentalis ante uſum intellectus, aut recto ejus uſu ſepoſito, nobis conſcii eſſe non poſſumus; *ex perfectione accidentali voluptas percipi nequit, niſi intellectu recte uti didicerimus* (§. 511. *Pſych. empir.*), cumque nec agnoſci poſſit, *bonum* quoque *perfectivum ante intellectus uſum, aut recto ejus uſu ſepoſito non agnoſcitur, neque* ideo *appeti poteſt* (§. 904. *Pſych. empir.*), conſequenter *ſi bonum perfectivum appetendum, neceſſe eſt ut idem agnoſcere ſtudeamus, & quamdiu hoc fieri nequit, qui educationi aliorum præſunt, ad idem acquirendum quocunque modo impellere & incitare eos debent, metu ſcilicet pœnarum & ſpe præmiorum* (§. 301. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Ad educationem pertinet, ut liberi adſuefiant exercitiis, quibus habitus animæ ac corporis acquiruntur, ſicque perfectionis accidentalis fiant participes, donec creſcente intellectus uſu bonum perfectivum ipſimet agnoſcant & appetitus eorum per idem moveatur (§. 904. *Pſych. empir.*). Facultates animæ perficiuntur acquirendo habitus iisdem utendi (§. 209. *part. 1. Jur. nat.*), & idem tenendum eſt de facultate locomotiva, cujus uſus directioni animæ ſubeſt (§. 315. *part. 1. Jur. nat.*). Natura homini ſaltem ineſt diſpoſitio, quæ mediante exercitio ad habitum evehitur (§. 430. *Pſych. empir.*). Diſpoſitio hæc cum conſiſtat in poſſibilitate acquirendi potentiam agendi (§. 426. *Pſych. empir.*), cum absque recto intellectus uſu homo agnoſcere nequeat, quid uſu facultatum naturali acquiſitu ſit poſſibile; de diſpoſitione naturali nullo modo cogitat, ideoque multo minus agnoſcit, quod hic vel iſte habitus, ad quem diſpoſitio evehenda, naturam ipſius perficiat. Nulla igitur ratio eſt, cur ex habitu utendi facultatibus animæ & facultate locomotiva voluptatem percipiat (§. 511. *Pſych. empir.*), & eadem appetitus determinetur ad eum acquirendum (§. 4. *b.* & §. 591. *Pſych. empir.*). Quot, quæſo, ſunt,

sunt, qui intellectus usum consecuti perfectionem accidentalem animæ & corporis distincte agnoscere studeant & intimius perspiciunt, ut eadem delectentur, non modo antequam ejus facti sunt compotes; verum etiam ubi eandem jam acquisiverunt? Acutis hic discernere licebit, quæ discernenda sunt, ut certo constet, unde oriatur voluptas, postquam habitus istos in specie satis expenderimus & cur ex iisdem agatur ostenderimus. Confirmat ea, quæ de bono perfectivo acquirendo diximus, quotidiana experientia, cum praxis communis idem inculcet.

§. 64.

Pecunia refertur ad bonum perfectivum, quatenus sumtus facere tenemur ad perfectionem accidentalem acquirendum. Etenim pro pecunia res & operæ quælibet comparari possunt (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*), consequenter etiam illæ, quibus indigemus ad perfectionem accidentalem acquirendam. Quamobrem cum pecunia æquivaleat rebus, quæ inserviunt perfectioni accidentali acquirendæ, consequenter comparandis, augendis & *exercendis* habitibus facultatibus animæ & facultate locomotiva utendi, quando ea de causa sumtus faciendi, res autem omnes referantur ad bonum perfectivum, quæ inserviunt habitibus utendi facultatibus animæ & facultate locomotiva acquirendis, augendis & exercendis (§. 61.); pecunia refertur ad bonum perfectivum, quatenus sumtus facere tenemur ad perfectionem accidentalem acquirendam.

Quo respectu refertur ad bonum perfectivum.

Eodem modo pecunia refertur ad bonum perfectivum, quo ad bonum conservativum. Quæ igitur de pecunia supra annotavimus, cum ostenderemus, quo respectu ad bonum conservativum referatur (*not.* §. 51.); eadem hic quoque notanda. Cum pecunia in se spectata nec bona, nec mala sit, sed ab usu habeat, ut dicatur bona, quatenus nimirum eadem

comperantur res &, quæ introductis dominiis hiſce æquiparantur, operæ (§. 437. *part. 2. Jur. nat.*), ad perfectionem noſtram quomodocunque requiſitæ; ideo hoc reſpectu in verorum bonorum numero collocatur. Et quia rebus & operis aliorum non minus ad perfectionem accidentalem, quam ad conſervationem ſui, conſequenter ad perfectionem eſſentialem conſervandam indigemus; ideo facile patet ratio, cur ad bonum non minus perfectivum, quam conſervativum referenda ſit, & in eandem bonitas ab utroque derivetur.

§. 65.

Quando appetitus pecuniæ ſit naturalis.

Quia pecunia refertur ad bonum perfectivum, quatenus ſumtus facere tenemur, ad perfectionem accidentalem acquirendum (§. 64.), appetitus vero hominis naturaliter determinatus eſt ad ſui perfectionem (§. 30.); *homini* quoque *naturale eſt, ut appetat pecuniam, quatenus ſumtus facere tenemur ad perfectionem accidentalem acquirendam.*

Monuimus jam ſupra (*not.* §. 52.), determinationem appetitus ad pecuniam ad mediatas pertinere, ac ideo pecuniam non movere appetitum niſi cognito ejus uſu. Cur vero accidat, ut quidam pecuniam propter ſe appetant, non vero uſus gratia, ſuo oſtendetur loco. Pertinet hoc ad corruptionem voluntatis acquiſitam, quæ hic nondum explicari poteſt.

§. 66.

De malo deformativo.

Malum deformans aut, ſi ita lubet, *deformativum*, quod opponitur bono conſervativo, dicitur, quod facit ad imperfectionem accidentalem naturæ humanæ. Eſtque vel *privativum*, quod conſiſtit in carentia perfectionis accidentalis, quæ acquiri poterat, conſequenter a non uſu facultatum pendet; vel *poſitivum*, quod conſiſtit in imperfectione accidentali acquiſita, conſequenter ab abuſu facultatum pendet;

Digitized by Google

det; vel denique *defectivum*, quod defectum quendam arguit in perfectione accidentali acquiſita, conſequenter bonum perfectivum labe quadam inficit. Cum virtutes intellectuales & morales atque habitus facultatis locomotivæ ſint bonum perfectivum, ideoque ad perfectionem accidentalem naturæ humanæ faciant (§. 61.); *carentia virtutum intellectualium & moralium & habituum locomotivæ facultatis, quos homo acquirere poterat, malum deformativum privativum ſunt*, itemque *carentia habituum facultatum animæ ad virtutes intellectuales & morales requiſitorum.* Et quia *vitia virtutibus oppoſita* ſunt habitus committendi actiones legi naturæ contrarias (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter in imperfectione accidentali acquiſita conſiſtunt (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 202. 331. *part. 1. Jur. nat.*); eadem *malum deformativum poſitivum ſunt.* Quoniam denique perfectio animæ conſiſtit in conſenſu omnium uſuum facultatum animæ tam ſuperiorum, quam inferiorum (§. 201. *part. 1. Jur. nat.*) & uſus facultatis locomotivæ omnis ſubeſt directioni animæ (§. 315. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter cum illis quoque conſentire debet; *ſi cum uſu facultatum concurrit quorundam abuſus, vel non uſus, habitus morales labe quadam inficiuntur*, cum nec prorſus boni ſint, nec mali, ſed prouti uſus, vel non uſus & abuſus prævalet, nunc propius ad bonos, nunc ad malos ſive pravos accedunt (§. 276. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque cum in actione recta nihil deſiderari debeat ex parte intellectus, voluntatis & noluntatis atque facultatis locomotivæ (§. 79. *part. 1. Phil. pract univ.*), *omnis defectus rectitudinis agendi ad malum defectivum pertinet.*

E. gr. ignorantia malum deformans privativum, error poſitivum eſt, opinio defectivum. Intemperantia malum poſitivum eſt, cibi inſalubris, quem talem eſſe ignoras, vel per erro-

rem pro ſalubri habes, fruitio malum defectivum. Dare eleemoſynam ut videaris ab hominibus, non ut ſubleves miſeriam petentis miſericordia permotus, malum defectivum eſt. Pertinet huc omnis actio externa legi naturæ conveniens, ſed quæ a rectitudine deficit quoad actus internos. Enimvero quæ hic de malo hominem deformante & diverſis ejus ſpeciebus dicuntur, ex ſpeciali tractatione clariſſime eluceſcent. Quando enim de virtutibus moralibus agendum erit, quinam ad eas requirantur habitus ſingularum facultatum diſtincte explicaturi ſumus, conſequenter etiam patebunt defectus non uſui, vel abuſui facultatuum tribuendi. Nolumus itaque in præſenti cumulare ea, quæ nondum ſufficienter intelligi poſſunt, ſuo autem loco demonſtranda erunt. Multa, quæ in parte prima Ethicæ de modo perficiendi intellectum & facultates eidem miniſtrantes atque de virtutibus intellectualibus demonſtrata & uberius declarata atque confirmata ſuut, non modo hiſce, quæ de malo deformante, verum etiam iis, quæ de bono tam conſervativo, quam perfectivo & iſti oppoſito malo deſtructivo dicta ſunt, lucem uberiorem affundunt.

§. 67.

De rebus malis reſpectu mali deformativi.

Quia malum deformativum facit ad imperfectionem naturæ humanæ (§. 66.); *ſi qua res perfectionem accidentalem quomodocunque labefactat, aut prorſus evertit, vel imperfectioni accidentali hominem obnoxium reddit, ea mala eſt*, cumque *ea omnia mala ſint, quæ quomodocunque impediunt, quo minus perfectio accidentalis acquiratur, aut quæ exercitium habituum utendi facultatibus noſtris acquiſitorum impediunt.*

Quemadmodum ſupra monuimus, duplicem ſpectari bonitatem rerum, quatenus conſiderantur ut in ſe & quatenus conſiderantur in relatione ad nos, ſeu reſpectu noſtri bonæ audi-

audiunt; ita idemquoque tenendum eſt de duplici reſpectu, quo res malæ dicuntur. Ita liber multis erroribus refertus malus eſt, ſi in ſe ſpectatur; aſt liber, qui multa obſcœna continet & cujus lectione corrumpuntur mores legentium, reſpective malus eſt. Similiter conſuetudo cum hominibus pravis & familiaritas mala eſt, quatenus corrumpit mores & vitiis aliorum adſueſcimus. Omnia virtutum impedimenta mala ſunt, ſicuti etiam omnia, quæ ad vitia ſeducunt. Facile patet, quemadmodum modo annotavimus (*not.* §. 66.); talibus ex ſpeciali tractatione uberiorem lucem affulſuram.

§. 68.

Quoniam malum deformativum facit ad imperfectionem accidentalem naturæ humanæ, tum quatenus eidem reddimur obnoxii, tum quatenus impedimur, quo minus perfectionem accidentalem acquiramus, tum quatenus defectum quendam in ea cauſatur (§. 66.), determinatio autem facultatis averſandi naturalis ad averſandum ea, quæ perfectioni ſui quomodocunque contrariantur, tendit ad averſandum ea, quæ quomodocunque impediunt, quo minus perfectionem accidentalem acquiramus & ad avertendum accidentalem (§. 35.); *malum deformativum refertur ad facultatem averſandi, quatenus determinata eſt ad averſandum ea, quæ perfectioni ſui quomodocunque contrariantur*, conſequenter ad *reclinationem naturalem ab imperfectione ſui. (§. 33.).* *Ad quamnam reclinationem naturalem refertur malum deformans.*

Probe notandum eſt, quomodo malum deformans referatur ad reclinationem naturalem. Ex eo nimirum non modo intelligitur, quamnam vim habeat ad averſationem movendam, hoc eſt, actum ejus eliciendum; verum etiam ratio aberrationum averſationis circa malum deſtructivum perſpicitur, ut taceamus alia, quæ ſuo loco patebunt.

Digitized by Google

§. 69.

Quando malum deformans non moveat appetitum.

Quia bonum perfectivum, quod facit ad perfectionem accidentalem (§. 61.), ante intellectus uſum, aut recto ejus uſu ſepoſito non agnoſcitur (§. 63.), malum autem eidem oppoſitum privativum in carentia perfectionis accidentalis, ſeu habituum utendi facultatibus animæ ac facultate locomotiva conſiſtit, & defectivum defectum quendam in perfectione accidentali arguit (§. 66.); *malum deformativum, tam privativum, quam defectivum non agnoſcitur ante intellectus uſum, aut recto ejus uſu ſepoſito.* Et quia malum deformativum poſitivum in imperfectione quadam accidentali acquiſita conſiſtit (§. 66.), cujus loco perfectio accidentalis acquiri poterat ac debebat (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*), imperfectionem autem accidentalem & perfectionem a ſe invicem diſcernere nequit, niſi qui perfectionem cognoverit; *malum* quoque *deformativum poſitivum non agnoſcitur, quamdiu bonum perfectivum ignoratur*, conſequenter cum ante intellectus uſum, aut recto ejus uſu ſepoſito, bonum perfectivum non agnoſcatur (§. 63.), *ante intellectus uſum, aut recto ejus uſu ſepoſito malum deformativum poſitivum non agnoſcitur.* Cum vero averſari nequeamus niſi quod tanquam malum nobis repræſentamus (§. 907. *Pſych. empir.*); *ante intellectus uſum, aut recto ejus uſu ſepoſito malum deformativum omne averſari non poſſumus.*

Malum deformativum primativum eſt carentia boni perfectivi. Qui bonum perfectivum non appetit, nec malum deformativum privativum averſatur. Et idem valet de defectivo, quod privativum participat. Ut quæ de bono perfectivo & malo deformativo dicuntur intimius perſpiciantur, paulo accuratius perpendenda eſt perfectio accidentalis humanæ naturæ. Habet homo varias facultates animæ, quemadmodum ex Pſychologia empirica ſatis ſuperque conſtat & unusquis-

quisque in ſe experitur, modo animum ſufficienter ad ea, quorum ſibi in ſe conſcius eſt, attendere & accumine ſufficiente ad diſcernenda ea, quæ diverſa ſunt, uti velit, & quoad actus externos facultatem locomotivam, quæ directioni illius ſubeſt (§. 315. *part. 1. Jur. nat.*), ſeu cujus uſus totus dependet ab appetitu & averſatione animæ (§. 953. *Pſycb. empir.*). Perfectio animæ conſiſtit in conſenſu omnium uſuum facultatum omnium animæ tam ſuperiorum, quam inferiorum (§. 201. *part. Jur. nat.*) & ſingulæ facultates perficiuntur acquirendo habitus iisdem utendi (§. 209. *part. 1. Jur. nat.*), cumque perfectio hominis componatur ex perfectione animæ & corporis (§. 340. *part. 1. Jur. nat.*), nec ea fert diſſenſum uſus facultatis locomotivæ ab uſu facultatum animæ (§. 504. *Ontol.*). Dantur igitur perfectiones partiales, quæ ſimul ſumtæ perfectionem totalem abſolvunt. Habitus animæ, quibus perfectiones accidentales continentur, veluti virtutes intellectuales & morales, partiales perfectiones ſupponunt, ſeu habitus facultatum ſingularum ad illos concurrentium, & habitum quoque ipſis conſentientem facultatis locomotivæ. Quodſi in habitibus partialibus nullus notetur defectus, quoad perfectionem accidentalem nihil deſideratur: aſt ſi defectus quidam notatur, tum utique habitus a rectitudine ſua adhuc abeſt, & in eo malum deformans defectivum conſiſtit. Quodſi quis habitus prorſus deſit, malum deformans privativum eſt. Enimvero datur etiam abuſus facultatum animæ ac inde pendentis facultatis locomotivæ, quatenus actus earundem per alias rationes finales determinantur, quam naturales, cum perfectio accidentalis eandem rationem determinantem habere debeat, quam habet eſſentialis (§. 529. *Ontol.*). Atque hinc oritur imperfectio hominis accidentalis poſitiva, & ortum ſuum trahit malum deformans poſitivum. Hæc ſi perpendere libuerit, ultro fatendum erit, ante intellectus uſum & ſepoſito intellectus uſu recto imperfectionem accidentalem, ac per conſequens malum deformativum agnoſci non poſſe. Quot, quæſo, ſunt, qui malum

hoc

hoc diſtincte cognoſcunt, etiamſi intellectu uti didicerint, immo diſciplinis perdiſcendis operam navarint? Et, ſi vel maxime quis averſetur malum deformativum, ſatis tamen conſtat, facultatem averſandi minime per ipſum in ſe ſpectatum determinari, ſed per motiva aliunde deſumta. Pertinet huc, quod multorum cupiditas refrænanda ſit metu poenarum: id quod minime neceſſe foret, ſiquidem malum per ſe diſpliceret. Experientia propoſitionem præſentem abunde confirmat, quod pueri, quorum eſt imitari alios, cum per ſe appetitum & averſationem determinare nequeant, appetitum determinent ad malum iſtud, eidemque adſueſcant, & ubi parentes pravitati adeo dediti ſunt, ut liberos ad actiones ſceleſtas ſeducant, appetitui averſatio minime repugnat, ideoque hæc vim nullam in animos eorum exerit. Huc etiam pertinet, quod errores circa jus naturæ, qui olim gentibus fuere communes, immo hodienum ſunt, determinationem naturalem averſationis ſupprimant. Quis e. gr. eſt, qui ignoret, pro hoſtibus olim habitos fuiſſe peregrinos, ſeu eos, qui non ſunt ejusdem nobiscum gentis, in quos quæcunque licita ſint, cum opinio hæc etiam obſederit animos Judæorum a Chriſto exploſa & hodienum plerique perſuaſi ſint, in hoſtem quævis licita eſſe, quaſi jus in bello in mera licentia conſiſtat. Sed nolumus exempla plura in medium afferre. Etenim ex iis, quæ diximus, ſatis intelligitur, malum deformativum ſine recto intellectus uſu non cognoſci, ideoque nec appeti. Rectus intellectus uſus non adeo facilis eſt, quemadmodum plerisque videtur, præſertim in iis, quæ a ſenſu procul remota ſunt, quemadmodum patet per ea, quæ de eodem demonſtravimus in parte prima Ethicæ. Quamobrem etſi quædam facile agnoſcantur etiam ab iis, qui utcunque eodem uti didicerunt, ſi non ad veritatem, ſaltem opinione eadem ſibi perſuadentes; non tamen id in omnibus procedit: alias non darentur tot diſſentientes opiniones, nec errores pro veritate obtruderentur & pertinaciter propugnarentur.

§. 70.

Digitized by Google

§. 70.

Quia ante intellectus uſum, aut eo ſepoſito, malum deformativum non agnoſcitur, nec id averſari poſſumus (§. 69.); *qui educationi aliorum præſunt, ad idem fugiendum quocunque modo impellere eos debent, metu ſcilicet poenarum & ſpe præmiorum* (§. 301. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

De cura ea circa malum deformans.

Ad educationem pertinet, ut liberi deterreantur & avocentur ab actionibus, quibus habitus pravi acquiruntur, ne imperfectionem accidentalem contrahant, donec creſcente intellectus uſu malum deformativum ipſimet agnoſcant, & averſatio eorum per idem moveatur (§. 907. *Pſych. empir.*).

§. 71.

Determinatio appetitus ad ſui multiplicationem tendit ad conſervationem ſpeciei. Etenim homo ſe multiplicat, dum prolem generat & educat, quod per ſe patet. Enimvero non minus liquet, ſi homines adulti, poſtquam facultatem generandi adepti prolem generant & in lucem editum educant, ſpeciem eorum in rerum natura conſervari. Quamobrem patet, determinationem appetitus ad ſui multiplicationem tendere ad conſervationem ſpeciei.

Ad quod diſrigatur applicatus ad ſui multiplicationem.

Membra genitalia apta ſunt ad eum uſum, ut homo ſeſe mutiplicare poſſit, ſicque ſpecies ſua ſive genus humanum conſervetur. Et idem patet in omni animalium ſpecie. Experientia quoque docet, animalia omnia, perinde ac hominem, ſeſe multiplicando ſpeciem ſuam conſervare. Cum animantia bruta agant propter fines a Deo intentos non ſecus, ac ſi ipſamet eos intenderent (§. 661. *part. 1. Theol. nat.*); ipſa utique natura per multiplicationem ſui intendit conſervationem ſpeciei. Et quod in brutis adeo conſpicuum eſt, de homine quoque intelligitur, qui appetitum ſe multiplicandi cum brutis

communem habet. Quamobrem cum appetitus ipſius naturaliter determinatus ſit ad ſui multiplicationem (§. 30.); determinatio quoque ad ſui multiplicationem tendit ad conſervationem ſpeciei. Enimvero homo non naſcitur perfectus, neque ſi corpus, neque ſi animam ſpectes. Perfectio eſſentialis nondum conſummata eſt, quæ pendet ab organis corporis continuo incremento indigentibus, antequam homo ad juſtam ſtaturam pervenerit. Perfectio vero accidentalis tota acquirenda, cum homo per naturam ſaltem aptus ſit ad eam acquirendam. Quamobrem patet ad conſervationem ſpeciei non modo requiri prolis generationem, verum etiam educationem. Alibi jam oſtendimus, cum de ſocietate conjugali ageremus naturam educationem cum generatione prolis copulaſſe (§. 262. *part. 7. Jur. nat.*), certe non alio fine, quam quod niſi hoc pacto ſpecies animalium & hominum conſervari queat. Legi merentur, quæ in parte ſeptima juris naturæ demonſtrata & uberius explicata fuerunt, cum de procreatione & cum eadem connexa educatione ageremus.

§. 72.

Quomodo appetitus ſe multiplicandi moveatur.

Quoniam determinatio appetitus ad ſui multiplicationem tendit ad conſervationem ſpeciei (§. 71.), conſequenter ad ſobolis procreationem & educationem, ſine qua ſpecies conſervari nequit, procreatio autem & educatio ſobolis absque recto intellectus uſu non movet appetitum; *appetitus ſenſitivus excitatur æſtu venereo tanquam ſtimulo quoad generationem & fovetur voluptate ex coitu percepta*, quæ eundem appetitui commendat (§. 4.), *quoad educationem vero ſtimulus eſt naturalis prolis amor* (§. 259. 260. *part. 7. Jur. nat.*).

Bruta, quæ tantummodo appetitum ſenſitivum habent, rationali autem deſtituuntur (§. 757. 763. *Pſych. rat.*), non alio modo ducuntur ad ſui multiplicationem ſpeciei conſervandæ gratia, & absque recto intellectus uſu nec homines aliter ad eandem feruntur. Enimvero cum in hominibus intellectus

Digitized by Google

tus regere debeat inclinationes naturales (§. 41); neceſſe eſt ut agnoscat, aptitudinem ſeſe multiplicandi eſſe perfectionem quandam ſuam quatenus, cum individuum conſervare in perpetuum nequeat, ſpeciem tamen conſervat, & quoniam conſervatio ſpeciei pertinet ad conſervationem perfectionis univerſi, eadem quoque arguit perfectionem ſui, quatenus aptus eſt ad conſervationem perfectionis univerſi. Equidem de hoc parum cogitari non ignoro, non tamen propterea pro ſterilibus ſpeculationibus habenda, quæ ad intimiorem rerum cognitionem ſpectant, & virtutem in maximum decus ſublimant. Alias jam oſtendimus Deum velle, ut homo actiones ſuas dirigat ad perfectionem totius univerſi (§. 920. *part. 1. Theol. nat.*), quamvis tum huc præciſe animum non attenderimus. Ex iis autem, quæ in præſenti dicta ſunt, haud difficulter colligitur, ad hanc actionum directionem quoque pertinere conſervationem ſpeciei rationi conformem & ipſa natura nos obligari, ut in ea conſervationem perfectionis univerſi intendamus. Uſum habet hæc doctrina in variis quæſtionibus de matrimonio & de educatione liberorum, atque ad praxin moralem prodeſt. Memini me obſervaſſe, *Confucium* jam vidiſſe, quod homo obligetur actiones ſuas dirigere ad perfectionem totius univerſi. Aſt ſublimior hæc philoſophia eſt, quam capere nequeunt, qui absque recto intellectus uſu ſe ſapere poſſe confidunt, & ſe plus ſapere aliis opinantur, quando nihil ſapiunt. Parum adhuc ſapit, qui tantummodo videt quod ante pedes eſt, non vero proſpicit, quæ longa ratiociniorum ſerie ex profundo in apricum protrahenda. Philoſophia moralis non minus ſublimia continet, quam Matheſis, ſed ea perinde atque in hac non in limine conſtitutis obvia ſunt.

§. 73.

De bono multiplicativo.

Bonum multiplicativum dicitur, quod facit ad conſervandam perfectionem eſſentialem & acquirendam accidentalem ad conſervandam ſpeciem, conſequenter ad prolis ge-

nerationem & educationem requiſitam. Perfectio eſſentialis potiſſimum generationem, accidentalis educationem prolis reſpicit. Atque hinc aparet, quod *bonum multiplicativum participet & bonum conſervativum* §. 44.), *& bonum perfectivum* (§. 61.), *& in utroque ſimul per modum partis contineatur*, ut, ſi velis, non tanquam peculiaris boni ſpecies a conſervativo & perfectivo diſtingvi opus ſit. Ex ipſa definitione porro ſequitur, *ut bonum ſit, quicquid ad generationem & educationem prolis facit, quatenus reſpicitur conſervatio ſpeciei*, ad ſe nimirum relata, *aut*, ſi mavis, *multiplicatio ſui.*

Boni conſervativi & perfectivi appellatione uſus eſt *Verulamius* lib. 7. c. 2. de augmentis ſcientiarum. Hos igitur terminos retinemus (§. 147. *Diſc. prælim*). Ad ejus imitationem bonum multiplicativum dicimus, quemadmodum ante malum bono conſervativo oppoſitum deſtructivum (§. 55), & quod perfectivo opponitur deformativum diximus: ſæpius enim jam inculcavimus, abſonum videri, ſi quis probatam Latinitatem urgeat in terminis philoſophicis, aut technicis aliis quibuscunque, ubi deficiunt vocabula Latina, propterea quod autores Latini res iſtas vel ignorarunt, vel non accurate a ſe invicem diſtinxerunt, quæ iisdem denotantur, vel etiam uſus eorum contra Latinitatem invaluerit, ut obſcurus fiat, qui vocabulis aliis uti voluerit. Ceterum quando bonum multiplicativum dicimus, conſervationem ſpeciei ad nos referimus, quæ motivum voluntatis præbet, quatenus generare & educare ſobolem perfectionem in nobis arguit (*not.* §. 72.) Quodſi hoc modo conſervationem ſpeciei ſpectemus, naturalem quoque obligationem eam conſervandi, ſeu genus humanum propagandi intimius perſpicere datur, nec multa paradoxa amplius videbuntur, quæ in parte ſeptima de matrinonio & ſocietate paterna oſtendimus, propterea quod vel nullam rationem habere videantur, cur præcepta, vel prohibita dicenda ſint lege naturali, vel ratio ſaltem non putetur ſtringens. Ne vero in hisce ceſpi-

ceſpites, nunquam generatio prolis ſpectanda eſt ſine reſpectu ad propogationem generis humani, quæ educationem una continet a generatione nunquam ſeparandam.

§. 74.

Quoniam bonum multiplicativum facit ad conſervandam perfectionem eſſentialem & acquirendam accidentalem ad conſervandam ſpeciem requiſitam §. 73), determinatio vero appetitus ad ſui multiplicationem tendit ad conſervandam ſpeciem (§. 71), *bonum multiplicativum refertur ad appetitum, quatenus naturaliter determinatus eſt ad ſui multiplicationem, ſeu ad inclinationem naturalem ſe multiplicandi.*

Ad quamnam inclinationem refertur bonum multiplicativum

Quod ſupra annotavimns de modo, quo bonum conſervativum ad appetitum refertur (§. 44), idem etiam tenendum eſt de modo, quo multiplicativum ad eundem refertur. Atque inde patet ratio, cur bonum multiplicativum utiliter & ipſa natura magiſtra diſtingvatur a conſervativo, quamvis per modum partis in utroque contineatur (§. 73). Etſi enim appetitus feratur in ſui conſervationem, immo etiam in ſui perfectionem; non tamen propterea ſimul fertur in ſui multiplicationem, ſeu ſpeciei conſervationem. Quamobrem cum ad excitandum appetitum ad ſui conſervationem ſtimulus ſit fames atque ſitis, quia ante intellectus uſum bonum conſervativum non agnoſcitur (§. 45); peculiari quoque ſtimulo opus eſt ad excitandum appetitum ad ſui multiplicationem, nimirum æſtu venereo quoad generationem & amore naturali prolis quoad educationem (§. 72). Facile intelligitur, nos hic conſiderare hominem, qualis natura eſt & communem cum brutis naturam habet, antequam uſum facultatum ſuperiorum, quibus a brutis differt, conſecutus fuerit. Dubium hic orri poterat, cum appetitus hominis naturaliter determinatus ſit ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem, natura vero peculiari utatur ſtimulo tum ad excitandum appetitum ad ſui conſervationem, tum ad ſui multiplicationem; cur nullus

detur ſtimulus ad excitandum appetitum ad ſui perfectionem, utut bonum perfectivum ante intellectus uſum agnoſci nequeat, ideoque nec appeti (§. 63). Tenendum itaque ſtimuli vice fungi caſum, dum ſcilicet appetitus fertur in ea, quæ ad conſervationem ſui requiruntur, ideoque etiam in ea, quæ ad ſui defenſionem ſpectant, & averſatio tendit ad depellendum ea, quæ conſervationi nocent. Non commemoramus alia, quæ in præſenti hominum ſtatu locum habent, quoniam, quemadmodum modo diximus, appetitum non conſideramus, niſi qualis natura homini ineſt, utpote in naturam humanam inquirentes, qualis per ſe eſt, ut a prima origine veritates morales deducamus. Id enim ante cognoſcendum, quam intime perſpici poſſit, quomodo voluntas & noluntas perficiatur, corumpatur & emendetur. Ceterum cum ideo probe conſiderandum ſit, quomodo bonum referatur ad appetitum, ut intelligatur, quamnam vim habeat ad appetitum movendum & ut ratio aberrationum appetitus perſpiciatur (*not.* §. 44), bonum autem multiplicativum difficulter agnoſcatur, præſertim cum voluptas ex coitu percepta eundem appetibilem per ſe faciat, & appetitum ſe multiplicandi corrumpat, moleſtia quoque educandi prolem in ejus corruptionem non uno modo influat; quænam ſit naturalis appetitus determinatio ad appetendum ea, quæ ad bonum multiplicativum pertinent, ut cognoſcamus, maxime intereſt.

§. 75.

Quando bonum multiplicativum movere nequeat appetitum.

Quia bonum conſervativum (§. 45) & perfectivum ante intellectus uſum, aut eodem ſepoſito, non agnoſcitur, neque immediate, ſive per ſe appetitur (§. 63), bonum autem multiplicativum per modum partis in conſervativo & perfectivo continetur, quatenus ſcilicet ad conſervationem ſpeciei requiritur perfectio eſſentialis & accidentalis (§. 73); *bonum multiplicativum ante intellectus uſum, aut eodem ſepoſito non agno-*

agnoſcitur, neque per ſe appetitur, conſequenter *ſi in ſe appetendum, neceſſe eſt ut idem agnoſcere ſtudeamus.*

Intellectus regere debet inclinationes naturales (§. 41), ideoque etiam inclinationem naturalem ad ſui multiplicationem, quæ tendit ad ſpeciei conſervationem. Intellectus non influit in determinationem appetitus nisi quatenus id, quod appetendum, repræſentat tanquam bonum (§. 904. *Pſycb. empir.*). Quamobrem ut ea appetamus, quæ ad multiplicationem ſui, ideoque ad conſervationem ſpeciei ſpectant, neceſſe eſt ut eadem nobis repreſentemus tanquam bona, ac tum demum ex iis percipitur voluptas vera, quæ nunquam nocua eſſe poteſt (§. 557. 559. *Pſycb. empir.* & §. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*) Quamvis itaque ex coitu percipitur voluptas, ideo tamen bonum multiplicativum non agnoſcitur, quoniam notio boni ſeductrix appetitum corrumpit, ut coitum appetamus propter ſe unde deinceps alia ſcelera per ſe non averſabilia, niſi ubi ante bonum multiplicativum cognoverimus & ejus vim in appetitum ſentiamus. Quodſi hæc attente conſideramus, inde quoque intelligetur, cur bonum multiplicativum tanquam a conſervativo & perfectivo diſtinctum ſpectetur.

§. 76.

Cur habere liberos eosque bene educatos pertineat ad bonum multiplicativum.

Quia bonum multiplicativum refertur ad appetitum, quatenus naturaliter determinatus eſt ad ſui multiplicationem (§. 74), homo autem perinde ac cetera animantia ſe multiplicant generando prolem & genitam educando, quod per ſe patet; *ad bonum multiplicativum pertinet habere liberos, eosque bene educatos.* Et quoniam in his quaſi continuatur vita noſtra, & aliis quoque proſumus, cum mortui ſumus; *habere liberos eosque bene educatos ſpectatur tanquam perfectio ſui*, ideoque *bonum multiplicativum redit ad bonum conſervativum* (§. 43) & *perfectivum* (§. 61), quemadmodum jam ante alio modo oſtendimus (§. 73).

Vita

Vita hominum caduca eſt & omnibus tandem moriendum, mors vero eſt ultima linea rerum. Enimvero dum liberos procreamus eosque bene educamus, eos ſubſtituimus in locum noſtrum, ut perinde ſit, ac ſi adhuc viveremus, & aliis prodeſſemus per alios quaſi facientes, quod ipſimet facere per nos non poſſumus. Pervulgatum vero eſt illud: quod quis per alios facit, id per ſe feciſſe putandus eſt. Quodſi ergo quis plures habuerit liberos eosque bene educatos; perinde videtur ac ſi ſe magis perfeciſſet: id quod etiam intelligitur in eo caſu, ubi liberi parentibus perfectione accidentali ſeu acquiſita præſtant. Unde & videmus appetitus naturali determinationi maxime convenire, ut liberis non invideant perfectionem ſua majorem, ſed ex eadem tanquam propria inſignem percipiant voluptatem. Sinæ, quibus recta vivendi & Remp. adminiſtrandi ratio ab antiquiſſimis temporibus maxime curæ cordique fuit, huc reſpexiſſe videntur, dum morem nobilitandi prorſus ſingularem introduxerunt, hac lege ſancita, ut nobilitas non ſit hæreditaria, ſed ſi quis nobilitetur propter merita propria, ejus ſimul parentes, etſi dudum mortui nobilitentur, tanquam autores meritorum filiorum. Neque tamen mos quoque inter nos receptus eidem principio diſconvenire videtur, quo nobilitas conceditur poſteris ejus, qui nobilitatur, quatenus ſcilicet is in poſteris ſuis vitam ſuam quaſi continuat. Noſtrum vero in præſenti non eſt disquirere, uter mos utri ſit præferendus, an utrumque conjungi præſtet. Eidem quoque principio maxime convenit, ut parentibus quamvis dudum fato functis beneficia reddantur in liberis & ipſa natura nos ducit ad amandos liberos, quorum parentes amore proſecuti ſumus, eosque ex parentum meritis æſtimandos. Patet hinc, quam neceſſe ſit, ut bonum multiplicativum intime perſpiciatur, ſiquidem rationem bene multorum reddere velimus, in quæ naturali determinationi convenienter fertur appetitus hominum. Abſit autem, ut iſtiusmodi disquiſitionibus opponas exempla in contrarium. Habent enim ea rationes ſuas peculiares a concurſu circumſtantiarum pendentes.

Digitized by Google

tes. Quando vero inquirimus, in quænam feratur appetitus vi determinationis naturalis cujusdam, eam in ſe ſpectamus, præciſis aliis, quæ pro diverſitate caſuum oblata mutationem afferunt. Eodem nimirum modo procedendum, quem dudum agnoverunt Mathematici & quo feliciter uſi ſunt, veluti dum motum gravium conſiderant in medio non reſiſtente, quamvis corpora a nobis obſervabilia non moveantur niſi in reſiſtente, & medii reſiſtentia motui gravium mutationem inducat. Niſi hoc modo procedere velimus, nunquam ad certam rerum cognitionem in Moralibus perveniemus, nec genuinas rationes in dato caſu reddere poterimus.

§. 77.

De naturali determinatione appetitus ad conſervationem & perfectionem familiæ.

Cum ad bonum multiplicativum pertineat habere liberos, eosque bene educatos (§. 76), liberi vero noſtri & ab hisce porro deſcendentes familiam noſtram faciunt (§. 585 *part. 7. Jur. nat.*); *ad bonum multiplicativum pertinet habere familiam amplam quovis perfectionis genere præſtantem.* Et quia vita noſtra in liberis cujuscunque gradus quaſi continuatur, *appetitus* noſter, qui naturaliter determinatus eſt ad ſui conſervationem & perfectionem (§. 30), *dum* etiam *naturaliter determinatus eſt ad ſui multiplicationem* (§. *cit.*), *naturaliter quoque determinatus eſt ad familiæ conſervationem & perfectionem.*

Videmus quoque hominibus curæ eſſe, ut familia conſervetur & perfectioni ejus pro modulo cognitionis, quam quis habet, aut opinioni ſuæ de eadem convenienter proſpiciatur, manifeſto ſatis indicio, appetitum quoque noſtrum naturaliter determinatum eſſe ad familiæ conſervationem & perfectionem, quam tanquam eandem nobiscum perſonam ſpectamus, licet ſingula diſtincte non expendantur. Eſt vero hæc appetitus determinatio ex earum numero, quas immediatas diximus (*not.* §. 38.), & quemadmodum determinationes ceteræ omnes vitio intellectus & voluntatis corruptione non una labe inficitur, immo prorſus ſupprimitur.

§. 78.

Quo tendat determinatio averſandi ad averſandum ea, quæ multiplicationi ſui quomodocunque contrariantur, tendit ad averſandum ea, quæ conſervationi ſpeciei, ideoque generationi & educationi prolis quomodocunque adverſantur.

Quo tendat determinatio averſationis ad averſandum multiplicationi ſui contraria.

Determinatio enim appetitus ad ſui multiplicationem tendit ad conſervationem ſpecici (§. 71), ideoque ad generationem & educationem prolis, ſine qua ſpecies conſervari nequit. Quamobrem cum facultas averſandi naturaliter determinata ſit ad averſandum ea, quæ multiplicationi ſui quomodocunque contrariantur (§. 32), nec fieri poſſit ut idem ſimul ſit & non ſit (§. 28. *Ontol.*); determinatio facultatis averſandi ad averſandum ea, quæ multiplicationi ſui quomodocunque contrariantur, tendit ad averſandum ea, quæ conſervationi ſpeciei, ideoque generationi & educationi prolis quomodocunque adverſantur.

Impoſſibile omnino eſt, ut natura nos inclinet ad appetendum conſervationem ſpeciei & ſimul ad appetendum ea, quæ eidem adverſantur. Quamobrem neceſſe eſt, ut nos reclinet ab iis, quæ ſpeciei conſervationi quomodocunque obſtant. Reclinationis hujus indicia præbent gallinæ, quæ pullos ſuos ſub alis congregatos calore ſuo fovent, ne noceat frigus, & eos defendunt periculum, quod ipſis imminere videtur, avertere ſtudentes. Ejusmodi indicia conſpiciuntur quoque in brutis aliis, modo animum ad ea attendere velimus. Quæ hominibus cum brutis naturaliter communia ſunt, ea in brutis facilius obſervantur, quam in hominibus, quia bruta ſequuntur naturæ ductum, a quo ſecedunt homines, quorum voluntas corrupta eſt, modo obſervetur, in nonnullis naturam per ſe proſpexiſſe fœtui brutorum, ut parentum cura non indigeant, aut eorundem providentia eidem conſulatur, ideoque in diverſis animalibus quærenda eſſe, quæ natura ſimul homini indidit. Indicia vero reclinationis naturalis, de qua hic nobis ſermo eſt, in hominibus quoque obſervamus, quando naturæ

naturæ ductum ſequuntur. Huc pertinet, quod infantes a periculo defendant, etiamſi ſe in extremum diſcrimen ipſimet offere cogantur. Pertinet huc cura, ne liberi ſeducantur, ſed potius perficiantur, prouti de perfectione ipſorum eſt opinio. Multa enim, quemadmodum jam indicavimus, in actionibus hominum concurrunt, quæ non ex eodem fonte fluunt, ut quæ inclinationi, vel reclinationi naturali debentur non agnoſcantur, niſi ſeparentur ab iis, quæ aliunde veniunt.

§. 79.

De malo diminutivo.

Malum diminutivum, quod bono multiplicativo opponitur, dicitur, quod cauſatur inperfectionem conſervationi ſpeciei, ideoque generationi & educationi prolis, ſine qua ſpecies conſervari nequit, contrariam. *Bonum* itaque hoc reſpectu *eſt*, quicquid *generationem & educationem prolis, quatenus reſpicitur conſervatio ſpeciei*, ad ſe nimirum relata, *aut ſi mavis*, ſui *multiplicatio ſivi, quocunque modo impedit, aut pervertit.*

Mutuamur vocabulum a Grammaticis, ut hanc mali ſpeciem ab aliis diſtingvamus. Imperfectio generationi contraria eſt ſterilitas, ſive ea naturalis, ſive contracta fuerit, ideoque ad malum diminutivum pertinet una cum omnibus ejus cauſis, quæ ideo cenſentur malæ. Ignorantia eorum, quæ ad rectam liberorum educationem pertinent, aut error circa eandem inter mala diminutiva locum habet, quia educationem rectam liberorum impedit, aut pervertit.

§. 80.

Ad quamnam reclinationem referatur malum diminutivum

Quoniam malum diminutivum cauſatur imperfectionem conſervationi ſpeciei, ideoque generationi & educationi prolis contrariam (§. 79), determinatio vero facultatis averſandi ad averſandum ea, quæ multiplicationi ſui quomodocunque contrariantur, tendit ad averſandum ea, quæ conſervationi ſpeciei, ideoque generationi & educationi prolis

quomodocunque contrariantur (§. 78); *malum diminutivum refertur ad facultatem averſandi, quatenus naturaliter determinata eſt ad averſandum ea, quæ multiplicationi ſui quomodocunque contrariantur.*

Ex demonſtrationibus anterioribus ſatis liquet, determinationem facultatis appetendi naturalem pendere a determinatione naturali appetitus. Et idem facile patet per ipſam appetitus & facultatis averſandi naturam. Quoniam enim appetimus, quod tanquam bonum nobis repræſentamus (§. 904 *Pſycb. empir.*), fieri non poteſt, ut ſimul appetamus malum, quod eidem opponitur (§. 28. *Ontol.*), conſequenter neceſſe eſt ut idem averſemur (§. 581 *Pſycb. empir.*). Atque inde eſt, quod non modo carentia mali habeatur pro bono, verum etiam bonum exiſtimetur depellere malum, aut ab eodem liberari. Cum vero reclinationes naturales mediatæ ſint, quæ ab aliis dependent & eas præſupponunt, immediatæ tamen dicuntur, quæ ab inclinationibus dependent, propterea quod alias reclinationes non præſupponunt. Ita reclinatio immediata eſt determinatio averſationis ad averſandum ea, quæ multiplicationi ſui adverſantur, utut a naturali determinatione appetitus ad ſui multiplicationem dependeat. Aſt reclinatio ab iis, quæ potentiam generandi deſtruunt, mediata eſt, quia ab illa dependet.

§. 81.

Quomodo appetitus tendat ad aliorum conſervationem & perfectionem.

Appetitus hominis naturaliter determinatus ad ſui conſervationem & perfectionem naturaliter quoque tendit ad conſervationem & perfectionem aliorum. Etenim nemo hominum ſolus ſe ſtatumque ſuum perficere poteſt, ſed unusquisque aliorum auxilio indiget (§. 220 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo ſui conſervationem & perfectionem appetere debet, neceſſe quoque eſt ut appetat conſervationem & perfectionem aliorum. Enimvero appetitus hominis naturaliter determinatus

Digitized by Google

natus est ad sui conservationem & perfectionem (§. 30). Quatenus igitur naturaliter determinatus est ad sui conservationem & perfectionem naturaliter quoque tendit ad conservationem & perfectionem aliorum.

Non dubito fore multos, quibus inclinatio naturalis ad aliorum conservationem & perfectionem paradoxa videbitur. Sed hi erunt, qui de homine judicant ex iis, quæ ab appetitu corrupto veniunt, non vero eum considerant, qualis natura est, ideoque inclinationi naturali tribuunt, quod alias prorsus causas agnoscit. Determinatio appetitus ad aliorum conservationem & perfectionem ex mediatarum numero est (*not.* §. 38), quæ difficilius agnoscuntur propter plurimas aberrationes a non usu & abusu facultatum proficiscentes, quas perspicere non datur, nisi usus & abusus facultatum fuerit cognitus atque perspectus. Inclinationes naturales homini insunt per modum potentiæ ad actum perducendæ per causas alias. Quodsi ergo homo naturaliter non esset inclinatus ad aliorum conservationem & perfectionem, nec fieri unquam posset, ut ad utramque quid conferret, seu eam actu appeteret: id quod tamen fieri experientia abunde loquitur. Ostendimus jam superius (§. 41), intellectum regere debere inclinationes naturales communes. Et ad hoc regimen pertinent causæ, quibus inclinationes naturales ad actum perducuntur. Quamobrem non est quod miremur, si absque recto intellectus usu inclinatio naturalis vel supprimatur, vel in transversum agatur.

§. 82.

De naturali reclinatione ab iis, quæ aliorum conservationi & perfectioni adversantur.

Quoniam appetitus naturalis determinatio ad sui conservationem & perfectionem quoque tendit ad conservationem & perfectionem aliorum (§. 81), impossibile autem est, ut idem simul sit & non sit (§. 28. *Ontol.*); *determinatio aversationis ad aversandum ea, quæ conservationi & perfectioni sui adversantur* homini itidem naturalis (§. 35), *tendit quoque ad aversandum ea, quæ conservationi & perfectioni aliorum adversantur.*

Natura inclinavit hominem ad ſui conſervationem & perfectionem, atque reclinavit ab iis, quæ utrique adverſantur. Sed fecit quoque hominem indigum aliorum auxilio ad ſui conſervationem & perfectionem, ut niſi homo proſit homini, inclinatio & reclinatio iſta fruſtretur. Inclinatio igitur ad aliorum conſervationem & perfectionem cohæret naturaliter inclinationi naturali ad ſui conſervationem & perfectionem, & reclinatio ab iis, quæ conſervationi & perfectioni aliorum adverſantur, naturaliter cohæret reclinationi naturali ab iis, quæ conſervationi & perfectioni aliorum adverſatur. Quodſi ergo homines ductum naturæ ſequerentur, homo hòmini prodeſſet, non obeſſet, ideoque a natura non eſt, ut homo homini noceat, aut conſervationem & perfectionem alterius minime curet. Nullus dubito fore aliquos, qui hunc naturæ inſtinctum in ſe experiuntur: ſit ita quod plerique appetitum & & averſationem corruperint, ut quo ducat natura minime animadvertant, nec ejus inſtinctum ſentiant. Ceterum huc referenda non ſunt exempla parentum in educatione liberorum conſpicua. Cura enim ſalutis liberorum venit ab inclinatione naturali ſeſe multiplicandi & reclinatione eidem adhærente ab iis, quæ multiplicationi ſui adverſantur. Hinc videmus in brutis ceſſare hanc curam, ubi proles fuit educata, ut ſibimet ipſi proſpicere poſſit de iis, quæ ad conſervationem ſui requiruntur, & prolem educatam eodem loco cenſeri, quo cetera. Acute a ſe invicem diſtingvenda ſunt, quæ ex diverſo fonte fluunt, etſi quoad effectum eadem videantur, ubi in fontem non inquirimus, ex quo quod obſervatur profluit. Alias enim naturam humanam, qualis in ſe eſt, intime perſpicere non datur, nec corruptionem ejus penitus cognoſcere.

§. 83.

De bono communicativo.

Bonum communicativum dicimus quod facit ad conſervationem perfectionis eſſentialis & acquiſitionem accidentalis aliorum. Quoniam bonum communicativum non differt a con-

Digitized by Google

conſervativo & perfectivo, niſi quod illud reſpiciat perfectionem aliorum, *vi definitionis præſentis*, conſervativum vero & perfectivum perfectionem propriam (§. 43. 61); *ex bono conſervativo & perfectivo intelligitur, quale ſit bonum communicativum.*

Satis apte bonum communicativum ita appellari videtur, quia homo, dum conſervare ſtudet perfectionem eſſentialem alterius & promovere accidentalem, eum participem reddit boni quod ipſe habet, aut ſaltem habere vellet, ſiquidem voti ſui compos reddi poſſet. Nemo non agnoſcit inter bona corporis eminere ſanitatem. Quodſi igitur qui integra ſanitate fuitur curam quoque habet ſanitatis aliorum; eum participem facit boni, quod ipſe poſſidet. Enimvero ſi quis vel maxime morbo laborat chronico, ſanitatem tamen aliorum curat; eum participem reddit boni, quod habere vellet, ſi fieri poſſet. Avertere malum, quo ipſi affligimur ab alio, bonum communicativum eſt. Qui virtutes intellectuales, aut morales poſſidet, dum ad eas acquirendas aliis opem fert, boni participes facit alios, quo ipſe gaudet. Non minus tamen ad bonum communicativum referendum, ſi ad virtutem quandam intellectualem acquirendam quomodocunque auxilio eſt aliis. Cum appetitus hominis naturaliter determinatus ſit ad conſervandam perfectionem eſſentialem & acquirendam perfectionem accidentalem; eidem minime repugnat, ſed potius maxime convenit, ut perfectionem aliorum promovere ſtudeamus, quantum in poteſtate eſt, etiamſi eadem ipſimet careamus, vel ejus compotes fieri minime valeamus.

§. 84.

Quoniam bonum communicativum facit ad conſervationem perfectionis eſſentialis & acquiſitionem accidentalis aliorum (§. 83), appetitus autem hominis naturaliter tendit ad conſervandam perfectionem eſſentialem & promovendam *Quomodo id referatur ad appetitum.*

dam accidentalem aliorum (§. 82); *bonum communicativum refertur ad appetitum, quatenus naturaliter determinatus eſt ad aliorum perfectionem eſſentialem conſervandam & accidentalem promovendam.*

Quod in anterioribus jam inculcavimus de relatione boni conſervativi ad appetitum (*not.* §. 44), & de bonis ceteris repetivimus, idem quoque hic tenendum. Nolumus denuo repetere alibi jam dicta.

§. 85.

Quid bonum communicativum ſupponat & cur ſtudium inſerviendi aliis delectet.

Quia *bonum communicativum* facit ad conſervationem perfectionis eſſentialis & acquiſitionem accidentalis aliorum (§. 83); *aptitudinem promovendi perfectionem aliorum ſupponit,* quæ cum ſit perfectio in nobis, quatenus ejus conſcii ſumus, *ex ſtudio inſerviendi aliis voluptatem principimus* (§. 115. *Pſych. empir.*).

Naturale omnino homini eſt, ut ſtudium inſerviendi delectet. Aſt facile intelligitur, id non ſatis agnoſci absque recto intellectus uſu. Neque enim omnes animum ſatis attendunt ad voluptatem, quam percipiunt, dum inſerviunt aliis, multo minus acumine utuntur, quo voluptas, quæ ob alias cauſas ſe ſtudio inſerviendi aſſociat, diſcernitur ab ea, quæ ex eodem per ſe percipitur. Nemo eſt qui ignorat, niſi ſua culpa, Pſychologiam hactenus parum excultam fuiſſe. Nec ignotum eſt præjudicium commune, quaſi rerum immaterialium cognitio ſuperet captum humanum, cum ſubſtantiæ immaterialis nonniſi privativam notionem habeamus. Et quamvis *Carteſius* ſubſtantiam immaterialem a materiali poſitiva ratione diſtinxerit, dum eſſentiam ejus in cogitatione, ſubſtantiæ autem materialis in extenſione conſiſtere defendit; in Pſychologia tamen excolenda non multum ſtudii atque operæ collocavit, nec diſcipuli ejus ultra ea progreſſi ſunt. Philoſophiam molalem prorſus non attigit, ideoque de eo ne quidem cogita-

cogitavit, ut, quæ ad intimiorem rerum moralium cognitionem ſpectant, a priori ex natura animæ deduceret.

§. 86.

Studium inſerviendi aliis virtus moralis eſt. Quoniam enim qui ſtudet aliis inſervire, ſeu perfectionem aliorum promovere facit, quod lex naturæ urget (§. 33. *part. 1. phil. pract. univ.*); ſtudium inſerviendi aliis eſt habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi. Quemobrem cum habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi virtus ſit (§. 321 *part. 1. phil. pract. univ.*); ſtudium inſerviendi aliis virtus eſt, cunque habitus voluntatis ſit, virtus moralis (§. 547. *part. 1. Jur. nat.*). *An ſtudium inſerviendi aliis virtus ſit.*

Propoſitionis præſentis veritas vulgo agnoſcitur: naturam enim humanam exuiſſe videtur, qui ex virtutum numero ſtudium inſerviendi aliis eliminare auſit. Alia vero quæſtio eſt, an ſit in homine ſemper ab omni labe immunis, qua etiam inficiuntur virtutes ceteræ, prouti ſuo loco oſtendetur, quando de ſingulis in ſpecie inſtituetur tractatio.

§. 87.

Cum ſtudium inſerviendi aliis virtus moralis ſit (§. 86), virtutes autem morales bonum perfectivum ſint (§. 61); *ſtudium inſerviendi aliis bonum perfectivum eſt.* *Quodnam bonum ſit ſtudium inſerviendi aliis.*

In bono communicativo diſtinguendum eſt id, quod ad nos pertinet, & quod ad alios. Si quorundam perfectionem quomodocunque promovemus, id aliis bonum eſt. Aſt bonum aliorum conjungitur cum bono noſtro, quatenus ſtudium inſerviendi alii inſigne quoddam bonum noſtrum eſt, quod hominem mirifice delectat, niſi adſint aliæ cauſæ, quæ intenſitatem voluptatis imminuunt. Sed nolumus plura de his dicere in præſenti, de quibus alio loco ex inſtituto agendum.

Digitized by Google

§. 88.

Malum, quod bono communicativo opponitur, appellaret lubet *illatum*. Hoc igitur eſt, quod quomodocunque facit ad labefactandam, vel prorſus evertendam perfectionem eſſentialem & ad promovendam imperfectionem. Quamobrem cum malum deſtructivum ſit, quod perfectionem eſſentialem labefactat, vel funditus evertit (§. 53), deformativum vero, quod facit ad imperfectionem accidentalem naturæ humanæ (§. 66); *ex malo deſtructivo & deformativo intelligitur, quale malum ſit illatum.*

Ita malum illatum eſt, ſi quis vulnus infligit corpori alterius, præſertim ſi organum aliquod ad uſum ſuum efficitur prorſus ineptum; ſi erroribus, præſertim nocuis, alterius mentem imbuit; ſi ad vitia alterum ſeducit. Homines plerumque malum, quod alteri infertur, ex damno æſtimant, quod corpori aut fortunæ datur, animi autem vix ullam rationem habent, cum tamen mala animi ceteris facile majora reputentur.

§. 89.

De malo illato.

Quoniam malum illatum facit ad labefactandum, vel prorſus evertendum perfectionem eſſentialem & ad promovendum accitentalem aliorum (§. 88.), facultas autem averſandi, quatenus naturaliter dererminata eſt ad averſandum ea, quæ conſervationi perfectionis eſſentialis repugnant, & imperfectionem accidentalem inducunt, tendit quoque ad averſandum ea, quæ conſervationi perfectionis aliorum repugnant, aut accidentalem aliis inducunt (§. 82); *malum illatum refertur ad facultatem averſandi, quatenus naturaliter homo reclinatur ab imperfectione aliorum.*

Inde eſt, quod malum illatum diſpliceat in aliis, etſi ipſimet aliis nocere non vereamur. Reprehendimus alios, qui aliis damnum inferunt, quamvis nobis non ſint amici, immo ſi vel maxime fuerint inimici, manifeſto indicio, inferre damnum

num alteri esse contra naturam, seu, quod perinde est, reclinationi naturali adversari. Quod vero idem non faciant omnes, causa non una est, quæ impedit, quo minus ductum naturæ sequantur.

§. 90.

Bonum communionis dicitur, quod facit ad communem sociorum aut status eorundem qua talium perfectionem. Quoniam itaque bonum commune societatis finis est, cujus causa societas contracta *(§. 11. part. 7. Jur. nat.); bonum communionis differt pro diversitate societatum, & in civitate est, quod bonum publicum dicitur (§. 9. 23 part. 8. Jur. nat.).* *De bono communionis.*

Egr. societas negotiatoria lucri causa contrahitur, & lucrum, quod faciunt socii negotiatione sua bonum communionis est, quod directe intenditur. Et quoniam perfectio societatis consistit in aptitudine finem societatis consequendi (§. 171 *part. 1. Jur. nat.*), ideoque perfectio societatis negotiatoriæ in aptitudine ad faciendum lucrum negotiatione sua; ad perfectionem utique sociorum facit lucrum actu facere, quamvis indirecte ad commune bonum etiam referenda sint, quæ societatem aptam efficiunt ad faciendum lucrum. Ast bonum communionis potissimum spectatur in civitate, & in ea societate, quam ipsa natura instituit inter gentes (§. 7. *Jur. gent.*) & nos civitatem maximam appellavimus (§. 10. *Jur. gent.*): Nemo est qui dubitat, civitatem esse perfectam, in qua finis civitatis obtinetur, neque enim ultra id quicquam desideratur, consequenter finem civitatis consequi ad ejus perfectionem utique facit, & in eo bonum civitatis seu publicum consistit. Finis civitatis nondum est bonum communionis, quando intenditur, sola enim intentio nil facit ad perfectionem civitatis, sed quatenus actu obtinetur. Tum enim societatis status eodem perficitur, & cives seu membra ejus bono fruuntur.

§. 91.

Quomodo bonum communionis ad appetitum referatur.

Quia bonum communionis facit ad communem ſociorum aut ſtatus eorundem qua talium perfectionem (§. 90), determinationi autem naturali appetitus ad ſui conſervationem, perfectionem & multiplicationem ineſt ejusdem determinatio ad appetendum ſocietatem & ad inſerviendum aliis (§. 39); *bonum communionis refertur ad appetitum, quatenus is naturaliter determinatus eſt ad appetendum ſocietatem & ad inſerviendum aliis.*

Cur appetitus ſocietatis totus dependeat ab appetitu ſe conſervandi, perficiendi & multiplicandi (§. 39); bonum communionis ad eum etiam refertur, quatenus cum perfectione propria intenditur etiam aliena quippe ſine hac non obtinenda (§. 220 *part. 1. Phil. pract. univ.*). Etſi enim ponamus, hominem ſocietatem appetere propter ſe, non tamen eam appetere poteſt, niſi ſimul appetat propter alios, per ipſam ſocietatis naturam (§. 1. *part. 7. Jur. nat.*), ideoque appetitus feratur in bonum communionis. Conſideramus hic appetitum ſocietatis, qualis in ſe eſt & a natura homini inditus, non quatenus per alias cauſas poſtea alteratur: id quod eidem eodem modo accidit quoad ceteras ejus determinationes naturales. Bonum igitur communionis naturaliter movet appetitum, quia is fertur in bonum proprium.

§. 92.

Quid in ſocietate bonum cenſeatur.

Similiter quia bonum communionis facit ad communem ſociorum qua talium & ſtatus eorundem perfectionem (§. 90), bonum vero hoc conſequi non datur, niſi finis ſocietatis obtineatur (§. 11. *par. 7. Jur. nat.*); ideo *in ſocietate bonum cenſetur, quicquid ſocios aptos reddit ad finem ſocietatis obtinendum.*

Quod

Quod aptos facit ſocios ad finem ſocietatis obtinendum, id bonitatem in ſe trahit a bono communionis, cujus obtinendi cauſa ſocietas appetitur. Habent ea ſe per modum medii, quo finis obtinetur. Qui vero finem vult, media quoque velit neceſſe eſt (§. 941 *Ontol.*). Dubium moveri nequit, quaſi aptitudo iſta etiam extendi poſſit ad media illegitima finem ſuum conſequendi: neque enim hoc fert naturalis appetitus determinatio, cum natura non admittat in determinationibus ſuis contradictionem, ſed una ſit omnium concordia. Niſi hoc ita ſeſe haberet, nec determinationibus mediatis foret locus quippe quæ immediatis haud raro repugnarent, & quod inprimis notandum eſt, repugnaret hoc perfectioni animæ eſſentiali (§. 528. *Ontol.*). Boni communionis ſimulachrum quoddam habemus in corpore noſtro, in quo omnia organa ſuas habent functiones & iis concurrentibus obtinetur ſanitas, bonum commune omnium organorum corporis: quod ut uberius explicemus, opus non eſſe videtur.

§. 93.

Quoniam bonum communionis facit ad communem ſociorum qua talium & ſtatus eorundem perfectionem (§. 90), conjunctis eorundem viribus obtinendum (§. 1. *part. 7. Jur. nat.*), ideoque ante intellectus uſum ſocietatis notionem habere nequimus, multo minus absque recto intellectus uſu aptitudo, quæ ad finem conſequendum neceſſaria eſt, cognoſci poteſt; *ante intellectus uſum & absque eo bonum communionis cognoſci nequit.* *Quando bonum communionis cognoſcatur.*

Satis hoc probant exempla hominum iter uſos educatorum, quale alias commemoravimus (§. 220 *part. 2. Phil pract. univ.*). Erenim is cum in ſylvis hinc inde erraret & brutorum more viveret, omni intellectus uſu deſtitutus, boni communionis utique nullam habuit notionem, nec ejus obtinendi cauſa vitæ ſolitariæ pertæſus ſocietatem cum hominibus aliis appetiit.

Non tamen inde inferri poteſt, appetitum hominis naturaliter determinatum non eſſe ad ſocietatem. Cum enim omnis naturalis inclinatio inſit per modum potentiæ (*not.* §.); neceſſe eſt ut per cauſas quasdam actus appetitus excitetur, minime excitandus, niſi illa per modum potentiæ ineſſet. Sane ubi iſtiusmodi cauſæ non offeruntur, natura hominibus indidit ſtimulos ad appetitum excitandum. Omnia in rerum natura optime cohærent, & dantur notiones directices, quales in præſenti caſu ſuggerit Philoſophia prima, quibus ad nexum earum inſpiciendum ducimur, modo iisdem actu uti noverimus. Quod ab hominibus nexui iſti convenienter fit, id ſecundum naturam fit; quod vero in contrarium, id contra eandem eſt. Degenerant homines, dum contra naturam agere adſueſcunt, non vero ductum ejus ſequuntur.

§. 94.

Idem ulterius expenditur.

Quia ante intellectus uſum & absque eo bonum communionis non agnoſcitur (§. 93), ideo *neceſſe eſt, ut, ubi homo intellectus uſum conſecutus, bonum communionis cognoſcere ſtudeat, præſertim ſi in ſocietate quadam natus, nec propria voluntate eandem contraxit.*

Vivunt longe plurimi in ſocietate civili, qui boni communionis nullam habent rationem, nec de eo cogitant, conſequenter omnia, quæ in Rep. fiunt, utilitate ſua metiuntur, quaſi omnia dirigenda ſint ad bonum ipſorum privatum, neque ideo cogitant, quanto bono mala quædam, quæ ferre coguntur, compenſentur. Sed de hoc expreſſius dicendum alibi.

§. 95.

De bono ſuitatis & bonorum generibus.

Bonum, quod ſaltem reſpicit individuum, in oppoſitione ad bonum communionis a *Verulamio* vocatur *Bonum ſuitatis.* Atque ideo patet, *ad bonum ſuitatis referendum eſſe bonum*

Digitized by Google

bonum conſervativum (§. 43), *perfectivum* (§. 61), *multiplicativum* (73), & *communicativum* (§. 83). Et quoniam illud bonum eſt, quod hominem & ſtatum ejus perficit (§. 554. *Pſych. empir.*), perfectio autem vel eſſentialis eſt, vel accidentalis (§. 528 *Ontol.*) & perfectio ſui exigit ſtatus externi perfectionem & ex parte cum ea ponitur (§. 37), idque refertur vel ad nos, vel ad alios in individuo, aut univerſis, qui in ſocietatem quandam coaluerunt, commune eſt, quod per ſe patet; *præter bonum conſervativum, perfectivum, multiplicativum, communicativum, ſeu bonum ſuitatis, & bonum communionis non dantur alia bonorum genera, ad quæ appetitus ferri poteſt.*

Bona igitur omnia ſufficienter enarravimus & quomodo naturaliter ſeſe habeat ad eadem appetitus oſtendimus. Atque hinc facile patet, quid naturæ convenienter, quid contra eandem appetatur. Et quia intellectus regere debet inclinationes naturales (§. 41); quænam ſit bona iſta diſtincte cognoſcendi neceſſitas, inde porro elucet ſimulque intelligitur, cur intellectus recto uſu ſepoſito verum bonum non agnoſcatur, & appetitus ab eodem aberret, & cur bona alia aliis difficilius agnoſcantur. Sane bonum communionis, quod in civitate potiſſimum eminet, pauci cognoſcunt, nec eximendi ſunt ex eorum numero illi, quorum maxime intererat diſtinctam boni communis & ſatis adæquatam rationem habere. Immo ſi vel maxime id non prorſus ignorent, ad idem tamen in agendo non eam attentionem afferunt, quam affere debebant. De bono communionis, quatenus ad gentes univerſas refertur, non eſt quod dicam. De eo enim nemo fere cogitat, cum notio civitatis maximæ (§. 10 *Jur. gent.*), unde bonum iſtud pendet, etſi tanquam rivus ex bono communicativo tanquam fonte derivetur, ignota ſit tantum non omnibus, atque illis, quibus ea maxime familiaris eſſe debebat, fabula videatur, quæ riſum, non

non attentionem mereatur. Ita degeneravit natura hominis, quem Deus rectum fecit. Immo ipſe *Verulamius* diſertam boni communionis ad gentes relati mentionem non facit, utut bonorum ſuitatis & communionis accuratam diſcuſſionem apprime neceſſariam agnoſcat ad augmenta Philoſophiæ moralis. Puto autem fore, ut, ſi quis attenta mente ea pervolverit, quæ de bonorum differentia hactenus dicta ſunt, me vel tacente intelligat, ea in Philoſophia morali, ubi de voluntate perficienda agitur, locum ſuum ſibi vindicare. Neque enim ſolum hinc apparet, quomodo naturaliter ſeſe habeant inclinationes naturales communes, verum etiam inde perſpicitur, quomodo voluntas ſit perficienda: id quod ex ſequentibus clarius eluceſcet. Agnoſcitur præterea, opus fuiſſe ut iſta bonorum genera peculiaribus nominibus inſignirentur, ideoque ubi defuerunt termini ab aliis nondum uſurpati, novi conderentur.

§. 96.

De malo communionis

Malum communionis, quod opponitur bono communionis, dicimus, quod ad communem ſociorum qua talium, aut ſtatus eorundem imperfectionem facit. Eſtque vel *privativum*, quod in carentia boni conſiſtit; vel *poſitivum*, quod imperfectionem quandam actu affert perfectioni contrariam. Et facile intelligitur, *malum communionis*, perinde ac bonum communionis, *differre pro diverſitate ſocietatis & in civitate ad id referri, quicquid bono publico* (§. 23 *part. 8. Jur. nat.*), *ideoque fini civitatis, ſicuti in genere quicquid fini ſocietatis contrariatur* (§. 11 *part. 7. Jur. nat.*).

Ita in ſocietate negotiatoria, quæ lucri faciendi cauſa contrahitur, damnum, quod patitur ſocietas, malum communionis eſt: redundat enim in ſocios conjunctim. Nec obſtat, ut de damno pro lubitu conveniatur, dum ſocietas contrahitur. Hic enim malum communionis, quale in ſe eſt, ſpectatur, non vero

vero attenduntur ea, quæ circa idem hominum voluntate immutantur. Dantur ſane caſus plures, in quibus potius damnum in nos recipere volumus, quam ut alius ejus fiat particeps. Quemadmodum vero bonum communionis maxime eminet in civitate, etiam ea, quam maximam dicimus (§. 10 *Jur. gent.*); ita quoque malum communionis maxime attenditur in civitate, etiam illa, quam diximus maximam.

§. 97.

Quoniam malum communionis fini ſocietatis contrariatur (§. 96), appetitus autem hominis naturaliter determinatus eſt ad appetendum ſocietatem (§. 39) & facultas averſandi ad averſandum vitam ſolitariam (§. 40), ideoque etiam ad averſandum ea, quæ fini ſocietatis, cujus cauſa contrahitur (§. 1. *part. 7. Jur. nat.*), contrariantur; *malum communionis refertur ad facultatem averſandi, quatenus naturaliter determinata eſt ad averſandum vitam ſolitariam, ideoque ea, quæ fini ſocietatis, cujus cauſa contrahitur, contrariantur.*

Quomodo malum communionis ad facultatem averſandi referatur.

Averſio mali communionis ſatis manifeſto proditur in civitate, ſive actu idem patiantur univerſi, ſive alii ſibi metuant ab eo, quod aliis evenire vident. Et metus nonnullorum animos durius torquet, quam alios malum ipſum affligit. Experientia ſatis hoc docet, ut exempla proferre ſupervaneum videatur.

§. 98.

Quia malum communionis fini ſocietatis contrariatur (§. 96), *in ſocietate malum cenſetur, quicquid quocunque modo ſocietate cenſeptos reddit ad eundem conſequendum.*

Quænam in impedit, quo minus finem ſocietatis conſequi datur, & quod ſocios ſeantur mala

Malum opponitur bono. Quemadmodum itaque in ſocietate bonum eſt, quod ſocios aptos facit ad finem conſequendum, aut quocunque modo ad eum conſequendum facit (§. 92);

(§. 92); ita malum eſt, quod ſocios ineptos facit ad eum conſequendum, vel eos impedit, quo minus conſequantur, aut alio quocunque modo fini ſocietatis contrariatur. Socius qua ſocius in agendo & ceteris, quæ in ſocietate eveniunt, ſemper ſpectat finem, & ex eodem æſtimat, quid bonum ſit, quid malum.

§. 99.

Quomodo malum communionis agnoſcatur.

Quia malum communionis ad communem ſociorum qua talium aut ſtatus eorundem imperfectionem facit, & quicquid fini ſocietatis contrariatur ad idem refertur (§. 96); *malum communionis ante intellectus uſum, & abſque recto intellectus uſu non agnoſcitur, conſequenter neceſſe eſt, ut homo intellectus uſum conſecutus idem cognoſcere ſtudeat, præſertim ſi in ſocietate quadam,* veluti civili, *natus eſt, nec propria voluntate eam contraxit.*

Fontes boni atque mali hic tantummodo aperimus, non vero inquirimus, quænam inde mala vel bona profluant. Quamobrem ſufficit, ut doceamus, quomodo ſeſe res habeant ad appetitum & averſationem, cumque intellectus regere debeat inclinationes naturales (§. 41), quænam ſint ea, quæ abſque intellectus uſu cognoſci nequeunt.

§. 100.

De malo ſuitatis & malorum generibus.

Malum, quod ſaltem reſpicit individuum, in oppoſitione ad malum communionis dici poteſt *Malum ſuitatis.* Atque ideo patet, *malum deſtructivum* (§. 53), *deformativum* (§. 66), *diminutivum* (79) *atque illatum* (§. 88) *ad malum ſuitatis referendum eſſe.* Et quoniam illud malum eſt, quod hominem & ſtatum ejus imperfectiorem reddit (§. 565. *Pſych. empir.*), idque refertur vel ad nos, vel ad alios in individuo, aut univerſis, qui in ſocietatem quandam coaluerunt, commune eſt, quod per ſe patet; *præter malum deſtructivum*

tivum, deformativum, diminutivum atque illatum, ſeu malum ſuitatis & malum communionis non dantur alia malorum genera, a quibus averſatio abhorrere poteſt.

Mala igitur omnia ſufficienter enarravimus & quomodo naturaliter ſeſe habeat ad eadem averſatio oſtendimus. Atque hinc intelligitur, quid naturæ convenienter, quid contra eandem averſemur. Et quoniam intellectus regere debet reclinationes naturales (§. 41); quænam ſit mala iſta diſtincte cognoſcendi neceſſitas, abunde patet. Intelligitur etiam, cur mala ab hominibus non agnoſcantur, & ex adverſo haud raro pro malis habeantur, quæ non ſunt. Quæ ſupra annotavimus de bono communionis, quatenus ad civitatem ſpectat ac inprimis quatenus ad gentes univerſas refertur, de malo quoque communionis tenenda ſunt.

§. 101.

Appetitus hominis actu determinatur per voluptatem, quam percipit, & averſatio per moleſtiam in caſu dato. Etenim appetitus ſenſitivus generaliter determinatus eſt ad appetendum ea, ex quibus voluptas ſenſitiva percipitur & averſativo generaliter determinata eſt ad averſandum ea, quæ moleſtiam creant (§. 890 *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi in caſu dato ex re quadam actu percipitur voluptas, appetitus hominis per eam actu determinatur & ſi res quædam actu moleſtiam creat, averſatio ſenſitiva per moleſtiam actu determinatur. Enimvero cum intellectus regere debeat inclinationes & reclinationes communes (§. 41), conſequenter determinationes naturales appetitus & averſationis (§. 31), intellectus vero bonum a malo diſcernit, quatenus illud nos ſtatumque noſtrum perficit (§. 554 *Pſych. empir.*), hoc imperfectiores reddit (§. 565 *Pſych. empir.*), & ex bono, quod cognoſcimus, voluptatem percipiamus, eamque veram

De actuali determinatione appetitus & averſationis.

(§. 558. 559. *Pſych. empir.*), ex malo autem, quod cognoſcimus, moleſtiam eamque veram (§. 569. 571); appetitus quoque rationalis in caſu dato actu determinatur per voluptatem, averſatio rationalis per moleſtiam. Quamobrem cum appetitus hominis vel ſenſitivus ſit, vel rationalis, & ſimiliter averſatio vel ſenſitiva, vel rationalis (§. 580 & *ſeqq. Pſych. empir.*); appetitus hominis omnis actu determinatur per voluptatem, quam percipit, & averſatio omnis per moleſtiam, quæ percipitur in caſu dato.

Ne videantur hæc experientiæ contraria, probe conſiderandum eſt, animum advertendum eſſe ad ea, quæ prima vice appetimus, vel averſamur, non vero quæ appetere, vel averſari adſueti ſumus, quamvis etiam in caſu priore ſubinde acumine opus ſit, ne tacito influxu alicujus conſuetudinis deludamur, quatenus ea ad ſimilia extenditur. Appetitum ſenſitivum non aliter actu determinari niſi per voluptatem, nec averſationem ſenſitivam aliter quam per moleſtiam, nemo facile in dubium revocaverit. Aſt non deerunt forſitan nonnulli, quibus id non eodem modo patere videtur quoad appetitum & averſationem rationalem. Velim autem, ut perpendant, nullam dari in amina volitionem & nolitionem ſine motivis (§. 889 *Pſych. empir.*), & motiva volitionis eſſe repræſentationem boni, motiva nolitionis repræſentationem mali diſtinctam (§. 890 *Pſych. empir.*). Quamvis itaque omni motivo volitionis ineſt voluptas (§. 558 *Pſych. empir.*), motivo autem nolitionis moleſtia (§. 569 *Pſych. empir.*); non tamen voluptas, vel moleſtia ſatis percipitur, quando maximam attentionis partem in ſe trahit objectum diſtincte cognoſcendum. Inprimis autem hic probe notandum, quomodo ſtatus præteriti influant in præſentem: tum enim patebit, quomodo voluptas, vel moleſtia olim percepta influat in determinationem volitionis, vel nolitionis præſentem, etiamſi voluptatis, vel moleſtiæ nullum in præſenti ſenſum habeamus. Pertinet

tinet hoc ad receſſus in animis hominum (§. 72 *Part. 1. Ethic.*), ad quos qui animum non advertit, dubitationum fluctibus ſeſe immergit, ex quibus emergere nequit, ideoque in dubitationem adducuntur, quæ alias clariſſima ſunt. Ad hos receſſus vero non datur aditus, niſi accurate obſervetur, quomodo facultates animæ a primis incunabilis ſeſe habeant & earum, quarum uſus non naturalis eſt, ſed demum acquirendus, uſus ſucceſſive acquiratur. Pendet appetitus & averſatio a facultatibus cognoſcendi. Quamobrem in parte prima Ethicæ docuimus, quomodo uſus earundem ſucceſſive ſeſe exerat & ipſæ facultates perficiantur, ſi vel maxime de iis perficiendis non cogitemus. Quoniam vero a primis ungviculis ad ea animum attendere non poſſumus, nec eundem attendere ſolemus ubi id in poteſtate noſtra eſſet, immo tunc difficilior jam evadit ad receſſus in animo noſtro aditus ob ignorantiam ſtatuum præteritorum, quorum memoriam habere non poſſumus; ideo imperſcrutabilia evadunt, quæ in ſe talia non ſunt. (§. 4),

§. 102.

De influxu averſationis in determinationem appetitus.

Si moleſtia movet facultatem averſandi, appetitus excitatur ad eam depellendam. Etenim in prima infantia homini ingignitur notio mali, quod ſcilicet illud malum ſit, quod moleſtiam creat, (§. 4), ac ideo averſamur id, quod nobis moleſtiam creat (§. 592 *Pſych. empir.*). Enimvero non minus ingignitur notio, quod bonum ſit, quicquid a moleſtia liberat (§. 5). Quamobrem cum id appetamus, quod nobis tanquam bonum repræſentamus (§. 589 *Pſych. empir.*); dum moleſtia movet facultatem averſandi, appetitus excitatur ad eam depellendam.

Obſervamus hoc in infantibus, quamprimum in lucem eduntur. Quoniam enim ex tenebris in lucem prodeuntibus ſenſus lucis moleſtus accidit; averſatio determinatur ad eam averſandum, ſeu averſio actu elicitur. Sed quia appetitus exitatur

ad eam depellendum, eam tamen depellere nequeunt, ploratum edunt, quo natura utitur tanquam ſigno implorationis auxilii alieni. Obſervatur idem in aliis, quæ ſenſui illorum moleſta accidunt. Et ſimile quid obſervamus in animantibus quoque brutis, quæ naturalis prolis amor ducit ad eam a moleſtia liberandum, manifeſto indicio, ejulatum eſſe ſignum naturale implorationis auxilii alieni ad depellendam moleſtiam, qua animal & homo absque intellectus uſu ſe liberare nequit. Propoſitio præſens probe notanda eſt, cum uſui ſit in intimiore cognitione ortus affectuum. Utut enim talia videantur vulgaria, quæ contemni mereantur, vulgarium tamen meditatio ad cognitionem eorum, quæ abſtruſa ſunt, ducit, neglectus vero eandem inacceſſam facit.

§. 103.

Quomodo natura utatur fame ac ſiti ſtimulo ad ſui conſervationem.

Quoniam appetitus excitatur ad moleſtiam depellendam, quæ averſationem movet (§. 102), fames autem atque ſitis moleſtiam creant, & famem ac ſitim cibo & potione depellere ad bonum conſervativum refertur (§. 43); *natura utitur ſtimulo fame ac ſiti ad ſui conſervationem, averſione moleſtiæ, quam utraque creat, excitando appetitum utramque depellendi. Idem* non abſimili modo *patet de æſtu venereo ſtimulo ad ſui multiplicationem.*

Merentur ea, quæ hic demonſtrantur, ſingularem attentionem, ut diſtinctam inſtinctus naturalis notionem acquiramus, quo animal ducitur ad ſui conſervationem & multiplicationem, ipſe etiam homo, quamdiu recto intellectus uſu non agnoſcit bonum conſervativum & multiplicativum. Latius autem patet inſtinctus naturalis, quo moleſtia elicit averſionem eademque excitat appetitum ad ſui conſervationem, prout obſervabit, qui eorum, quæ hic de fame atque ſiti demonſtrantur, in caſibus aliis meminerit. Ipſa etiam experientia docet, ex depulſione moleſtiæ percipi voluptatem, conſequenter

ter ex iis, quibus depelluntur, quæ moleſtiam creant, veluti ex cibo & potione famem atque ſitim depellentibus: id quod ideo notandum, ne, dum averſio excitat appetitum, ejus actus absque voluptate determinari videatur. Ceterum æſtum venereum moleſtiam creare, vix erit qui dubitet. Et inprimis in ſexu ſequiore obſervare licet, quanta ſit hæc moleſtia. Eam vero coitu depelli non minus exploratum eſt. Et quamvis ipſe coitus voluptatem creet, cum ea tamen concurrit voluptas, quæ percipitur ex ſucceſſiva moleſtiæ depulſione: id quod clarius perſpicitur in capiendo cibo ac potu, quando eſurimus & ſitimus, ut ideo fames & ſitis cibum atque potum magis ſapidum efficere putentur, voluptate ex ſucceſſiva famis atque ſitis depulſione percepta ſuperante voluptatem, quæ percipitur ex ſapore. Differunt voluptates & moleſtiæ gradu, ut major cum minore in unum confuſa ab hac non diſcernatur, & voluptate prædominante moleſtia, moleſtia vero prædominante voluptas vix ac ne vix quidem appercipiatur.

§. 104.

Quantitas voluptatis æſtimanda eſt ex ejus intenſitate & duratione. Idem valet de moleſtia. Voluptates differre gradu nemo eſt qui ignorat. Quamobrem cum multitudo graduum intenſitatem (§. 759 *Ontol.*), & gradibus tribuatur magnitudo (§. 751 *Ontol.*); in æſtimanda quantitate voluptatis habenda eſt ratio intenſitatis. *Quod erat primum.* *De quantitate voluptatis æſtimanda.*

Similiter in vulgus quoque notum eſt, voluptatem unam altera diutius durare, prouti longiore temporis tractu percipitur vel breviore, & dari voluptates tranſitorias, quæ non niſi exiguo temporis ſpatio durant, nunquam redituræ (385 *part. 1. Phil. pract. univ.*), quia ſcilicet cauſam caducam habent (*not.* §. *cit.*). Enimvero cum quælibet voluptas certum habeat gradum, conſequenter duplo tempore continuata æquipolleat voluptati gradus dupli, ſed non-

nonniſi ſimplo tempore duranti; in quantitate voluptatis æſtimanda habenda quoque ratio eſt durationis. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam itaque in æſtimanda quantitate voluptatis ratio habenda eſt tam intenſitatis, quam durationis, *per demonſtrata n. 1. & 2.* præter gradum vero, qui facit intenſitatem (§. 759 *Ontol.*), & durationem, quæ eundem gradum multiplicando ipſum quaſi auget eo fere modo, quo unitatum multitudo numerum efficit (§. 339 *Ontol.*), in voluptate nihil concipitur, quod eandem augere poſſit; quantitas voluptatis æſtimanda eſt ex ejus intenſitate & duratione. *Quod erat tertium.*

Cum de moleſtiis non minus in vulgus notum ſit, eas gradu differre & alias longiore, alias breviore temporis ſpatio percipi; eodem, quo de voluptate oſtendimus, modo demonſtratur, in quantitate moleſtiæ æſtimanda rationem habendam eſſe cum intenſitatis, tum durationis, & per conſequens moleſtiam æſtimandam eſſe ex intenſitate & duratione ſimul.

Non abhorret propoſitio præſens a notione communi: videmus enim homines voluptatem majorem præferre minori, ſi utraque ejusdem durationis, & ex adverſo moleſtiam minorem majori ejusdem durationis, ſiquidem alterutra ſubeunda. Inde ſane invaluit pervulgatum illud: ex duobus malis minus eſſe eligendum, cum malum æſtimetur ex moleſtia, quæ percipitur (§. 5). Videmus quoque homines præferre voluptatem diuturniorem voluptati brevioris durationis, ſi utraque habeatur ejusdem gradus, & ex adverſo moleſtiam breviori temporis ſpatio tolerandam præferre moleſtiæ diuturniori ejusdem gradus. Cum enim appetitus feratur in moleſtiam depellendam (§. 102); ſi quam neceſſario ſubire tenemur, eam ſubire malumus, a qua citius liberamur. Poterat itaque pro-

propoſitio præſens ſumi inſtar notionis communis niſi nobis propoſitum eſſet notionum communium veritatem a priori demonſtrare: id quod ſcientiæ profundiori maxime convenit, & in præſenti caſu ad intimiorem animæ cognitionem ducit, ſit ita quod qui non alte cogitant virtutum intellectualium non ſatis gnari talia nauſeent atque contemnant. Equidem in æſtimando gradu volupatis vulgus plurimum tribuit opinioni; attamen in præſenti non attendenda eſt differentia inter veritatem & opinionem, ubi notio communionis pendet a judicio gradum æſtimantis. Notandum vero eſt, voluptatem & moleſtiam unamquamque hic ſpectari in ſe, quatenus ex eodem objecto percipitur: alia vero quæſtio eſt de ſtatu, in quo voluptas vel moleſtia percipitur, ubi objectum unum in locum alterius continuo ſuccedit, quod vel voluptatem parit, vel moleſtiam creat, aut plura objecta ſimul præſentia ſunt, ex quibus uno eodemque tempore voluptates, vel moleſtiæ diverſæ percipiuntur, quarum quælibet ſuum habet gradum & durationem vel eandem, vel diverſam, ſeu longiorem, aut breviorem.

§. 105.

Statum jucundum dicimus, in quo voluptate fruimur: *tædioſum* vero, in quo moleſtia afficitur animus. Eſt quidam intermedius, in quo nec moleſtia torquetur animus, nec voluptate perfunditur, quem *tolerabilem* appellare lubet, ſicuti *variabilem*, in quo voluptates & moleſtiæ alternant.

Quinam ſtatus jucundus, tædioſus, tolerabilis, variabilis.

Quatuor omnino dantur ſtatus, ſi voluptatem & moleſtiam ſpectes. Aut enim voluptate paſcitur animus, aut moleſtia inquietatur, aut omnis æque voluptas & moleſtia prorſus abeſt, aut denique voluptas & moleſtia alternant. Equidem concipi poterat ſtatus quintus, in quo voluptas & moleſtia una percipiuntur; aſt cum alterutra alteram imminuat, aut una alteri prædominetur, vel prouti alternis vicibus hoc vel iſtud objectum attentionem in ſe trahit, voluptas & tædia alternant, ut is a ceteris diſtinguatur, vix opus eſſe videtur,

præſertim cum deſit terminus commodus, quibus is a ceteris diſcernatur, nec propter neceſſitatem entia ſint multiplicanda.

§. 106.

De differentia ſtatus jucundi a felicitate.

Quoniam ad felicitatem requiritur voluptas vera. (§. 636) *Pſycb. empir.*), ideoque innocua (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & felix eſt, qui innocua fruitur voluptate (390 *port. 1. Phil. pract. univ.)*, qui vero nocua fruitur, felix non eſt, ſed ſaltem videtur (§. 392 *part 1. Phil. pract. univ.*), ſtatus autem jucundus eſt, in quo quis voluptate quacunque fruitur (§. 105); *ſtatus jucundus a felicitate differt.*

Confundunt homines ſtatum jucundum cum felicitate, & ſe felices putant, ſi jucunde vivunt, ſeu voluptate animum paſcunt. Equidem natura obligamur ad vitam jucunde tranſigendam (§. 471 *part. 1. Jur. nat.*), ſed cum eadem obligemur ad felicitatem conſequendam (§. 250 *part. 1. Jur. nat.*), quæ non admittit niſi voluptatem veram (§. 636 *Pſycb. empir.)*; vitam jucunde tranſigere juxta ductum naturæ idem eſt ac voluptate vera atque innocua frui. Legum naturalium una eſt concordia, unus concentus: nullam igitur fert contradictionem. Abunde hoc perſpicitur ex noſtris demonſtrationibus, quibus veritatem legum naturalium evicimus & pulcherrimum eorundem nexum in aprico collocavimus, ut nemo niſi culpa ſua eundem ignoret. Intereſt autem humani generis, ut ſtatum jucundum a felicitate diſcernere diſcant, ne, dum ſe felices eſſe putant, ſe pariter atque alios in miſeriam præcipites dent: errore enim iſto, quo ſtatus jucundus idem cum felicitate habetur, non modo homo ſibi nocet, ſed etiam aliis. Non modo hoc obſervare licet, ſi actiones hominum diligentius obſervemus & accuratius penſitemus; verum etiam ex iis eluceſcet, quæ in tractatione ſpeciali de vitiis humanis demonſtraturi ſuo loco ſumus.

§. 107.

Digitized by Google

§. 107.

Felicitas æſtimanda eſt ex intenſitate & duratione voluptatum innocuarum, & duratione carentiæ moleſtiarum. Etenim felicitas eſt ſtatus, quo voluptas vera, conſequenter innocua (§. 388 *part. 1. Phil. pract. univ.*), perdurat (§. 636 *Pſych. empir.*), & tranſitoria eandem auget, ſi innocua fuerit (§. 286 *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum voluptas æſtimanda ſit ex intenſitate & duratione (§. 104); felicitas æſtimanda eſt ex intenſitate & duratione voluptatum innocuarum. Et quia abſentia mali, conſequenter carentia moleſtiarum (§. 569 *Pſych. empir.*), bonum eſt (§. 756 *part. 1. Jur. nat.*), ideoque etiam ex carentia moleſtiarum voluptas percipitur (§. 558 *Pſych. empir.*), eaque vera (§. 559 *Pſych. empir.*), & per conſequens innocua (§. 388 *part. 1. Phil. pract. univ.*); in æſtimanda felicitate habenda quoque eſt ratio durationis carentiæ moleſtiarum, *per demonſtrata.* Patet itaque felicitatem æſtimandam eſſe ex intenſitate & duratione voluptatum innocuarum & carentiæ moleſtiarum.

Qui ſtatum jucundum cum felicitate confundunt, de hac ſecus ſentiunt & hominem omnium animalium facile miſerrimum faciunt. Fruſtra autem naturam ejus accuſant, quod culpæ ſuæ imputare debebant. Qui vitam jucunde contra naturam tranſigere volunt, ad ea potiſſimum reſpiciunt, quæ ſenſum hilarant, & de voluptatum intenſitate ſecus judicantes ex delectationibus ſenſualibus de voluptate vera ſtatuunt, ut ejus intenſitatem vix ac ne vix quidem animadvertant. Quemadmodum vero delectationes ſenſuales voluptates tranſitoriæ ſunt, quarum ſenſum delet dies, ut tandem perinde ſit, ac ſi iisdem nunquam frui nobis datum fuiſſet, cum nullum ſui veſtigium in animo relinquant, immo noto notius ſit, earum intenſitatem ſucceſſive decreſcere, ipſas tandem vileſcere, immo hominem earundem tandem prorſus pertædere; ita fieri aliter non poteſt, quam ut de felicitate, quæ cadit in hominem

& ad quam conſequendam lege naturæ obligamur (§. 280 *part. 1. Jnr. nat.*) & ipſa natura nos ducit, modo inclinationes naturales intellectus dirigat, quemadmodum debet (§. 41), parum magnifice ſentiant, qui ſtatum jucundum cum felicitate confundunt. Ad felicitatem hominis retulimus quoque carentiam moleſtiarum, etiam hoc nomine, quod veram voluptatem pariat. Quibus hoc paradoxum videtur, hi minime ad animum revocant, quod voluptate perfundatur animus hominum, ſi videant ſe immunes a miſeria, qua affliguntur alii, atque a malis, quibus hominem obnoxium fieri poſſe cogitant. Carentia igitur moleſtiarum materiam ſemper gaudendi homini ſuppeditat, ac ideo non infima felicitatis pars eſt, cuivis voluptati tranſitoriæ præferenda. Eadem qui ſe privat, culpa ſua hoc facit, nec eo tendit, quo natura ducit, conſentientem omnium facultatum uſum urgens (§. 204 *prot. 1. Jur. nat.*) & non uſum damnans (206 *part. 1. Jur. nat.*). Carentia moleſtiarum ad fortunam ſecundam utique pertinet. Ecquis vero in dubium vocare auſit, nos fortuna ſecunda poſſe delectari & hanc voluptatem eſſe innocuam. Sunt quædam bona, quorum quantitas non agnoſcitur facilius & rectius, quam ex malis oppoſitis, quorum carentiam arguunt. In horum numero eſt ſanitas. Quot vero, quæſo ſunt, qui ſanitate delectantur, niſi cogitent morbos, quibus alii affliguntur, & ſe ab iis liberos conſiderant? Habet hoc voluptatis genus aliquid ſingulare, quo animum demulcet, prouti clarius eluceſcet inferius, quando de affectibus acturi ſumus. Dantur enim affectus, in quibus hoc voluptatis genus regnat.

§. 108.

De intenſitate voluptatis recte æſtimanda.

Intenſitas voluptatis æſtimanda eſt ex magnitudine perfectionis, quæ eam producit & ex certitudine, quam de eo habemus. Oſtendimus hoc jam alias, cum de gradibus perfectionis ageremus (§. 516. 517 *Pſych. empir.*

Tum

Tum quoque monuimus, *Carteſium* cui definitionem realem, ſeu diſtinctam notionem voluptatis acceptam referimus, inculcaſſe, quod voluptas quælibet æſtimanda ſit ex magnitudine perfectionis eam producentis. Et quia ipſe requirit, ut perfectionis nobis conſcii ſimus; tacite quoque ſupponit ſenſum certitudinis, qui in voluptatem influit, eandemque ad gradum altiorem evehit. Nihil ſane frequentius accidit, quam ut minus dicatur quam in ideis noſtris continetur. Quando igitur quæritur, quid alter de re quadam ſentiat, non modo ſubſiſtendum eſt in iis, quæ expreſſe dicuntur; verum ea quoque ſupplenda ſunt, quæ in idea rei continentur, quam animo ipſius obverſatam fuiſſe verba inſinuant. Amant homines brachyologiam, ita ut dentur longe plurimi, qui nauſeant expreſſe dicta, quæ per ſe aſſequi poterant. Horum itaque in interpretando habenda eſt ratio, & puerile eſt eorum ignorantiam objectare aliis & ſuum efferre acumen. Felicitas ſupponit voluptatem veram. Quamobrem de ejus intenſitate recto intellectus judicio ſtatuendum, non opinione fallaci, quæ verum cum apparente confundit, nec ſibi ſemper conſtans eſt. Dici ſolent homines felices errore ſuo; ſed hæc felicitas mentitur ſaltem ſpeciem, vera non eſt, eamque contemni ab intelligentibus ipſa experientia docet. In moralibus ſectamur veritatem, ut diſcamus, quomodo veræ felicitatis compotes fieri queamus, nec de miſeria humana conqueramur, a qua immunes eſſe poteramus. Homo ratione potiſſimum differt a brutis: humana igitur felicitas cum rationi conformis eſſe debeat, voluptas quoque rationis, non ſenſuum trutina metienda.

§. 109.

Infelicitas æſtimanda eſt ex intenſitate & duratione moleſtiarum & carentia voluptatis, qua frui poteramus. Etenim infelicitas eſt ſtatus, quo tædia ſive moleſtiæ perdurant (§. 637 *Pſych. empir.*) conſequenter tædia, quibus torquetur animus hominis, eum infelicem reddunt. Quamobrem cum quan-

De infelicitate æſtimanda.

titas moleſtiæ, ſeu tædii, quo afficitur animus, æſtimanda ſit ex ejus intenſitate & duratione (§. 104); in infelicitate æſtimanda ratio habenda eſt tædiorum, ſive moleſtiarum intenſitatis & durationis. Enimvero quoniam abſentia boni malum eſt (§. 754 *part. 1. Jur. nat.*), & ſi malum cognoſcimus, tædium ex eo percipimus (§. 569 *Pſych. empir.*), quicquid vero homini tædium creat, id ad infelicitatem ejus quidpiam confert. (§. 639 *Pſych. empir.*); in æſtimanda infelicitate habenda quoque eſt ratio carentiæ voluptatis innocuæ, qua frui poteramus. Quamobrem cum in æſtimanda infelicitate habenda ſit ratio cum intenſitatis & durationis moleſtiarum, tum carentiæ voluptatis innocuæ, qua frui poteramus, *per demonſtrata*; infelicitas æſtimanda eſt ex intenſitate & duratione moleſtiarum & carentia voluptatis innocuæ, qua frui poteramus.

Infelicitatis alia prorſus ratio eſt, quam felicitatis. In felicitate verum diſtingvendum eſt ab apparente & nocua voluptas ab innocua, ſed ad infelicitatem refertur omnis moleſtia, qua hominis animus torquetur, ſi vel maxime malum, quod evenit, ſaltem apparens ſit, aut prorſus nullum. Quod vero ad infelicitatem ſaltem referamus carentiam voluptatis innocuæ, qua frui poteramus, ratione ſua non deſtituitur. In philoſophia enim morali demonſtrandum eſt, quænam ea ſint, quæ hominem revera infelicem reddunt. Carentia vero bonorum, quæ conſequi in poteſtate ipſius non eſt poſitum, & per conſequens voluptatis, qua frui non poteſt, ad infelicitatem minime referenda, etſi ſe ipſum infelicem reddat, qui propterea angitur. Conſideramus hic infelicitatem in abſtracto, non in concreto.

§. 110.

De infelicitate non uſui referenda. *Si quis quacunque de cauſa animum moleſtia torquet, ea ad infelicitatem licitatem referenda. Quodſi recto intellectus uſu ea vitari poterat, homo*

homo ſe ipſum infelicem reddit. Patet hoc per ea, quæ alibi jam oſtendimus & annotavimus (§. 639 *Pſych. empir.*). *intellectus debita.*

Propoſitionis hujus mentionem hic injicere debebamus, ut appareat, quomodo non uſui intellectus debeatur infelicitas, & homo ſe ipſum reddat infelicem. In cenſum infelicitatis referenda eſt omnis moleſtia, quamvis præter omnem neceſſitatem eadem torqueatur animus, & revera ſtultus ſit, qui hoc facit. Dari autem iſtiusmodi caſus complures, in quibus homines ſe infelices reddunt ſtoliditate ſua, tum ex doctrina ſequente de affectibus, quam ex ſpeciali tractatione de vitiis abunde conſtabit. Nolumus itaque huc congerere, quæ ſuo loco rectius tradentur. In æſtimanda autem infelicitate probe hæc diſcernenda ſunt, quæ non absque abſurditate moleſtiam creant, a ceteris, quæ juſtam moleſtiæ cauſam habent, ne naturæ tribuatur, quod ſtultitiæ tribuendum, a qua alieni eſſe debebamus atque poteramus, ſi ductum naturæ ratione comite ſequi voluiſſemus. Infelix omnino eſt, qui animum tædiis continuis torquet, quod videat ſe carere voluptate, qua fruuntur alii, vel ob fortunæ mala, aut metum eorum animum inquietat. Videbimus enim ſuo loco, hæc naturæ humanæ parum convenire. Infelicitatem vulgo æſtimant ex fortuna adverſa: ſed quamvis hæc in plurimis infelicitatem cauſetur, non tamen cauſatur in omnibus, nec per ſe, ſed vitio hominis. Enimvero de eo dicemus diſertius ſuo loco, quemadmodum jam monuimus.

§. 111.

Quodſi ſumma omnium moleſtiarum per omnem vitam perceptarum ſuperet ſummam voluptatum innocuarum: homo infelix dicendus, nunc magis, nunc minus, pro diverſitate exceſſus: ſi vero ſumma voluptatum innocuarum per omnem vitam perceptarum ſuperet ſummam moleſtiarum, homo felix dici meretur, itidem nunc magis, nunc minus pro diverſitate exceſſus. Quoniam experientia docet, *De infelicitate & felicitate hominis poſt obitum æſtimanda.*

docet, neminem hominum perpetuo voluptate frui, nec contiuuis per omnem vitam tædiis torqueri, ſed voluptates & tædia ſive moleſtias alternare, vita humana in duas partes ſecanda, quarum altera conficitur tempore, quo voluptatem; altera, quo moleſtiam percepit, ubi de felicitate & infelicitate poſt obitum judicium ferendum. Ita nimirum prodeunt duo ſtatus, quorum altero voluptas vera, altero autem moleſtia perduravit. Quamobrem cum ſtatus ille, in quo moleſtiæ ſive tædia perdurant, infelicitas ſit (§. 637 *Pſych. empir.*), in quo vero voluptas vera perdurat, felicitas (§. 636 *Pſych. empir.*); ſumma omnium moleſtiarum per omnem vitam perceptarum metitur infelicitatem, ſumma autem omnium voluptatum verarum ſeu innocuarum felicitatem hominis. Quoniam itaque nemo hominum per omnem vitam voluptate vera frui, moleſtia omni carere poteſt; in fine felicitas æſtimanda eſt ex exceſſu ſummæ omnium voluptatum verarum ſeu innocuarum ſupra ſummam omnium moleſtiarum per totam vitam perceptarum & e contrario infelicitas ex exceſſu ſummæ omnium moleſtiarum ſupra ſummam omnium voluptatum innocuarum, conſequenter pro quantitate hujus, vel illius exceſſus, nunc major, nunc minor erit infelicitas, vel felicitas.

Quemadmodum de partibus vitæ deliberant omnes, de tota autem vita propemodum nemo; ita quoque felicitatem & infelicitatem æſtimant non ex tota vita, ſed ex partibus vitæ. Immo plurimi ſaltem reſpiciunt ultimam vitæ partem, ut ideo nemo ante obitum felix dici poſſe putetur, quia voluptas ultimo vitæ tempore percepta delet quaſi memoriam moleſtiarum olim perceptarum & contra. Facile autem patet, quando de felicitate vel infelicitate hominis in fine vitæ judicandum; totius quoque vitæ rationem habendam eſſe, ita ut in cenſum veniant voluptates & moleſtiæ omnes per vitam omnem percep-

Digitized by Google

ceptæ. Neceſſe tamen eſt ut voluptatum quoque & moleſtiarum quantitas rite æſtimetur (§. 104). Atque ideo patet, quam difficile ſit judicium de felicitate & infelicitate hominis poſt obitum, præſertim cum omnium voluptatum & moleſtiarum debito modo æſtimatarum notitiam non habeamus. Propterea non eſt, quod miremur, ſi qui exiſtiment, hominem nullum poſſe dici felicem, ſumma tædiorum ſuperante ſummam voluptatum, utut in cenſum voluptatum etiam nocuas referre non dubitent, quaſi ad felicitatem humanam pertinentium. Aſt abſit, ut exiſtimes neminem certum eſſe poſſe de felicitate ſua. Quodſi enim curet, ut in partibus vitæ felix ſit; cum ex partibus componatur vita tota, erit idem felix per vitam omnem. Atque is finis eſt Ethicæ, ut hanc felicitatem conſequamur.

§. 112.

De fallaci æſtimatione felicitatis & intenſitatis voluptatum.

Qui intellectus ſeponunt rectum uſum, felicitatem æſtimant ex ſumma omnium voluptatum, quascunque tandem fuerint, & intenſitatem voluptatum ex ſenſu & opinione. Etenim absque intellectus uſu voluptas vera ab apparente non diſcernitur (§. 514 *Pſych. empir.*), nec nocua ab innocua (§. 383. 384. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum felicitas requirat voluptatem veram (§. 636 *Pſych. empir.*), ideoque innocuam (§. 388 *part. 1. Phil. pract. univ.*), apparens vero nonniſi felicitatem apparentem facit (636 *Pſych. empir.*); nec felicitatem veram ab apparente diſcernunt, qui rectum intellectus uſum ſeponunt, conſequenter felicitatem æſtimant ex ſumma omnium voluptatum, qualescunque tandem fuerint. *Quod erat unum.*

Per ſe patet, qui intellectus rectum uſum ſeponunt, *in iis*, quæ ſenſu percipiunt, ſubſiſtere debere. Et experientia docet, quod præjudicatæ quædam opiniones magnum voluptatibus nonnullis pretium faciant, ubi ab iisdem libe-

ri parum aut nihil reperiunt quod delectet, quemadmodum ex aduerſo etiam contingit, ut præjudicata quædam opinio voluptati ex re quadam percipiendæ pretium detrahat. Qui itaque intellectus uſum rectum ſeponunt, intenſitatem voluptatum ex ſenſu & opinione æſtimant. *Quod erat alterum.*

Voluptatem veram ab apparente intellectus judicio diſcernere non adeo facile eſt: ſupponit enim diſtinctam perfectionis notionem (§. 514 *Pſych. empir.*), ex cujus magnitudine certa æſtimanda eſt voluptatis intenſitas (§. 108). Quot vero, quæſo, ſunt, qui perfectionis in genere notionem diſtinctam habent, ut differentiam inter eſſentialem & accidentalem perſpiciant? Et quot ſunt, quibus perfectio corporis atque animæ humanæ, ipſius hominis, quatenus ex corpore & anima inter ſe unitis conſtat, & pars quædam hujus univerſi eſt atque creatura Dei, tam eſſentialis, quam accidentalis cognita & perſpecta eſt? Non dicam de rebus aliis, quæ voluptatem nobis creare poſſunt. Mirum igitur non eſt, quod tantum non omnes in æſtimanda voluptate & per conſequens felicitate ſua judicio ſtent. Quantum vero valeat opinio in ſtatuendo voluptatibus pretio, nemo ignorat, niſi qui ad ea, quæ indies videmus, animum attendere neglexit. Regnat opinio iſta non minus in aula, quam inter infimam plebem, & falſa nititur de perfectione ſui ſtatusque ſui perſuaſione; ac in vana quadam & latente ſæpiſſime ſuperbia radicatur. Patebunt hæc clarius, quando de vitiis particularibus ex inſtituto ſumus acturi. Inde vero eſt, ut tam diverſæ ſint hominum de felicitate ſententiæ: trahit enim unumquemque ſua voluptas. Immo nec alia ratio eſt, cur ipſi Philoſophi non eadem de ea ſenſerint. Et ob rationem eandem contingit, ut voluptas nulla exiſtimetur, cui maximum antea ſtatutum fuerat pretium, cum voluptas vera conſtans ſit tum in ſe ſpectata, tum reſpectu ſubjecti, a quo agnoſcitur (§. 515 *Pſych. empir.*). Contingit etiam, ut nonnulli felicitatem omnem ab homine removeant, quæ in hac vita non ſperanda.

§. 113.

Digitized by Google

§. 113.

Quoniam *rectum intellectus uſum ſeponentes* felicitatem æſtimant ex ſumma omnium voluptatum, qualescunque tandem fuerint, & intenſitatem voluptatum ex ſenſu & opinione (§. 112), cum in iis, quæ ſenſu percipiuntur, acquieſcere teneantur; *felicitatem æſtimant ex ſumma delectationum ſenſualium & intenſitatem voluptatum ex eo, prouti ſe magis, vel minus re quadam delectari ſentiunt.*

Plerorumque animos occupavit hæc opinio, quod is demum felix dicendus ſit, cui nunquam deſunt objecta, quæ ſenſus hilarant. Sane avarus & parcus, qui divitiis abundat, iis tamen non fruitur, ſe ideo felicem exiſtimat, quia ſentit ſe lætari, quando de opibus ſuis cogitat & nummos ſuos numerat, vel adſpicit. Neque enim delectationes ſenſuales reſtringendæ ſunt ad unum, vel alterum ſenſum, ſed extenduntur ad omnes. Aſt nec idem ſenſus in omnibus hilaratur, nec hilaratur eodem modo, neque ab iisdem objectis. Ac ideo unumquemque ſua trahit voluptas, nec ob eandem voluptatem ſe felices æſtimant omnes. Condonandus hic error *plebi* imperitæ atque illis, qui in moralibus non altius plebe ſapiunt: aſt minime ferendus videtur in Philoſophis, aut iis, qui Philoſophi videri volunt & acumine intellectus ſe aliis præſtare putant.

§. 114.

De differentia actionum humanarum reſpectu boni & mali.

Actiones humanæ referuntur vel ad bonum & malum ſuitatis, ſeu bonum conſervativum, perfectivum, multiplicativum & communicativum & ad malum deſtructivum, deformativum, diminutivum atque illatum, vel ad bonum & malum communionis. Etenim præter bonum ſuitatis, hoc eſt, bonum conſervativum, perfectivum, multiplicativum atque communicativum, & bonum communionis non dantur alia bonorum genera, ad quæ appetitus fertur (§. 95). Et ſimiliter præter malum ſuitatis, hoc eſt, malum deſtructivum, deformativum, diminu-

minutivum atque illatum, & malum communionis non dantur alia malorum genera, a quibus facultas averſandi abhorret (§. 100). Quamobrem cum voluntas ad agendum determinetur per repræſentationem boni (§. 904 *Pſych. empir.*) noluntas vero ad non agendum per repræſentationem mali (§. 907 *Pſych. empir.*), omnes autem actiones humanæ vel poſitivæ ſint, vel privativæ (§. 24 *part. 1. Phil. pract. univ.*); actiones humanæ referuntur vel ad bonum & malum ſuitatis, ſeu bonum conſervativum, perfectivum, multiplicativum atque comunicativum, & ad malum deſtructivum, deformativum, diminutivum atque illatum, vel ad bonum & malum communionis.

Cum in Ethica demonſtrari debeat, quomodo homo actiones ſuas ad legem naturæ libere componere debeat (§. 1. *part. 1. Eth.*) & in eadem tradenda ſint actionum committendarum & omittendarum motiva (§. 10 *part. 1. Eth.*), quæ in repræſentatione boni & mali conſiſtunt (§. 890 *Pſych. empir.*); ex propoſitione præſente elucet, quam ſit neceſſe, ut in Ethica omnia bonorum & malorum genera explicentur. Ideoque intelligitur, quæ de bonorum & malorum generibus in anterioribus tradidimus, ea inter inanes ſubtilitates non eſſe referendas. Hiſce enim intime perſpectis demum patet, quænam revera ſint actiones bonæ, quænam malæ, & quasnam committere, quasnam omittere naturæ humanæ conveniat, quasnam vero committere, quasnam omittere eidem repugnet. Vitam hominis is demum vivit, qui naturæ ſuæ convenienter vivit, nec patrat actiones, quæ naturam humanam dedecent. Philoſophi vero eſt ſcrutando rationes eorum, quæ fiunt, vel fieri poſſunt, deducere alios ad intimiorem actionum humanarum cognitionem. Deduximus bonorum & malorum genera ex ipſa hominis natura. Quodſi ergo ad eadem referantur actiones humanæ, hæ ipſæ quoque ex eodem fonte derivantur.

§. 115.

Digitized by Google

§. 115.

Quoniam bonum conſervativum facit ad conſervationem perfectionis eſſentialis (§. 43), bonum perfectivum ad perfectionem accidentalem naturæ humanæ (§. 61), bonum multiplicativum ad multiplicationem ſui, ſeu ſpeciei conſervationem (§. 73), & ad conſervationem & perfectionem familiæ (§. 77), bonum communicativum ad conſervationem perfectionis eſſentialis & acquiſitionem accidentalis aliorum (§. 83), bonum autem communionis ad communem ſociorum, aut ſtatus eorundem perfectionem (§. 90), ad hæc autem bona referuntur actiones humanæ poſitivæ (§. 113); *actiones bonæ ſeu committendæ tendunt vel ad conſervationem perfectionis eſſentialis, vel ad acquirendum accidentalem, vel ad conſervationem generis humani & in ſpecie familiæ ſuæ ejusque perfectionem, vel ad conſervationem perfectionis eſſentialis & acquiſitionem accidentalis aliorum, vel denique ad perfectionem communem ſociorum atque ſtatus eorundem.* *Quotuplices ſint actiones bonæ.*

Clariſſime jam perſpicitur, unde actiones humanæ bonitatem intrinſecam nanciſcantur, nec minus liquet, quomodo obligatio naturalis in ipſa natura humana radicetur. Jmmo hinc etiam diſcimus, legem naturæ, cujus ratio ſufficiens in ipſa natura humana datur, ad omnes omnino actiones ab homine comittendas extendi. Patet præterea ratio, cur Deus legem aliam, quam naturalem homini dare non potuerit, & cur ex lege de dirigendis actionibus ad perfectionem noſtram atque aliorum univerſum jus naturæ deduci poſſit, quemadmodum ipſo opere præſtitimus, nec ullum ſupereſt dubium, quin principium juris naturæ genuinum, de quo tantopere atque tamdiu diſputatum fuit, a nobis detectum fuerit. Obiter quaſi obſervari velim, quod principia noſtra continuo magis magisque confirmentur eorumque veritas evidentius eluceſcat, quo magis notiones evolvuntur, quodque viam ſternant ad ulterio-

teriora, modo quis eadem penitus intelligere iisdemque recte uti didicerit. Quod igitur ſæpius jam optavi, denuo inculco, ut, qui de ſcientia bene mereri volunt, ulterius progredi ſtudeant, non vero ſæpius dictorum repetitione ab ovo denuo incipiendo tempus inutiliter terant, vel quæ ad certitudinem deducta ſunt in dubitationem rurſus adducant & quæ clara ſunt iis tenebras offundant progreſſum in ſcientia remorantes.

§. 116.

De actionibus malis privativis.

Quoniam actiones bonæ, ſeu committendæ tendunt ad conſervationem perfectionis eſſentialis, ad acquirendam accidentalem ſui & aliorum, ad conſervationem generis humani & in ſpecie familiæ ejusque perfectionem, vel denique ad perfectionem communem ſociorumque ſtatus eorundem (§. 115), cumque abſentia boni malum ſit (§. 754 *part. 1. Jur. nat.*) & actio privativa conſiſtat in omiſſione actionis, quæ edi poterat, actio poſitiva mala eſt, quæ in omiſſione actionis bonæ conſiſtit; *actiones privativæ malæ ſunt neglectus actionum ad conſervationem perfectionis eſſentialis, ad acquirendum accidentalem ſui & aliorum, ad conſervationem generis humani & in ſpecie familiæ ejusque perfectionem, vel denique ad perfectionem communem ſociorum atque ſtatus eorundem tendentium, quas edere poteramus.*

Homini imputari non poſſunt niſi actiones liberæ (§. 528 *part 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem actio ejus privativa dici nequit niſi ea, quam omittit, cum eam edere potuiſſet, nec privativa dici poteſt mala, niſi eam committere debuiſſet. Ideo privativæ dicuntur neglectus bonarum, ſeu committendarum, cum *neglectus* conſiſtat in omiſſione ejus, quod fieri poterat: negligi vero a nobis dici nequit, quod fieri haud quaquam poteſt. Ita dici nequit negligere ſtudium Matheſeos ſtudioſus, ſi nemo ſit in Academia, qui eandem docet, nec ſtudioſus juris dici poteſt negligere ſtudium Medicinæ, quia

Digitized by Google

quia artem ſalutarem addiſcere non debet. Actio humana debet eſſe in poteſtate agentis cum nemo obligetur ad id, quod impoſſibile (§. 209 *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter nec ad ea, quæ in poteſtate ſua non ſunt (§. 175 *part. 1. Jur. nat.*). Dantur impedimenta inevitabilia & inſuperabilia, quæ actionem quandam alias poſſibilem poteſtati noſtræ ſubducunt. Neglectus exigit non uſum facultatum: ſi cui ergo impedimenta inevitabilia & inſuperabilia objiciuntur, quo minus facultatibus ſuis uti poſſit, nec neglectus accuſari poteſt. Quodſi hæc probe perpendantur, in dijudicandis actionibus privativis malis a vero non facile aberraverit. Noſtrum jam non eſt ad particularia deſcendere & theoriam actionum privativarum malarum condere: alias non deeſſent, quæ utiliter tradi poterant. Ea tamen haud difficulter per ſe aſſequetur, qui theoriam juris naturæ cognitam atque perſpectam habet. In præſenti nobis potiſſimum propoſitum eſt, ut malitiam intrinſecam actionum humanarum intimius perſpiciendam ſiſtamus, & ſic naturalis obligatio quoque intimius perſpiciatur.

§. 117.

De actionibus malis poſitivis.

Actiones malæ poſitivæ, ſive omittendæ tendunt ad labefactandam, vel funditus evertendam perfectionem eſſentialem, ad imperfectionem accidentalem ſui & aliorum, ad imperfectionem conſervationi ſpeciei, ſeu generationi & educationi prolis contrariam & ad imperfectionem familiæ atque ſtatus ejusdem, ad imperfectionem communem ſociorum qua talium, aut ſtatus eorundem. Etenim actiones malæ referuntur vel ad malum ſuitatis hoc eſt, ad malum deſtructivum, deformativum, diminutivum & illatum, vel ad malum communionis (§. 114), nec præter hæc mala dantur alia malorum genera (§. 100). Quoniam itaque malum deſtructivum perfectionem eſſentialem labefactat, vel funditus evertit (53), malum deformativum ad imperfectionem naturæ

turæ humanæ facit (§. 66), malum diminutivum imperfectionem conſervationi ſpeciei, ideoque generationi & educationi prolis contrariam cauſatur (§. 79), ac per conſequens etiam imperfectionem familiæ ſuæ atque ſtatus ejusdem, malum illatum ad labefactandam, vel prorſus evertendam perfectionem eſſentialem aliorum & ad promovendam imperfectionem eorundem quomodocunque facit (§. 88), malum vero communionis ad communem ſociorum qua talium aut ſtatus eorundem imperfectionem (§. 96); actiones malæ poſitivæ, ſeu omittendæ tendunt ad labefactandam, vel funditus evertendam perfectionem eſſentialem, ad imperfectionem accidentalem ſui & aliorum, ad imperfectionem conſervationi ſpeciei, ſeu generationi & educationi prolis contrariam & ad imperfectionem familiæ atque ſtatus ejusdem, itemque ad imperfectionem communem ſociorum qua talium, aut ſtatus eorundem.

Ex propoſitione præſente intelligitur, legem naturæ prohibitivam, quæ nos obligat ad omittendas actiones, quæ per ſe ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. 152 *part. 1. Phil. pract. univ.*) atque aliorum tendunt (§. 231 *part. 1. Phil. pract. univ.*), eſſe adæquatam, ſeu ad omnes actiones malas ab homine non committendas extendi. Cum idem pateat de actionibus bonis committendis (*not.* §. 115); principium juris naturæ genuinum a nobis erutum eſſe manifeſtum eſt. Sunt qui metaphyſicum appellant & jus naturæ inde deductum jus naturæ metaphyſicum vocant, quia notio perfectionis in genere in Ontologia explicatur & inde tanquam notio directrix ad detegendam notionem perfectionis naturæ humanæ atque ſtatus hominis mutuo petitur. Aſt hi non ſatis intelligunt, quid metaphyſicum dici debeat. Neque enim ex notione perfectionis in genere deducitur regulam de ſe & ſtatu ſuo atque aliis & ſtatu eorundem perficiendis eſſe legem naturæ, ſeu nos ad eas actiones quæ tendunt ad perfectionem ſui & ſtatus

ſtatus ſui atque aliorum & ſtatus eorundem obligari; ſed ex notione perfectionis hominis & ſtatus ejusdem in ſpecie atque natura humana, ſeu ipſa facultate appetendi & averſandi id demonſtratur, utut ad hæc cognoſcenda ducant principia metaphyſica, quæ directricium vice funguntur in omni ſcientiarum genere. Omnis ſcientia tandem in principia metaphyſica reſolvitur. Ecquis vero ideo dixerit, philoſophiam eſſe metaphyſicam, quæ in principia metaphyſica reſolvitur? Sed quicquid ſit de nomine, de quo cum nemine litigandum, etſi abſurditas oſtendenda, ubi per contemtum ita dicitur & eo fine, ut a ſolida doctrina alii abducantur; quæſtio potiſſimum huc redit, num id, quod ex notionibus abſtractis deducitur, ſit verum & num ad veritatem intime perſpiciendam neceſſe ſit, ut inde deducatur. Qui negativam amplectuntur, ignorant quid ſit veritas logica (§. 513. *Log.*), nec profunditatis intellectus notionem habent (§. 340. *Pſych. empir.*), quæ quanti ſit facienda, abunde intelligitur ex iis, quæ de ea in parte prima Ethicæ demonſtravimus.

§. 118.

Actiones bonæ privativæ ſunt omiſſio actionum ad labefactandam, vel funditus evertendam perfectionem eſſentialem, ad imperfectionem accidentalem ſui & aliorum, ad imperfectionem conſervationi ſpeciei contrariam & ad imperfectionem familiæ atque ſtatus ejusdem, itemque ad imperfectionem communem ſociorum qua talium aut ſtatus eorundem tendentium. De actionibus bonis privativis.

Cum enim abſentia mali bonum ſit (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), omiſſio quoque actionum malarum poſitivarum actio bona eſt. Quamobrem cum actiones malæ poſitivæ tendant ad labefactandam vel funditus evertendam perfectionem eſſentialem, ad imperfectionem accidentalem ſui & aliorum, ad imperfectionem conſervationi ſpeciei contrariam & imperfectionem familiæ atque ſtatus ejusdem, itemque ad imperfectionem communem ſociorum qua talium ſtatus eorundem (§ 117), actio

autem privativa consistat in omissione actionis positivæ quæ edi poterat (§. 24. *part. Phil. pract. univ.*); actiones bonæ privativæ utique sunt omissio actionum ad labefactandam, vel funditus evertendam perfectionem essentialem & ad imperfectionem accidentalem sui & aliorum, ad imperfectionem conservationi speciei contrariam & ad imperfectionem familiæ atque status ejusdem, itemque ad imperfectionem communem sociorum qua talium aut status eorundem tendentium.

Nocere alteri actio utique mala est; ast non nocere, cum nocere posses, actio bona. Nemo est, qui non ita sentiat. Propositio itaque præsens notio communis est, etsi universaliter, ideoque terminis abstractis enunciata non agnoscatur ab iis, qui notiones maxime universales verbis enunciare nesciunt. Neque hoc quicquam singulare in casu præsenti, sed obtinet in omni alio simili. Nemo in dubium vocare ausit, axioma *Euclideum*, quod æqualia eidem tertio sint æqualia inter se, esse notionem communem, qua vulgus promiscue utitur in æstimanda æqualitate congruentium, quorum unum alteri superimponi nequit. Ecquis vero est qui nesciat, propositionem ita universaliter enunciatam non intelligi ab iis, qui eam terminis abstractis enunciare non didicerunt? Quemadmodum vero *Euclides* reprehendi nequit, quod eam ita enunciaverit, ut eadem tanquam principio demonstrandi uti posset; ita minime culpandus, qui notiones communes alias in usum scientiæ eodem modo enunciat. Et sicuti notiones communes, quas *Euclides* sumit, in Ontologia, in qua earum sedes est, demonstrari convenit; ita quoque notiones communes ceteræ universaliter enunciatæ in ceteris scientiis demonstrandæ sunt, ut earum veritas a priori pateat (§. 513. *Log.*), ubi soliditas curæ cordique est (§. 442. *Psych. empir.*). Qui in parte prima Ethicæ didicit, ea, quæ de soliditate demonstrata sunt, non reprehendet laudanda. Ceterum maxime interest, ut actiones bonas & malas tam positivas, quam privati-

vativas ad notiones generales reducamus. Neque enim ſolum hoc modo quis per ſe facile diſcernit actiones bonas & malas in caſu dato; verum etiam inde patet, unde petenda ſint actionum committendarum, vel omittendarum motiva genuina (§. 80. *part. 1. Phil pract. univ.*), ne labe quadam inficiantur. Notiones communes vulgo nonniſi confuſæ ſunt, ſed earum beneficio actiones bonas & malas in dato caſu facile diſcernunt, & haud raro rectius eruditis, qui præjudiciis occæcati animum ab iis avertunt. Quoniam vero qui latebrarum & receſſuum in animis hominum notionem nullam habent, multo minus in caſu dato tam illas, quam hos detegere valent, ignorant, undenam ſit, ut actiones bonæ & malæ per ſe agnoſcantur; ideo nonnulli *guſtum* quendam *moralem* fingunt, qui quid ſit ex modo dictis intelligitur. Sed nolo in præſenti plura addere de notionibus communibus moralibus, quales non minus in theoria, quam in praxi dantur complures, cum quæ dici poterant ſuo hinc inde loco annotaturi ſimus. Obiter ſaltem obſervo, ſi notiones iſtæ communes colligerentur, & per modum axiomatum ſumerentur, poſſe ex iis elementa philoſophiæ moralis demonſtrari & hoc modo eandem ad notiones communes reduci, quemadmodum, ut alias jam monuimus, *Euclides* Geometriam ad notiones communes reduxit.

§. 119.

Voluntas bona dicitur, quæ ad actiones bonas committendas generaliter determinata eſt. Dicitur etiam *animus bonus.* Quamobrem *qui boni animi eſt, ſeu cujus voluntas bona ſeu animus eſt, ei propoſitum firmum eſt non committendi actiones niſi bonas, & per conſequens abſtinendi ab omnibus actionibus malis.* *Quid ſit voluntas bona* *bonus.*

Quid ſit voluntas bona, probe cognoſcendum eſt. Quamvis enim ſtudium virtutis facilitet atque fugam vitiorum; nondum tamen hominem efficit virtuoſum. Qui bonam habet voluntatem, propterea nondum bene ac recte agit, etſi bene

ac recte agere velit: immo fieri poteſt, ut ipſa bona voluntas hominem ad male agendum ſeducat. Indies quoque videmus, homines bonæ voluntatis imprudenter & minus recte, immo haud raro ſtulte agere. Vulgo bonus animus potiſſimum ſpectatur in actionibus, quæ reſpiciunt alios, & ad explendas muneris ſui partes requiruntur. Aſt hic ſignificatum extendimus ad actiones quascunque, etiam eas, quæ nos reſpiciunt: id quod a verna culo loquendi uſu minime abhorret, quando dicimus, es habe einer einen guten Willen. Atque in ſpecie voluntatem bonam, quatenus ſignificat animum non nocendi & aliis lubenter inſerviendi, idiomate patrio ein gutes Gemüthe dicere ſolemus. Et, ſi ita viſum fuerit, eodem modo eſſe bonæ voluntatis & eſſe boni animi diſtingui poterat, quamvis illa diſtinctio in philoſophia morali nullam ſpondere videarur utilitatem, ubi in genere demonſtratur, quid de bona voluntate tenendum ſit, ad ſpecialia deinceps facile applicandum. Per ſe autem patet, quemadmodum voluntas bona hic extenditur ad omne actionum humanarum genus; ita eandem quoque particulariter ſpectari poſſe, immo etiam dari in certo ſaltem actionum genere. Ita qui Apoſtolos perſequebantur ob doctrinam Chriſti, quam promulgare ſtudebant, bonam habebant voluntatem quoad puritatem religionis, quam: integram conſervare volebant, ipſo Chriſto teſte non tamen propterea dici poteſt, eos in genere habuiſſe voluntatem bonam.

§. 120.

Quod ea principium generale de bonitate & malitia actionis ſuppo-nat.

Quia homini, cui bona voluntas eſt, propoſitum firmum eſt non committendi actiones niſi bonas & abſtinendi ab actionibus malis (§. 119.), ideoque ut actu abſtinenata malis & bonas committat, præſupponendum eſt judicium de bonitate, vel malitia actionis; *bona voluntas ſupponit principium generale de bonitate & malitia actionis*, veluti quod actio bona ſit, quæ voluntati divinæ conformis, mala vero, quæ eidem

eidem adversatur, seu, quod perinde est, quod bona sit, quæ lege naturali præcipitur, mala vero, quæ eadem prohibetur. Unde porro consequitur, ut *notio bonæ voluntatis pro diversitate principii generalis de bonitate & malitia actionis, quod supponit, non iisdem verbis ab omnibus explicetur.* Ita a nonnullis bonam voluntatem habere dicitur is, cui firmum est propositum nil faciendi, nisi quod Deus vult, & abstinendi ab iis, quæ ab hominibus fieri non vult; ab aliis vero is, cui firmum est propositum non faciendi, nisi quod legi naturæ convenit, seu ab eadem vel præcipitur, vel permittitur, & abstinendi ab iis, quæ eadem lege prohibentur.

Voluntas in agendo actu determinatur per judicium intellectus, quo nimirum actus voluntatis seu volitio elicitur. Judicium hoc discursivum est, ideoqe supponit principium, vi cujus infertur. Ita nimirum ratiocinamur: Actio, de qua jam quæritur, num sit committenda, talis est. Sed talis actio bona est. Ergo hæc bona est. Cognita hoc modo bonitate actionis, voluntas in genere jam determinata statim fertur in actionem committendam: judicium enim, quod hæc actio bona sit, est motivum volitionis eam committendi (§. 890. *Psych. empir.*). Et eodem modo determinatur noluntas ejus, cui bona est voluntas, ad abstinendum ab actione aliqua.

§. 121.

Quia voluntas bona generaliter determinata est ad actiones bonas committendas (§. 119), actiones autem bonæ positivæ, seu comittendæ tendunt ad conservandam perfectionem essentialem & ad acquirendam accidentalem sui & aliorum, ad conservationem generis humani & perfectionem familiæ suæ atque ad perfectionem communem sociorum qua talium atque status eorundem (§. 115), privativæ autem bonæ consistunt in omissione actionum ad labefactandam,

Quomodo voluntas determinanda sit, ut sit bona.

dam, vel funditus evertendam perfectionem essentialem & ad imperfectionem sui & aliorum atque status sui & aliorum, ad imperfectionem familiæ & status ejusdem, itemque ad imperfectionem sociorum qua talium, aut status eorundem tendentium (§. 118.); *si voluntas bona esse debet, generaliter determinanda est ad actiones, quæ tendunt ad perfectionem sui & aliorum atque status sui & aliorum, ac in specie ad conservationem speciei atque perfectionem familiæ suæ & status ejusdem, itemque ad perfectionem sociorum qua talium atque status eorum & ad abstinendum ab actionibus istis contrariis,* & per consequens quia lex naturæ jubet, ut committamus actiones ad perfectionem sui & aliorum atque status sui & aliorum (§. 152. 222. *part. 1. Phil. pract. univ.*), itemque ad conservationem speciei suæ (§. 239. *part. 7. Jur. nat.*) & perfectionem familiæ (§. 689. & *seqq.* & §. 585. *part. 7. Jur. nat.*), atque perfectionem sociorum qua talium communem tendentes (§. 12. *part. 7. Jur. nat.*), lex vero præceptiva simul prohibitiva est contrarii (§. 722. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque jubet, ut ab actionibus illis contrariis abstineamus; *si voluntas bona esse debet, generaliter determinanda est ad committendum actiones legi naturæ convenientes & ad abstinendum ab actionibus eidem repugnantibus*, ideoque cum lex naturæ sit etiam lex divina (§. 277. *part. 1. phil. pract. univ.*) & Deus velit, ut legem naturæ servemus (§. 276. *part. 1. Phil. pract. univ.*), *voluntas quoque bona efficitur, si voluntas generaliter determinatur ad committendas actiones, quas Deus a nobis committi vult & ad abstinendum a contrariis.* Atque hinc porro liquet, *principium generale de bonitate & malitia actionum, quod supponit voluntas bona* (§. 120.), *non posse esse aliud nisi quod actio legi naturæ, vel voluntati divinæ conformis sit committenda & quod a contraria sit abstinendum.*

Cumulamus brevitatis causa in hoc paragrapho propositiones, ne inevitabilis eorundem in demonstrando repetitio tædium

um creet, quod evitari poterat, quemadmodum quoque jam alias fecimus.

§. 122.

Quoniam principium generale de bonitate & malitia actionum, quod ſupponit voluntas bona, non poteſt eſſe aliud, niſi quod actio legi naturæ vel voluntati divinæ conformis ſit committenda & quod a contraria ſit abſtinendum (§. 121.), *ſi voluntas generaliter determinetur aliter, quam ad committendas actiones legi naturæ, aut voluntati divinæ conformes & ad abſtinendum a contrariis, veluti ad eas committendas, quæ ad ſummum bonum tendunt & ad abſtinendum a contrariis, ea bona non eſt.*

Quando voluntas generaliter determinata per notionem actionum bonarum ſit.

Nimirum ſi determinatio genaralis voluntatis ſupponit principium generale, quod actiones bonæ ſint, quæ tendunt ad ea conſequenda, ex quibus voluptas percipitur, & ad depellendum molestiam (§. 5.), cum notio boni ſeductrix evadat, qua bonum repræſentatur per id, quod voluptatem creat, aut a moleſtia liberat, vel eam depellit, quando voluptas & moleſtia nocua ab innocua non diſcernitur (§. 6.); voluntas bona dici nequit, utpote non minus ad malum, quam ad bonum determinata. Bona voluntas generaliter determinata eſſe debet nonniſi ad bonum verum, nequaquam vero ad malum ſub ratione boni appetendum (§. 119.). Ne autem quis difficultates faceſſat, ubi nullæ ſunt, probe conſiderandum eſt, bonam voluntatem non conſiſtere niſi in determinatione generali, diſtinguenda a particulari in caſu dato, quam generali contrariam eſſe poſſe mox oſtendetur, quamvis id ex jam dictis facile intelligatur; & idem loquatur exemplum hoſtium doctrinæ Chriſti antea allegatum (*not.* §. 119.)

§. 123.

Velle abſtinere ab omni actione mala, quia bonæ contraria, & nolle committere actionem malam, quia mala eſt, differunt inter ſe.

De differentia voluntatis

Idem

tis abſtinendi ab actione aliqua & noluntate eam committendi.

Idem valet in caſu particulari. Qui enim vult abſtinere ab actione mala, quia bonæ contraria; ejus voluntas determinata eſt ad committendam actionem, quia bona eſt, & per conſequens bonitas motivum volitionis eſt (§. 980 *Pſych. empir.*) Quamobrem cum fieri non poſſit, ut actionem bonam & ei contrariam malam ſimul committere velit (§. 28. *Ontol.*); eodem motivo, quo voluntas determinatur ad actionem bonam committendam, eadem quoque determinatur ad abſtinendum ab actione eidem contraria mala. Enimvero qui non vult committere actionem malam, quia mala eſt, ejus noluntas determinata eſt ad non committendam actionem malam, per conſequens motivum nolitionis eſt repræſentatio mali (§. 890. *Pſych. empir.*). In caſu igitur priori actio, a qua abſtinendum, ſpectatur tanquam privativa bona (§. 24. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 756. *part. 1. Jur. nat.*), in caſu autem altero tanquam poſitiva mala (§. 24. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter velle abſtinere ab actione mala quia bonæ contraria a voluntate, committere nolle actionem malam, quia mala eſt, a noluntate unice dependet (§. 880. 881. *Pſych. empir.*). Velle igitur abſtinere ab actione mala, quia bonæ contraria, & nolle committere actionem malam, quia mala eſt, inter ſe differunt. *Quod erat unum.*

Enimvero cum demonſtratio aperte loquatur id valere de quacunque actione; propoſitio præſens non minus in determinatione voluntatis univerſali, quam particulari vera eſt. *Quod eratalterum.*

Diſtingvimus voluntatem a noluntate (§. 880. 881. *Pſych.* ſicuti in genere appetendi facultatem a facultate averſandi (§. 580. 581. *Pſych. empir.*), cum vulgo volitio & nolitio, ſeu in genere appetitio & averſio ad eandem facultatem, nimirum ad voluntatem, ſeu in genere, ad appetitum referantur (§. 583. *Pſych. empir.*). Abſit vero ut tibi perſuadeas, nos

positione præsente. Cum enim interſit in philoſophia morali diſtincte agnoſci, quomodo actus animæ determinentur, & eo fine facultates diverſæ in anima concipiantur (§. 81. *Pſych. rat.*); quæ diverſimode in anima determinantur, a ſe invicem utique diſtinguenda ſunt. Sane niſi conſtet, quomodo actus animæ determinentur, nec conſtare poteſt, num determinatio ſit in noſtra poteſtate & quomodo in eandem redigatur. Poſterius cum doceri debeat in Ethica, præſertim quoad ea, quæ appetere & averſari debemus; propoſitio præſens in eadem omnem attentionem meretur. Aliud omnino eſt, num voluntas feratur in omiſſionem actionis vi motivi, quo in bonam, cui illa contrariatur, fertur; aliud vero num noluntas reſpiciat actionem vi motivi ſibi peculiaris, ſicuti aliud eſt omiſſionem actionis ſibi repræſentare tanquam bonam, aliud vero actionem ſibi repreſentare tanquam malam. Maximi omnino momenti eſt cognoſcere latebras & receſſus in animis hominum. Quoniam itaque id fieri nequit, niſi determinationes facultatum animæ accurate diſcernantur (§. 74. *part. 1. Etb.*); quæ huc faciunt ſubtilitatibus ſterilibus perperam accenſentur. Immo cum philoſophi ſit rationem reddere, cur poſſibilia actum conſequi poſſint (§. 31. *Diſc. prælim.*); qui ea alto ſupercilio contemnit, quæ huc ducunt, is parum Philoſophum ſe probat.

§. 124.

Quoniam velle abſtinere ab omni actione mala, quia bonæ contraria, & nolle committere actionem malam, quia mala eſt, inter ſe differunt (§. 123.), velle autem abſtinere ab omni actione mala, quia bonæ contraria, ad bonam voluntatem pertinet (§. 119); *noluntas per ſe nondum dici poteſt bona, quia voluntas bona eſt.*

An noluntatis bonitas dependeat a bonitate voluntatis.

Si noluntati tribuere velis aliquam bonitatem, voluntas bona eſt eadem a voluntate in noluntatem derivanda, per ſe tamen eidem non ineſt. Multum vero intereſt, an bonitas

voluntati per ſe inſit, an vero eadem bonitatem voluntatis ſaltem quodammodo participare videatur, quatenus voluntas bona noluntatem ſibi ſubjicit, quemadmodum ex ſequentibus clarius eluceſcet.

§. 125.

Quid ſit noluntas bona.

Noluntas bona dicitur, quæ ad actionem malam non committendam generaliter determinata eſt. Quamobrem ei, *cui bona eſt noluntas, firmum propoſitum eſt non committendi actionem malam*, & per conſequens *ſibi cavendi ne actionem quandam malam committat.* Et quoniam noluntatis motivum eſt repræſentatio mali (§. 890. *Pſych. empir.*) *is, cui noluntas bona eſt, ab actione mala abhorret, quatenus mala eſt:* cum vero is, *cui voluntas bona eſt*, abſtineat ab actione mala, quia bonæ contraria, (§. 119.), etſi malitiam actionis non agnoſcat, aut ſaltem animum ad eandem minime attendat; *actionem malam ſaltem non committit, quia commiſſio cum propoſito ſuo non committendi niſi actionem bonam conſiſtere nequit.*

Facile jam intelligitur quandonam omiſſio actionis malæ dependeat a noluntate bona, quandonam vero a voluntate bona. Etenim ſi voluntas bona eſt, homo actionem committere non vult, quia malam eſſe agnoſcit, ideoque motivum non committendi eſt repræſentatio mali, ſeu malitia actionis intrinſeca: aſt ſi a voluntate bona unice dependet omiſſio actionis malæ, homo eandem omittere vult, quatenus agnoſcit eam eſſe bonæ, in quam fertur appetitus, contrariam, ideoque motivum eam omittendi conſiſtit in repræſentatione boni, quod appetitur, ſed hic abeſſe agnoſcitur. In caſu priori actio omittitur ex propoſito generadi actionem malam non committendi; in poſteriori autem ex propoſito generali actionem nonniſi bonam committendi, cujus neceſſarium conſequens eſt omiſſio actionis bonæ contrariæ, quam ſcilicet bonam non eſſe agnoſcimus

ſcimus. Atque ideo in caſu poſteriori ad malitiam intrinſecam actionis animus non attenditur, immo ea ignorari poteſt; ſed motivum actionis bonæ influit in determinationem abſtinentiæ ab actione mala, quia bonæ contraria. Vide, quæ modo de differentia inter voluntatem ab actione mala abſtinendi, quia bonæ contraria, & noluntatem eam committendi, quia mala eſt, demonſtravimus (§. 123.).

§. 126.

De principio generali quod ſupponit noluntas bona.

Quia noluntas bona generaliter determinata eſt ad non committendum actionem malam (§. 125.), noluntas vero dependet a judicio intellectus, quod actio talis mala ſit (907. *Pſych. empir.*); *noluntas bona ſupponit principium generale de malitia actionum*, veluti quod mala ſit actio, quam Deus ab hominibus committi non vult, aut quæ legi naturæ prohibetur. Unde ſequitur, ut *notio bona noluntatis pro diverſitate principii generalis de malitia actionum, quod ea ſupponit, diverſimode enuncietur.*

Sine motivo nulla datur in anima nolitio (§. 889. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum motivum nolitionis ſit repræſentatio mali (§. 890. *Pſych. empir.*), noluntas generaliter determinari nequit niſi per notionem quandam generalem de malitia actionis. Ex ipſa igitur natura noluntatis patet, noluntatem malam concipi non poſſe niſi præſupponatur principium generale, quo talis actio declaratur mala.

§. 127.

De determinatione voluntatis notanda.

Quoniam noluntas bona generaliter determinata eſt ad non committendum actionem malam (§. 125.), actiones autem malæ poſitivæ, ſive omittendæ tendunt ad labefactandam, vel funditus evertendam perfectionem eſſentialem, & ad imperfectionem accidentalem ſui & aliorum, ad im-

perfectionem conſervationi ſpeciei, ſeu generationi & educationi prolis contrariam & ad imperfectionem familiæ atque ſtatus ejusdem, ad imperfectionem communem ſociorum qua talium & ſtatus eorundem (§. 117.), actiones autem malæ privativæ ſunt neglectus actionum ad conſervationem perfectionis eſſentialis, ad acquirendam accidentalem ſui & aliorum, ad conſervationem generis humani & in ſpecie familiæ ejusque perfectionem, vel denique ad perfectionem communem ſociorum atque ſtatus eorundem tendentium, quas edere poteramus (§. 116.); *ſi noluntas bona eſſe debet, generaliter determinanda eſt ad actiones non committendas, quæ tendunt ad labefactandam, vel funditus evertendam perfectionem eſſentialem & ad imperfectionem accidentalem ſui & aliorum, ad imperfectionem conſervationi ſpeciei, ſeu generationi & educationi prolis contrariam & ad imperfectionem familiæ ſuæ, itemque ad imperfectionem communem ſociorum qua talium & ſtatus eorundem & ad non omittendum, ſeu negligendum actiones iisdem oppoſitas, ad conſervationem ſcilicet perfectionis eſſentialis & acquiſitionem accidentalem ſui & aliorum, familiæ ſuæ & ſociorum qua talium communem ſpectantium.* Quoniam conſtat lege naturæ actionum malarum poſitivarum commiſſionem & neglectum bonarum poſitivarum, in quo conſiſtunt actiones malæ privativæ, prohiberi, id quod brevitatis cauſa ex philoſophia practica univerſali & jure naturæ tanquam notum ſuppono, lex divina eſt, (§. 277. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec alia eidem contraria homini a Deo præſcribi potuit (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *noluntas bona principium aliud generale ſupponere nequit, niſi quod actio lege naturali prohibita, vel voluntati divinæ adverſa mala ſit.*

Quod voluntas & noluntas bona nequeant ſupponere principium aliud quam convenientiam & repugnantiam actionum humanarum cum lege naturæ, absque ulla hæſitatione admittit,

tit; qui perpendit, legem hanc extendi ad omnes actiones humanas, ita ut per eandem omnis actio bona & mala in quocunque caſu definiatur: id quod ſatis ſuperque apparet ex ampliſſima juris naturæ tractatione, quam feliciter abſolutam publici juris fecimus. Juris hujus autor eſt ipſe Deus (§. 273. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eamque legem homini tulit (§. 274 *part. 1. Phil. pract univ.*), ideoque perinde eſt, ſive voluntas & noluntas determinetur per convenientiam & diſconvenientiam actionis cum lege naturali, ſive per conformitatem & repugnantiam cum voluntate divina. Chriſtiani voluntatem Dei agnoſcunt ex oraculis divinis, quæ habent. Attamen nec in hisce præcipiuntur legi naturæ adverſa, nec prohibentur eidem conformia, etſi quoad religionem addantur rationi impervia.

§. 128.

Voluntas generaliter ad committendas actiones non niſi malas determinari nequit, nec noluntas ad actiones bonas non committendas determinari poteſt. Etenim ſi malum appetimus, id appetimus ſub ratione boni & ſi bonum averſamur, id averſamur ſub ratione mali (§. 896. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo voluntas generaliter determinetur ad actiones malas certi generis committendas, actiones iſtæ non ſpectantur reſpectu ſui tanquam malæ, ſed tanquam bonæ, & quando noluntas generaliter determinatur ad actiones bonas certi generis non committendas, eædem reſpectu ſui non ſpectantur tanquam bonæ, ſed tanquam malæ. Quamobrem fieri nequit, ut voluntas generaliter determinetur ad committendas actiones nonniſi malas, noluntas ad actionem bonam quamcunque non committendam. *De generali determinatione voluntatis & noluntatis impoſſibili.*

Neceſſe eſt, ut propoſitio præſens recte intelligatur, ne quid difficultatis faceſſat. Nimirum ſi cujus voluntas generaliter determinanda eſt ad actiones nonniſi malas committen-

das; neceſſe eſt, ut is firmiter ſibi proponat nullam committere actionem, niſi quam malam eſſe cognoverit. Et ſi noluntas generaliter determinanda ad non committendam actionem ullam, quæ bona eſt; neceſſe eſt, ut firmiter ſibi proponat nullam committere actionem, quam bonam eſſe cognoverit. Actiones igitur hic ſpectantur non quales in ſe revera ſunt, ſed quales habentur judicio agentis. Iſtiusmodi determinationem generalem impoſſibilem eſſe, nemo non ultro largietur, qui voluntatis ac noluntatis naturam cognitam atque perſpectam habet. Iſtiusmodi malitia concipi nequit, ut quis velit actionem ea unice de cauſa committere, quia lege naturæ prohibetur, aut non committere, quia eadem præcipitur, aut illas ideo committere, quia Deus eas a nobis committi non vult, vel non committere, quia Deus vult ut committantur. Etenim ſi actiones patrat legi naturæ, vel voluntati divinæ adverſas, voluntatem determinat per notionem boni deceptricem, & ſi committere non vult legi naturæ, vel veluntati divinæ convenientes, noluntatem determinat per notionem mali deceptricem (§. 5. 6.). Cum enim falſo æſtimet felicitatem (§. 113), ſi vel maxime novit actionem quandam legi naturæ, aut voluntati divinæ adverſari, legem naturæ aut voluntatem divinam felicitati ſuæ adverſari opinatur.

§. 129.

De voluntate & nolutate mala.

Voluntas mala dicitur, quæ generaliter determinata eſt ad actiones malas certi generis committendas, veluti ad nocendum aliis, vel defraudandos alios, aut ſe ingurgitandum. Et ex adverſo *Noluntas mala* appellatur, quæ generaliter determinata eſt ad actiones bonas certi generis non comittendas, veluti ad non inſerviendum aliis, aut ad ſe non perficiendum. *Malus* inprimis *animus* dicitur, ſi voluntas generaliter determinata ad nocendum aliis.

Cur

Cur voluntas mala & noluntas reſtringatur ad certum actionum genus, per propoſitionem præcedentem patet. Neminem eſſe gratis malum, dudum inculcarunt alii, experientia magiſtra, & ipſa voluntatis ac noluntatis natura id ſufficienter indicat. Si cujus voluntas determinata eſt ad nocendum aliis, vel defraudandos alios, id fit partim lucri ſui, partim voluptatis ex aliena infelicitate percipiendæ cauſa. Si cujus noluntas determinata eſt ad non inſerviendum aliis, id ideo fit, quod moleſtum videatur ſine ſuo commodo alterius commodum promovere. Rationem in caſu dato ſemper manifeſtabit notio boni & mali deceptrix (*not.* §. 128.).

§. 130.

Quoniam voluntas mala generaliter determinata eſt nonniſi ad actiones malas certi generis committendas, & noluntas nonniſi ad actiones bonas certi generis non committendas (§. 129.); ideo *non repugnat, ut, cujus voluntas reſpectu certi generis actionum mala eſt, ejusdem voluntas reſpectu actionum certi generis bona ſit* (§. 119.). *Idem valet de noluntate.* Immo *in eodem genere actionum voluntas atque noluntas non adeo mala eſt, quin in nonnullis caſibus particularibus admittatur exceptio.*

An particularis determinatio ad bonum & malum posſibilis ſit.

Fieri poteſt e. gr. ut, cujus voluntas generaliter determinata eſt ad ſeſe ingurgitandum, eo tamen non obſtante determinata ſit ad inſerviendum aliis. Et ex adverſo cujus noluntas determinata eſt ad non inſerviendum aliis, ejus tamen animus alienus eſſe poteſt a defraudandis aliis, & abhorrere a damno inferendo aliis, immo pronus eſſe poteſt ad amicorum commoda promovenda. Non repugnat, ut crudeliſſimus latro, quem malitia propter ſe delectat, pronus ſit ad ſociorum commoda promovenda, etiamſi non pertineat ad ea, quæ ſocietatis communia ſunt.

§. 131.

Digitized by Google

§. 131.

Cur voluntas & noluntas bona non ſufficiat ad actiones malas omittendas, bonas vero comittendas.

Si is, cui voluntas & noluntas bona eſt, errores foveat in jure naturæ, ſeu de actionibus bonis & malis; illo non obſtante malas patrat, bonas committere non vult. Etenim cui voluntas bona eſt, ei firmum propoſitum eſt non committendi niſi actiones bonas & abſtinendi ab actionibus iisdem contrariis (§. 119.). Et cui noluntas bona eſt, ei firmum propoſitum eſt non committendi, ſed omittendi actionem malam (§. 125). Enimvero ſi errores fovet de actionibus bonis & malis; malas eſſe judicat, quæ bonæ ſunt & bonas aut ſaltem permiſſas, quæ malæ ſunt (§. 624. *Log.*). Quamobrem cum in caſu particulari voluntas & noluntas ſequatur determinationem generalem, ſi is, cui voluntas & noluntas bona eſt, errores fovet de actionibus bonis & malis, illo non obſtante malas patrat, bonas committere non vult.

Conſtat olim apud multas gentes erroneam regnaſſe opinionem, quod fornicatio ſit licita, ſeu jure naturæ permiſſa. Quamvis itaque alicui fuerit voluntas bona, ſeu firmum propoſitum abſtinendi ab actione omni legi naturæ adverſa; non tamen ideo abſtinuit a fornicatione. Immo ſi quis putet coitum modicum conducere ſanitati; eidem ipſa bona voluntas, quatenus fertur in bonum conſervativum (§. 44.), fornicationem modicam perſuadebit, & difficulter tandem ſibi cavebit ab exceſſu. Similiter nec deſunt hodie, qui talionem juri naturæ maxime conſentaneam pronunciant, cum tamen eidem repugnet. Non obſtante igitur noluntate bona de non nocendo aliis par malum pari malo referre minime dubitabunt. Nolo cumulare exempla in re ſatis manifeſta, modo quis animum attendere velit ad ea, quæ quotidie fiunt.

§. 132.

De differentia voluntatis

Quoniam voluntas & noluntas bona non ſufficit ad abſtinendum ab omni actione mala, & ad committendas non niſi

niſi actiones bonas, easque non omittendas (§. 131.), voluntatis autem perfectio conſiſtit in determinabilitate per bonum verum & noluntatis perfectio in determinabilitate per malum nonniſi verum (§. 271. *part. 7. Jur. nat.*); *voluntas bona & perfecta atque noluntas bona & perfecta differunt, ſuamque voluntatem ac noluntatem nondum perfecit, qui curæ cordique habuit, ut voluntas ac noluntas efficiatur bona.* Ex collatione definitionum voluntatis & noluntatis bonæ atque perfectæ ſtatim patet, *voluntatem ac noluntatem perfectam eſſe quoque bonam, aſt non* ex adverſo *voluntatem ac noluntatem bonam eſſe perfectam* (§. 119. 125. *b.* & §. 271. *part. 1. Jur. nat.*).

Falluntur ideo, qui voluntatem ac noluntatem bonam cum perfecta confundunt, & propterea voluntatem atque noluntatem perficere negligunt, quaſi voluntas bona ſufficiat ad bene agendum, noluntas bona ad malas actiones vitandas. Acutiores hinc vident, quomodo certo quodam ſenſu admitti poſſit, voluntatem emendandam eſſe ante intellectum, quatenus ſcilicet conſultum eſt voluntatem ac noluntatem effici bonam, antequam perficiatur. Sed qui emendationem hominis a voluntate, non ab intellectu inchoandam eſſe contendunt, defectu notionum diſtinctarum multa confundunt, quæ a ſe invicem diſtingvi debebant, & multis præjudiciis & erroneis opinionibus perfectioni voluntatis ac noluntatis admodum adverſis fores pandunt, ut ad virtutem infucatam & ſeriam vitiorum fugam non pateat aditus.

§. 133.

Voluntas perfecta requirit exactam juris naturæ, ſeu actionum bonarum & malarum ſcientiam: voluntas vero ac noluntas bona cognitionis eam non ſupponit, ſed ad eam ſufficit generalia quædam de jure naturæ, ſeu actionibus bonis & malis congnoſci. Etenim ſi voluntas & noluntas perfecta eſt, illa non determinatur niſi per

Differentia voluntate *perfecta & a bona ſup-*

bonum verum, hæc non determinatur nisi per malum verum (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*), consequenter supponitur, ut bonum verum & malum verum sit cognitum, & per consequens ut constet, quænam actiones sint revera bonæ, quænam revera malæ. Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad actiones intrinsece bonas committendas & intrinsece malas omittendas (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*), scientia autem instructus certam rerum cognitionem habeat (§. 595. *Log.*); voluntas & noluntas perfecta requirit exactam juris naturæ, seu actionum bonarum & malarum scientiam. *Quod erat primum.*

Enimvero si voluntas generaliter saltem determinanda ad actiones bonas committendas & noluntas ad malas non committendas, motivo saltem generali opus est ad hanc determinationem, neque requiritur, ut agnoscas quænam præcise actiones sint bonæ, quænam malæ, seu quænam legi naturæ conveniant, quænam vero eidem repugnent. Quamobrem voluntas & noluntas bona non supponit scientiam juris naturæ, seu actionum bonarum & malarum, hoc est, voluntas & noluntas bona effici potest, etiamsi scientia juris naturæ, seu actionum bonarum & malarum non fueris instructus. *Quod erat secundum.*

Quoniam tamen voluntas & noluntas non determinatur sine motivis (§. 889. *Psych. empir.*), ad voluntatem & noluntatem generaliter determinandam ad committendas actiones bonas & omittendas malas, seu actiones suas legi naturæ conformandas, generali quodam motivo opus est, quale est felicitas sine custodia legis naturæ non consequenda (§. 398. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & infelicitas, quam transgressio legis naturæ parit (§. 405. *part. 1. Phil pract. univ.*), quemadmodum jam alias demonstravimus (§. 326. 327. *part.*

part. 2. Phil. pract. univ.); ſi voluntas atque noluntas bona efficienda, generalia quædam de lege naturæ præcognoſcenda ſunt (§. 119. 125.). *Quod erat tertium.*

Is, cujus voluntas & noluntas perfecta eſt, novit, quænam actiones ſint revera bonæ, quænam malæ: cui vero bona ſaltem eſt voluntas & noluntas, is vult committere actiones bonas & omittere malas, quas tales eſſe judicaverit. Quamobrem cum in caſu dato particulari voluntas & noluntas determinari nequeat ad actiones bonas committendas & malas omittendas, niſi verum fuerit de actionis bonitate atque malitia judicium, ſive ea æſtimetur ex convenientia & disconvenientia cum lege naturæ, ſive ex conformitate & repugnantia cum voluntate divina; error utique officit ei, cui bona eſt voluntas & noluntas, imperfectione intellectus influente in voluntatem & noluntatem. Bona igitur voluntas & noluntas non ante efficitur perfecta, quam citra errorem cognoveris, quid legi naturali ſeu voluntati divinæ conveniat, aut disconveniat. In philoſophia morali unum idemque eſt, ſive voluntas & noluntas bona determinetur per convenientiam & disconvenientiam cum lege naturæ, ſive per conformitatem & repugnantiam cum voluntate divina. Cum enim Deus homini legem naturali contrariam præſcribere non potuerit (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſi quæritur, quidnam voluntati divinæ conforme ſit, quidnam eidem repugnet, non aliter reſponderi poteſt, quam id voluntati divinæ conforme eſſe, quod legi naturæ convenit, id repugnare, quod huic disconvenit. Quodcunque igitur principium generale ſupponit voluntas & noluntas bona (§. 121. 126.); voluntatem & noluntatem perfici non poſſe patet, ne exorbitet, niſi exacta juris naturæ ſcientia. Aliter vero ſeſe res habet, ſi homo chriſtianus voluntatem divinam agnoſcere ſtudet ex oraculis ſacris: ubi in caſu particulari quæſtio huc redit, an in ſcriptura ſacra actio hæc a Deo præcipiatur, an prohibeatur. Atque tum bonæ voluntati & noluntati nocet error in

interpretando, vel in conſequentiis deducendis admiſſus. Neque voluntas & noluntas perficietur, niſi exacta oraculorum divinorum & eorum, quæ inde neceſſario conſequuntur, cognitione. Facilius autem errorem in interpretando & conſequentiis deducendis vitabit, qui ſcientia juris naturæ pollet, quam qui ejusdem prorſus ignarus eſt, & qui intellectum perficere ſtuduit, quam qui eidem perficiendo operam nullam navavit. Error ille ſi evitetur, de actionis bonitate & malitia idem erit judicium, quod jus naturæ ſuggerit.

§. 134.

De neceſſitate ſtudii juris naturæ.

Quoniam voluntas & noluntas perfecta requirit exactam juris naturæ ſcientiam (§. 133.); *qui voluntatem & noluntatem perficere vult, ſcientiæ juris naturæ acquirendæ omnem operam navare debet.*

Non eſt quod objicias, hoc modo fieri non poſſe, ut perfectionem voluntatis & noluntatis conſequantur homines ſcientiæ minime capaces, ideoque plurimi. Etenim horum bona voluntas & noluntas dirigenda eſt ab iis, quorum voluntas & noluntas perfecta eſt (§. 221. *part. 1. Phil. pract. univ.*) Ideo in Rep. conſtituendi ſunt doctores publici, qui in civitate degentes de voluntate Dei inſtituere debent (§. 459. *part. 8. Jur. nat.*), atque hi notitia voluntatis divinæ, ideoque ſcientia juris naturæ inſtructi eſſe debent (§. 460, *part. 8. Jur. nat.*). Quodſi errore ipſorum ſeducantur ad male agendum alii, quorum bona eſt voluntas & noluntas, id ipſis imputandum. Unde elucet, quam ſit neceſſe, ut voluntati & noluntati perficiendæ ſtudeant illi, a quorum autoritate pendet voluntas & noluntas bona aliorum, ne in caſu particulari dato exorbiter.

§. 135.

De iis qui demonſtrati-

Quoniam ſcientiæ juris naturæ operam navare debet, qui voluntatem & noluntatem perficere vult (§. 134.), defectum

fectum autem ſcientiæ ſupplet, ſi veritates univerſales, quæ hominibus demonſtrationem capere neſcientibus ſcitu neceſſariæ ſunt, ad ſenſum communem reducantur (§. 422. *part. 1. Eth.*); ſi *voluntas & noluntas ejus perficienda, qui demonſtrationem*, quæ ſcientiam parit (§. 598. *Log.*), *capere neſcit; leges naturæ ad ſenſum communem reducendæ*, conſequenter *opera danda, ut notiones bonitatis & malitiæ intrinſecæ actionum per ideas rerum in vulgus notarum ob ſimilitudinem animo ingenerentur*, cumque neceſſe ſit, ut voluptatem nocuam ab innocua diſcernere (§. 6.), moleſtiam innocuam agnoſcere diſcat (§. 7.), *exemplis atque fabulis docendus, quænam pro bonis habeantur, aſt nonniſi nocuam voluptatem afferunt & quænam habeantur pro malis, aſt nonniſi innocuam quandam moleſtiam comitem habent.*

ones juris naturæ capere nequeunt.

Veritates morales ad ſenſum communem eſſe reducendas, jam alias oſtendimus (§. 246. *Part. 1. Ethic.*). Dedimus quoque exempla hujus reductionis a Chriſto & Apoſtolo ſuppeditata (*not.* §. 242. 246. *part. 1. Eth.*). Abſit, ut tibi perſuadeas, homines, in quos ſcientia minime cadit, totos ab autoritate aliorum pendere debere! Accedit, quod veritatis eorum, quæ nobis inſinuata ſunt, optime convincamur, ſi ea in nobis ipſis experiamur (§. 271. *prrt. 2. Phil. pract. univ.*), & exempla atque experientia propria ducant ad cognitionem vivam (§. 273. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quæ fit motivum voluntatis & noluntatis (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Enimvero cum ea omnia, quæ de modo conſequendi ſummum bonum & felicitatem terreſtrem demonſtrata ſunt in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis, ad perficiendam voluntatem & noluntatem tendant; in præſenti nobis eſſe licet brevioribus. Inprimis conſultum eſt, ut relegantur, quæ inculcavimus de modo permovendi felicitate ad bona vera appetenda eos, qui demonſtrationes a priori non capiunt (§. 350. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamvis vero ad voluntatem & noluntatem

perficiendam faciat ſcientia juris naturæ (§. 134.); in philoſophiæ practicæ univerſalis parte altera jam oſtendimus, quod ea, quæ in propoſitione præſenti præcipiuntur ad ſupplendum ſcientiæ defectum, mirifice quoque proſint ei, qui juris naturæ ſcientia inſtructus eſt, & cum ſcientia conjungenda ſint. Et ne via ad felicitatem veram præcluſa videatur vulgo inerudito atque iis, qui in moralibus eodem altius non ſapiunt; probe tenendum eſt, cum jus naturæ extendatur ad omnes omnino actiones humanas, non autem actiones promiſcue omnes ſint cujusvis, non opus eſſe ut omnes ad actionum bonarum & malarum omnium cognitionem vivam perducantur, ſeu integram juris naturæ theoriam animo complectantur, ſed ſufficere, ut ea unusquisque habeat perſpecta, quæ cognitu ipſi neceſſaria ſunt. Nemini adeo noverca eſt natura, quin cognoſcere valeat, quænam ad felicitatem conſequendam ipſi ſcitu neceſſaria ſunt, ideoque ad componendum actiones ſuas ad normam legis naturæ. Quænam vero ſint ea, quæ promiſcue omnibus cognitu neceſſaria ſunt, & quomodo conſulendum ſit iis, qui ſcientiæ proprie ſic dictæ non ſunt capaces, ex ſpeciali tractatione ſatis ſuperque elucescet. Pertinent ex jure naturæ huc inprimis ea, que de officiis præſcribuntur & ad pauca principia generalia reduci poſſunt. Noſtrum vero eſt in Ethica demonſtrare, quænam ad voluntatem & noluntatem abſolute perficiendam requirantur, ut conſtet, quomodo ad ſummam perfectionem uſu facultatum humanarum acquiſitu poſſibilem perveniatur, conſequenter ad quam metam tendere debeamus. Quamvis enim eam non attingere valemus; opera tamen danda eſt, ut ad eam tam prope accedamus, quantum datur, & cavendum, ne longius ab ea diſtemus culpa noſtra, cum propius accedere potuiſſemus. Quodſi homines conjunctis viribus felicitatem ſuam promovere ſtuderent, quemadmodum fieri debebat; longe plura in poteſtate forent, quam vulgo putatur, præſertim ſi populorum Rectores in eo deſiderari minime pate-

rentur

rentur officii ſui partes, quod ad curam circa virtutem ſpectat (§. 456. *part. 8. Jur. nat.*), quæ plerumque vel abjicitur, vel non attenditur, quia ignoratur, in politica accuratius diſcutienda. Sunt qui ſcientiam arduam contemnunt, quaſi ad voluntatem perficiendam ſi non prorſus inutilem, ſaltem non neceſſariam. Sed hi ſunt, qui perfectionis voluntatis atque noluntatis notionem vel nullam, vel ſaltem non diſtinctam & ſatis adæquatam habent, & voluntatem bonam cum perfecta confundunt, nec quid revera ſit voluntas bona ſatis cognoſcunt. Temeraria igitur eorumdem judicia nullam merentur attentionem.

§. 136.

De cognitione rationis, cur actio aliqua bona, vel mala ſit.

Qui voluntatem & noluntatem perficere vult, tempeſtive cognoſcere debet actionem, cur actio aliqua ſit bona, vel mala. Si enim voluntas & noluntas perfecta eſt, illa determinari debet per bonum verum ad agendum, hæc per malum verum ad non agendum (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum actiones bonæ referantur vel ad bonum ſuitatis, vel ad bonum communionis, & ex adverſo malæ vel ad malum ſuitatis, vel ad malum communionis (§. 114.), & illæ dicantur bonæ, hæ autem malæ, quatenus vero actiones repræſentantur tanquam bonæ, eas appetamus (§. 904. *Pſych. empir.*), & quatenus repræſentantur tanquam malæ, eas averſemur (§. 907. *Pſych. empir.*); qui voluntatem perficere vult, tempeſtive cognoſcere debet rationem, cur actio aliqua ſit bona (§. 56. *Ontol.*), & ex adverſo cur ſit mala, ſi noluntatem perficere velit.

Hinc intelligitur, cur in anterioribus bonorum & malorum genera diſtincte a nobis explicata fuerint, quodque in Ethica explicari debeant. Quamobrem ad perfectionem voluntatis & noluntatis plurimum conducit, ut bonorum & malorum genera nobis intime cognita & perſpecta reddamus & actiones quasli-

quaslibet obvias ad eadem referre ſtudeamus. Si jus naturæ a priori ex ipſa hominis natura demonſtratur, quemadmodum a nobis factum eſt in ſyſtemate, quod condidimus; rationes iſtæ cuilibet obviæ ſunt. Aſt ſi quis ſyſtema juris naturæ animo comprehendere minime valet; is tamen rationes, cur actio aliqua ſit bona vel mala cognoſcere poteſt eo modo, quem in præcedente propoſitione inſinuavimus. E. gr. abſtinendum eſt a nimio vini potu. Hauſtus vini nimius malus eſt, quia ſanitati nocet, ideoque ad malum deſtructivum refertur (§. 53.). Quamvis itaque hoc via demonſtrationis aſſequi nequeas; ſufficit tamen id doceri exemplis. Niſi enim actio agnoſcatur bona, id quod aliter fieri nequit, quam ut manifeſta ſit ratio, cur bona ſit, nec voluntas ad eam committendam determinari poteſt, ut nihil admittatur inviti. Hic enim quæritur, quomodo homo uſu rationis libere ſe determinet ad agendum, non quomodo invitus ad actionem aliquam committendam determinandus, quam omittere mallet, non ſine interna repugnantia, etſi in omni caſu non eadem facilitate obſervabili. Sine ratione, cur actio aliqua bona vel mala ſit, non agnoſcuntur motiva volitionis & nolitionis (§. 890. *Pſych. empir.*), ſine quibus tamen nulla datur in anima volitio & nolitio (§. 889. *Pſych. empir.*).

§. 137.

Quando pueri ad eam adducendi.

Quoniam is, cujus voluntas & noluntas perficienda, tempeſtive cognoſcere debet rationem, cur actio aliqua ſit bona vel mala (§. 136.); *quamprimum pueri intellectu uti diſcunt, docendi ſunt, cur actiones ſint committendæ, cur omittendæ, data nimirum ratione, ob quas illæ ſunt bonæ, hæ autem malæ, & creſcente uſu intellectus, danda eſt opera, ut agnoſcant rationem datam eſſe veram.*

Multi ſunt, qui ſibi perſuadent, ſufficere ut pueri actionibus bonis committendis, malis omittendis adſuefiant; ſed oppido falluntur. Quamvis enim hoc fieri debet modo; hoc tamen

modo nondum perficitur voluntas, ideoque nec conſtans efficitur, neque perpetua, ſed non una de cauſa facile in contrarium flectitur, ſicque omnis opera & ſollicitudo, quam in educatione adhibuimus, fruſtratur, ita ut magno conatu nihil feciſſe tandem videamur. Qui ad propoſitionem præſentem animum attendit, is haud difficulter animadvertet, diſtingvi a nobis notitiam rationis a cognitione veritatis. Etenim fieri poteſt, ut norim rationem, cur aliqua actio ſit bona, vel mala, nondum tamen mihi conſtet rationem iſtam eſſe veram. Qui audivit ab aliis, nimium vini hauſtum ſanitati eſſe adverſum, is novit rationem, cur is ſit actio mala; aſt niſi convictus, aut ſaltem perſuaſus fuerit, verum eſſe, quod nimius vini hauſtus ſanitati noceat, adhuc ignorat rationem iſtam eſſe veram Cum intellectus uſus ſucceſſive acquiratur, ratio, cur actio aliqua bona, vel mala ſit, addiſci poteſt, etiamſi nondum capi poſſit, rationem eſſe veram. Quamobrem in perficienda voluntate a teneris ungviculis initio ſufficit, ut pueri doceantur, quænam ſit ratio, cur actionem committere, vel omittere debeant, & ubi ampliorem intellectus uſum conſecuti, oſtendendum quoque ipſis eſt, rationem iſtam eſſe veram. Alia, quæ hic adhuc obſervanda ſunt, in præſenti non commemoramus, quia de liberorum educatione ex inſtituto jam non agimus.

§. 138.

Metu pœnarum & ſpe præmiorum voluntas & noluntas minime perficitur. Etenim qui metu pœnæ permovetur ad actionem committendam, vel omittendam, is actionem committit, vel omittit, ut pœnam evitet, vel præmii particeps fiat. Voluntas igitur non determinatur ad actionem committendam, quia bona eſt, nec noluntas ad actionem omittendam, quia mala eſt. Quamobrem cum voluntas & noluntas perfecta non ſit, niſi illa determinetur ad actionem committen-

An voluntas metu pœnarum & ſpe præmiorum perficiatur.

dam, quia bona eſt, hæc ad omittendam, quia mala eſt (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*); metu pœnarum non perficitur voluntas. *Quod erat unum.*

Eodem modo oſtenditur, ſpe præmiorum voluntatem non perfici. *Quod erat alterum.*

Si metu pœnarum actionem committimus, eam non appetimus propter ſe, ſed averſantes pœnam tanquam malum actionem appetimus tanquam medium depellendi malum. Quamobrem ſi quis putet, ſe pœnam alio modo evitare poſſe, obligatio, quæ metu pœnarum introducitur, inefficax eſt, hoc eſt, activæ non reſpondet paſſiva (§. 118. *pract. 1. Phil. pract. univ.*). Similiter ſi quis metu pœnæ actionem non committit, eam non averſatur propter ſe, ſed revera pœnam averſatur tanquam malum & omiſſionem actionis appetit tanquam medium depellendi malum. Et idem eodem modo intelligitur de ſpe præmiorum. Abunde igitur patet, metu pœnarum & ſpe præmiorum non perfici voluntatem & noluntatem, & toto cœlo errare, qui metu pœnarum vel ſpe præmii hominem virtuoſum efficere volunt, hoc eſt, voluntatem ejus conſtantem & perpetuam non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. 328. *pract. 1. Phil. pract. univ.*). Quamvis itaque liberi ab initio, cum intellectus uſu nondum pollent, quantum ſufficit ad cognoſcendum bonitatem & malitiam actionum, metu pœnarum deterreantur ab actionibus ſive committendis, ſive omittendis, vel ſpe præmiorum incitentur ad actiones committendas, vel omittendas (§. 9.); non tamen in eo ſubſiſtendum, ſed danda opera, ut etiam voluntas perficiatur, quamprimum per ætatem permittitur (§. 137.).

§. 139.

De durationne determinationis voluntatis.

Quoniam metu pœnarum & ſpe præmiorum voluntas & noluntas non perficitur (§. 138.), ideoque illa non determinatur ad actionem committendam, quia per ſe bona eſt,

eſt, nec ad malam omittendam, quia per ſe mala eſt; *metu pœnarum & ſpe præmiorum quocunque modo evaneſcente, actio mala committitur, bona omittitur, in quam voluntas per ſe propendet, aut quam nauſeat noluntas.*

luntatis & noluntatis metu pœnarum aut ſpe præmiorum facta.

Metus pœnarum & ſpes præmiorum eſt ratio determinationis actionem committendi, vel omittendi (*not.* §. 138.). Quamobrem cum ſine ratione ſufficiente, quæ eadem cum determinantibus (§. 116. *Ontol.*), nil eſſe poſſit (§. 70. *Ontol.*), metu pœnarum & ſpe præmiorum ceſſante, ceſſat quoque determinatio voluntatis & noluntatis ad actionem committendam, vel omittendam. Ceſſat autem metus pœnæ non modo, quando pœna a ſuperiore tollitur, aut ſi a poteſtate ejus liberamur; verum etiam ſi quis opinetur, ſe pœnam evitare poſſe, aut ſi malit pœnam ſubire, quam bono, quod ex actione commiſſa ſperat, carere, vel etiam pœnam minus moleſtam arbitretur, quam ipſi accidit commiſſio actionis. Non abſimili modo idem patet de ſpe præmii. Experientia aperte loquitur ea, quæ a nobis dicuntur, modo quis in obſervando deſiderari non patiatur attentionem & acumen ſuum. In moralibus conſtans eſt rationis & experientiæ conſenſus. Quodſi diſſenſus appareat, defectus vel in illa, vel in hac notatur. Ac ideo fieri poteſt, quod fieri debere alias oſtendimus (§. 270. 272. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ut veritas eorum, quæ in philoſophia practica demonſtrata cognovimus, exemplis & experientia propria confirmentur, & nos hoc modo in eadem confirmemur. Immo ideo fieri poteſt, ut in moralibus experiundo multum proficere poſſit, qui ſcientiæ capax non eſt, & ut in perficienda voluntate experientia non modo ſuppleat ſcientiæ defectum (§. 135.), verum etiam convictioni, quam ſcientia parit, novum robur addit.

facta.

§. 140.

Si quis metu pœnæ, vel ſpe premii adductus fuit ad habitum quendam ſibi comparandum; metu pœnæ, vel ſpe præmii ſublata, non tolli-

De habitu metu pœnæ,

vel ſpe præmii comparato.

tollitur habitus, ſed ſubſiſtit. Habitus non acquiritur nonniſi exercitio (§. 430. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quis metu pœnæ, vel ſpe præmii adducitur ad habitum quendam ſibi comparandum; voluntas ejus determinatur ad exercitia, quibus is comparatur. Ceſſante igitur metu pœnæ, vel ſpe præmii, ceſſant exercitia (§. 139.). Quamobrem cum exercitiis iſtis non amplius opus ſit, ubi habitus comparatus; metu pœnæ, vel ſpe præmii ſublato, habitus non una tollitur, ideoque ſubſiſtit.

Experientia propoſitio præſens adeo manifeſta eſt, ut nemo eam ignoret niſi culpa ſua. Immo ea referri poteſt ad notiones communes, quatenus communis moris eſt, pueros & adoleſcentes metu pœnæ, vel etiam ſpe præmii adducere ad habitum ſibi comparandum. Nimirum habitus comparandus æquiparatur operi perficiendo. Quodſi quis metu pœnæ vel ſpe præmii ad opus perficiendum adducitur, per ſe patet, opere perfecto, metu pœnæ, vel ſpe præmii non amplius eſſe opus ac ſine illo, vel hac opus ſubſiſtere, quod ſine illo, vel hac perfici non poterat. Non eſt quod objicias, habitum acquiſitum amitti, diu intermiſſo ejus uſu (§. 432. *Pſych. empir.*): etenim opus quoque perfectum deſtrui poteſt. Nec habitus acquiſiti, nec operis perfecti duratio pendet ab iis actibus, quibus ille acquiſitus, vel hoc perfectum. De duratione autem habitus acquiſiti in præſenti ſermo non eſt. Notari autem adhuc velim, quando experientiam commendamus ad ſupplendum defectum ſcientiæ, vel etiam ad confirmandam ſcientiam, id non eſſe extendendum in præjudicium ſcientiæ, quaſi eadem carere poſſimus & experientia eſſe contenti. Erenim propoſitiones eſſe rite determinatas & univerſales, quæ per experientiam nobis innoteſcunt, absque demonſtratione, quæ ſcientiam parit, raro certo cognoſcitur, ut ideo ſcientia apprime ſit neceſſaria iis, qui voluntatem & noluntatem perficere volunt, & voluntati atque noluntati aliorum formandæ operam dare debent.

§. 141.

§. 141.

Timore filiali Dei voluntas & noluntas bona efficitur, eo autem solo non perficitur, voluntas tamen & noluntas perfecta efficitur magis constans & perpetua. Si enim Deum timemus timore filiali, animum tenet sollicitudo nil quicquam faciendi, quod voluntati Dei adversum est, consequenter etiam nil omittendi quod eidem convenit (§. 1177. *Part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum voluntas bona sit, quæ generaliter determinata est ad committendum actiones voluntati divinæ conformes & ad abstinendum a contrariis (§. 121.), & noluntas bona sit, quæ generaliter determinata ad non committendum actionem voluntati divinæ adversam (§. 127.); timore filiali Dei voluntas & noluntas bona efficitur. *Quod erat primum.*

De influxu timoris Dei filiali in bonitatem & perfectionem voluntatis.

Enimvero cum voluntas & noluntas nondum sit perfecta, etsi sit bona (§. 132.), neque sufficiat, velle committere actionem nullam, nisi voluntati Dei conformem, & nolle committere actionem voluntati divinæ adversam, sed præterea in casu dato particulari requiratur, ut certo constet, hanc actionem voluntati divinæ convenire, aut repugnare; timore filiali solo voluntas non perficitur. *Quod erat secundum.*

Denique cum voluntas perfecta non determinetur nisi per bonum verum & noluntas perfecta nisi per malum verum (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*); si cujus voluntas & noluntas perfecta est, is actionem committere vult ob bonitatem intrinsecam, malam committere non vult ob malitiam intrinsecam, seu quia certo cognoscit actionem illam esse bonam, hanc malam, ideoque illam legi naturæ (§. 153. *part 1. Phil. pract. univ.*) & per consequens voluntati divinæ convenire, hanc vero repugnare (§. 282. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque animum ejus, qui Deum timore filiali timet, tenet

net ſollicitudo nil quicquam faciendi, quod voluntati divinæ adverſum eſt (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*); eum nihil quicquam a propoſito committendi actionem, quam legi naturæ, ſeu voluntati divinæ conformem eſſe agnoſcit, dimovere poteſt, neque etiam a propoſito non committendi actionem, quam ſcit legi naturæ, ſeu voluntati divinæ adverſam. Quamobrem cum voluntas & noluntas conſtans ſit, quando in dato caſu non mutatur, & perpetua, quando in omni caſu eodem ad idem tendit (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*); timor Dei filialis influit in conſtantiam & perpetuitatem voluntatis, ideoque voluntatem perfectam efficit magis conſtantem atque perpetuam. *Quod erat tertium.*

Falluntur qui ſibi perſuadent, timorem Dei filialem eſſe medium ſufficiens voluntatem & noluntatem perficiendi. Sed hi ſunt qui voluntatem & noluntatem bonam cum perfecta confundunt. A vero tamen quoque aberrant, qui exiſtimant, timorem Dei filialem ad perficiendam nihil conferre, niſi quatenus voluntas bona influit in perfectam, & ab hac præſupponitur, cum ex propoſitione præſente pateat, eum plurimum conferre ad conſtantiam & perpetuitatem voluntatis perfectæ: quo ipſo ſtudium virtutis & ejus exercitium multum facilitatur (§. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Verum igitur influxum timoris filialis in determinationem voluntatis & noluntatis propoſitio præſens docet.

§. 142.

De influxu amoris Dei in bonitatem & perfectionem voluntatis & noluntatis.

Quoniam timore filiali Dei voluntas & noluntas bona efficitur, eo tamen ſolo non perficitur, voluntas tamen & noluntas perfecta efficitur magis conſtans & perpetua (§. 141), qui vero Deum amat, ejus animum tenet ſollicitudo, ne quid faciat, quod Deus a ſe fieri non vult, vel etiam ne quid facere negligat, quod fieri vult (§. 1176. *part. 1. Jur. nat.*), conſe-

Digitized by Google

conſequenter poſito amore divino ponitur timor filialis (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*); *amore Dei voluntas & noluntas bona efficitur, eo autem ſolo non perficitur, voluntas tamen & noluntas perfecta efficitur magis conſtans & perpetua.* Immo cum timor Dei filialis conſiſtat in ſollicitudine animi nil faciendi, niſi quod voluntati divinæ convenit, nequaquam vero quod eidem adverſum eſt (§. 1177. *part. 1. Jur. nat.*), & hæc ſollicitudo ortum ſuum ducat ex amore divino (§. 1176. *part. 1. Jur. nat.*); *timor Dei filialis & amor Dei excitat ſtudium cognoſcendi, quidnam voluntati divinæ, conſequenter legi naturæ* (§. 282. *part. 1. Jur. nat.*), *conforme ſit, quid adverſum*, ideoque cum ad perficiendam voluntatem & noluntatem ſcientia juris naturæ requiratur (§. 134.), hoc ipſo *amor Dei & filialis timor* quoque *influit in ſtudium perficiendæ voluntatis & noluntatis.*

Sine amore Dei non datur timor filialis. Quamvis enim ob rationem quandam aliam voluntas determinata ſit generaliter ad non committendas actiones voluntati divinæ adverſas; nondum tamen adeſt ea ſollicitudo animi, quæ ad timorem filialem requiritur & ex amore oritur. Cumque vi hujus ſollicitudinis timor filialis excitet ſtudium ea cognoſcendi, quæ voluntati divinæ conveniunt, quæ eidem adverſantur, ut is ſit ſtimulus voluntatis & noluntatis perficiendæ, id ab amore habet, qui quo intenſior, eo ſtimulus fortior. Quia vim ſtimulandi timor ab amore acquirit, ideo ſtudium juris naturæ ſeu voluntatis divinæ cognoſcendæ efficit jucundum, ut eidem non ſine voluptate vacemus. Immo quando actio bona committenda, vel mala omittenda, voluntatem perfectam ſtimulat continuo timor vi ab amore in ſe derivata, atque ſic mirifice influit in conſtantiam voluntatis & noluntatis. Enimvero de hiſce diſertius dicendum, quando de virtutibus theologicis, qui ſunt habitus officii erga Deum ſatisfaciendi, ex inſtituto acturi ſumus.

§. 143.

§. 143.

De influxu timoris ſervilis in voluntatem & noluntatem.

Timore Dei ſervili voluntas & noluntas non perficitur, nec efficitur bona. Si enim timor Dei fuerit ſervilis, homo metu pœnæ adactus facit, quod vult Deus, vel non facit, quod a ſe fieri non vult (§. 1178. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero metu pœnæ non perficitur voluntas & noluntas (§. 138.). Ergo timore Dei ſervili voluntas & noluntas non perficitur. *Quod erat unum.*

Enimvero quamvis metu pœnæ adactus faciat, quod Deus vult, vel non faciat, quod a ſe fieri non vult, cum tamen id faciat evitandæ pœnæ cauſa, voluntas & noluntas determinata non eſt ad faciendum, quod Deus vult, quia id voluntati ejus conforme, & non faciendum, quod Deus non vult, quia voluntati ejus repugnat, ſed generaliter ſaltem determinata eſt ad evitandum pœnam. Quamobrem cum voluntas & noluntas bona non ſit, niſi generaliter determinata fuerit ad committendum nonniſi actiones voluntati ejus conformes (§. 121.), & ad omittendum actionem quamlibet voluntati ejus adverſam (§. 127.); timore ſervili voluntas & noluntas non efficitur bona. *Quod erat alterum.*

Ex demonſtratione partis poſterioris facile patet, in genere verum eſſe, quod metu pœnæ voluntas & noluntas non efficiatur bona. Deterrentur homines metu pœnæ a committendis actionibus malis & non omittendis bonis, aſt utrumque faciunt inviti (§. 585. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Actio vero bona tam privativa, quam poſitiva omne, quod invitum eſt, excludit, ideoque voluntaria eſſe debet.

§. 144.

De ſigno voluntatis bonæ.

Voluntatis bonæ ſignum eſt, ſi quis actionem committit, quia legi naturæ, aut voluntati Dei convenit; ſeu quam eidem convenire exiſtimat, & noluntatis bonæ ſignum eſt, ſi quis actionem committere

non

non vult, quia eam putat legi naturæ, aut voluntati divinæ adverſam. Etenim voluntas bona de bonitate actionum principium aliud generale ſupponere nequit, quam quod eædem legi naturæ, aut voluntati divinæ conveniant (§. 121.), nec noluntas bona, quam quod eædem legi naturæ, aut voluntati divinæ repugnent (§. 127). Quamobrem ſi quis actionem committit, quia legi naturæ, aut voluntati divinæ convenit; ejus voluntas generaliter determinata eſt ad committendum actiones legi naturæ, aut voluntati divinæ convenientes, & ſi quis actionem committere non vult, quia legi naturæ, aut voluntati divinæ adverſa, ejus noluntas generaliter determinata eſt ad non committendum actiones legi naturæ aut voluntati divinæ adverſas. Quoniam itaque generalis illa determinatio voluntatem bonam efficit (§. 119), hæc noluntatem bonam (§. 125.); voluntatis bonæ ſignum eſt, ſi quis actionem committere vult, quia legi naturæ, aut voluntati Dei convenit, ſeu eam eidem convenire exiſtimat, & noluntatis bonæ ſignum eſt, ſi quis actionem committere non vult, quia eam putat legi naturæ, aut voluntati divinæ adverſam.

Ex nuda commiſſione, vel omiſſione actionis agnoſci nequit voluntatis & noluntatis bonitas. Quodſi enim voluntas aliter determinetur ad actiones legi naturæ, aut voluntati divinæ conformes quam quia eidem conformes ſunt, & ad abſtinendum a contrariis, ea bona non eſt (§. 122.). Et ſimiliter intelligitur, noluntatem bonam non eſſe, ſi ea aliter determinetur ad actiones legi naturæ, aut voluntati divinæ adverſas, non committendas, quam quia eidem adverſantur. Neceſſe igitur eſt, ut nobis pateat ratio, cur quis actionem quandam committat, vel committere nolit, ut conſtet de bonitate voluntatis, vel noluntatis. Et quia bonitate voluntatis & noluntatis non obſtante, actiones malas patrat, bonas

committere non vult, ſi quis erroneas fovet in jure naturæ, vel de voluntate Dei opiniones (§. 131.); nec ex conformitate actionis cum lege naturæ aut voluntate divina, aut repugnantia cum eadem, agnoſcitur voluntas & noluntas bona. Per ſe autem patet, quando voluntas & noluntas bona inde concludi dicitur, ſi ratio, cur quis actionem committat, vel committere nolit, fuerit conformitas, vel repugnantia cum lege naturæ, aut voluntate divina, non ſufficere, ut quis dicat ſibi hanc eſſe rationem, cum alia ſit, ob quam agit, aut agere nolit. Id quod intelligitur in omni caſu, ubi ſimulationi locus eſt, qua ne decipiamur, in ſignorum applicatione ſollicite cavendum.

§. 145.

De ſigno voluntatis & noluntatis perfectæ.

Voluntatis & noluntatis perfectæ ſignum eſt, ſi quis ratione, cur actionem committat, ad voluntatem determinandum utitur bonitate intrinſeca, cur vero committere nolit, ad determinandum noluntatem malitia intrinſeca, vel etiam ſi actionem ideo committit, quia ſcit eam legi naturæ convenire, aut committere non vult ideo, quia ſcit eam legi naturæ adverſari. Si quis enim voluntatem determinat per bonitatem intrinſecam actionum ad eas committendas & noluntatem per malitiam intrinſecam ad eas non committendas, cum illæ tendant ad perfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. 103. *part. 1. Phil. pract. univ.*), hæ autem ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. 106. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod vero nos ſtatumque noſtrum perficit revera bonum verum ſit (§. 557. *Pſych. empir.*), & quod revera nos & ſtatum noſtrum imperfectiorem reddit ſit malum verum (§. 568. *Pſych. empir.*); voluntas determinatur per bonum verum & noluntas per malum verum. Quoniam itaque voluntas perfecta, ſi per bonum verum determinatur, noluntas autem perfecta, ſi determinatur per malum

malum verum (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*); voluntatis & noluntatis perfectæ ſignum eſt, ſi quis ratione, cur actionem committat, ad voluntatem determinandum utitur bonitate intrinſeca, cur vero committere nolit, malitia intrinſeca. *Quod erat unum.*

Similiter qui ſcit actionem, quam committit eſſe legi naturæ conformem, aut quam committere non vult eſſe eidem adverſam, cum lex naturæ nos obliget ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*); bonitatis & malitiæ intrinſecæ certam cognitionem habet (§. 595. *Log*). Quodſi ergo actionem ideo committit, quia ſcit eam legi naturæ convenire, aut committere non vult ideo, quia ſcit eam legi naturæ adverſari; voluntatem ad actionem committendam determinat per bonitatem intrinſecam, noluntatem ad actionem non committendam per malitiam intrinſecam actionis. Quoniam itaque voluntatis & noluntatis perfectæ ſignum eſt, ſi illa ad agendum determinatur per bonitatem intrinſecam, hæc ad non agendum per malitiam intrinſecam actionis, *per demonſtrata n. 1.* voluntatis quoque & noluntatis perfectæ ſignum erit, ſi quis ideo actionem committit, quia ſcit eam legi naturæ convenire, vel eam committere non vult, quia novit, eam legi naturæ adverſari. *Quod erat alterum.*

Voluntas & noluntas tum demum perfecta eſt, ſi in omni actionum genere determinatur per bonitatem, vel malitiam intrinſecam, prouti actiones vel bonæ, vel malæ fuerint. Ac propterea ad perfectionem voluntatis & noluntatis requiri oſtendimus ſcientiam juris naturæ (§. 133.). Quando ex ratione, ob quam actio bona committitur, vel mala omittitur, concluditur, utrum voluntas ipſius perfecta ſit, nec ne; id non

extendi poteſt ultra id actionum genus, ad quod actio data referenda, ac per conſequens inde perfectio voluntatis, vel noluntatis in genere inferri nequit. Subinde tamen circumſtantiæ quædam ſingulares adſunt, ex quibus ſaltem probabiliter colligitur, quod, ſi perfectio voluntatis, vel noluntatis non extenditur ad omne actionum genus, eadem tamen porrigatur ad plerasque, veluti ſi conſtet, voluntatem eſſe bonam, atque actiones committi ideo, quia easdem patrans ſcit, quod legi naturæ conveniant. Vix autem omnimoda voluntatis & noluntatis perfectio in homine ſperanda: unde enatum dudum eſt proverbium, neminem hominum omnibus horis ſapere. Non autem utilitate ſua caret noſſe, quod alicujus voluntas, vel noluntas perfecta ſit quoad certum ſaltem actionum genus. Qualis nimirum ſit voluntas, vel noluntas alterius, ut cognoſcamus, haud raro e re noſtra eſt. Quodſi enim noſtra parum intereſt noſſe, qualis ſit voluntas, vel noluntas alterius; notitia voluntatis & noluntatis alienæ magis curioſa eſt, quam utilis, eaque facile caremus. Ceterum ſigna virtutum & vitiorum, ideoque etiam voluntatis bonæ atque perfectæ non tantummodo dantur, ut noſcamus alios, verum etiam ut noſcamus nosmetipſos. Et in notitia ſui ipſius facilior & minus fallax eſt eorum applicatio. Ne vero circa demonſtrationem partis ſecundæ præſentis oriatur aliquod dubium, tenendum eſt, eum, qui ſcit actionem aliquam eſſe legi naturæ conformem, cum lex naturæ præcipiat actiones intrinſece bonas (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*), intrinſecam illius bonitatem ſaltem confuſe cognoſcere. Immo fieri poteſt, ut eam diſtincte agnoſcat, etiamſi terminum ignoret, aut non ſatis intelligat. Non inhærendum eſt terminis, ſed reſpiciendæ ſunt res iisdem ſignificatæ. Sane in caſibus particularibus bonitas & malitia intrinſeca indigitatur nomine ſuo ſpeciali, veluti quod nimius vini hauſtus noceat ſanitati. Et propoſitio præſens docet, unde petenda ſint ſigna perfectæ voluntatis & voluntatis in caſu particulari, quæ ſunt motiva actionum committendarum & omittendarum. §. 146.

§. 146.

Si quis ideo quid facit, quia faciunt alii, aut facere non vult, quia non faciunt alii; ejus voluntas nec perfecta, nec bona eſt. Etenim qui ideo ſaltem quid facit, quia faciunt alii, aut facere non vult quia non faciunt alii; is de actionum bonitate intrinſeca & malitia intrinſeca ne quidem per ſomnium cogitat, tantum abeſt, ut per bonitatem voluntatem, per malitiam noluntatem determinet. Quamobrem cum voluntas perfecta per bonum verum, noluntas perfecta per malum verum determinetur (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*); ſi quis ideo quid facit, quia faciunt alii, aut facere non vult, quia non faciunt alii, ejus voluntas perfecta non eſt. *Quod erat unum.* *De imitatione in agendo & non agendo.*

Similiter qui ideo quid facit, quid faciunt alii, aut facere non vult quia non faciunt alii; is de convenientia ut disconvenientia actionum cum lege naturæ, aut voluntate divina parum cogitat, ideoque voluntas jus generaliter determinata non eſt ad committendum actiones legi naturæ, aut voluntati divinæ convenientes, nec voluntas ad non committendas actiones legi naturæ, aut voluntati divinæ adverſas. Quoniam itaque voluntas bona non eſt, niſi quæ generaliter determinata ad committendum actiones legi naturæ aut voluntati divinæ convenientes (§. 121.), nec voluntas bona eſt, niſi quæ generaliter determinata ad non committendum actiones legi naturæ, aut voluntati divinæ adverſas (§. 127.); ſi quis ideo quid facit, quia faciunt alii, aut facere non vult, quia non faciunt alii, ejus voluntas & noluntas bona non eſt. *Quod erat alterum.*

Maxima pars hominum in agendo & non agendo imitatur alios. Quamvis itaque contingat, ut actiones bonas committant, aut malas committere nolint; actiones tamen eorum

non proficiſcuntur a bona voluntate, nec omiſſio actionum a bona noluntate. Satis ſuperque id apparet in eo caſu, in quo ſe tuentur exemplo aliorum, quando ob actiones malas reprehenduntur, aut exemplo aliorum ſe excuſatos exiſtimant, quando conſilia meliora ſpernunt. Bonitate autem voluntatis & noluntatis deficiente, multo minus perfectioni utriusque locus eſt (§. 132.).

§. 147.

De eo, qui quid facit, quia eidem faciendo adſuefactus, & contra.

Qui ideo quid facit, aut facere non vult, quia iſti faciendo, huic non faciendo quomodocunque adſuefactus; ejus voluntas & noluntas bona non eſt, multo minus perfecta. Etenim qui ideo ſaltem quid facit, aut facere non vult, quia eidem faciendo, vel non faciendo quomodocunque aſſuefactus; is de actionis cum lege naturæ, aut voluntate divina convenientia, vel diſconvenientia, minime cogitat, multo minus de ejus intrinſeca bonitate atque malitia. Unde porro eodem quo ante (§. 146.), modo patet, voluntatem ejus ac noluntatem nondum eſſe bonam, nedum perfectam.

Non una de cauſa contingit, homines adſuefiri certis actionibus committendis vel omittendis, utut ignorent eas eſſe legi naturæ, aut voluntati divinæ conformes, aut adverſas, immo ut neſciant, de eo diſquirendum eſſe, cura omni de voluntate & noluntate bona efficienda neglecta, vel prorſus abjecta. In cauſa eſt ignorantia, vel error educatorum, qui aliorum mores formare debent, imitatio cœca aliorum, conſuetudo agendi vel non agendi per motiva quæcunque a bonitate & malitia actionum intrinſeca, vel a conformitate, aut repugnantia cum lege naturæ, aut voluntate divina deſumta diverſa: id quod ex ſpeciali tractatione clarius eluceſcet. Falluntur itaque, qui ſibi perſuadent, ſe ſatisfeciſſe officio ſuo, ſi pueros autoritate ſua, vel pœnarum metu actionibus bonis committendis, malis non committendis aſſuefaciant, parum ſolliti-

ſolliciti, utrum noverint nec ne, cur iſtiusmodi actiones ſint committendæ, vel omittendæ. Quamvis enim id fieri debeat, antequam intellectus uſus adhuc deficiens aliud admittit (§. 9.); in eo tamen non ſubſiſtendum. Prima enim educatorum cura eſſe debet, ne voluntas & noluntas educatorum corrumpatur, deinde ut efficiatur bona, tandem ut perficiatur. Ita nimirum ſequimur naturæ ordinem, ut nihil fiat ipſa invita, ſed per gradus, quos ipſa determinat, ad voluntatis atque noluntatis perfectionem enitamur, & non impedito progreſſu ad metam contendamus,

§. 148.

Quomodo incognitum ſe habeat ad appetitum & averſationem.

Incognitum nec appetere, nec averſari poſſumus. Etenim ſi quid appetere debemus, neceſſe eſt, ut idem nobis repræſentemus tanquam bonum (§. 904. *Pſych. empir.*), &, ſi quid averſari debemus, neceſſe eſt, ut idem nobis repræſentemus tanquam malum (§. 907. *Pſych. empir.*). Enimvero cum ejus quod incognitum eſt, nullam prorſus habeamus notionem (§. 51. *Pſych. empir.*); id nobis neque tanquam bonum, neque tanquam malum repræſentare poſſumus (§. 49. *Pſych. empir.*). Quamobrem impoſſibile eſt, ut incognitum appetamus, vel averſemur.

Vulgo dicitur, ignoti nullam eſſe cupidinem, ut ideo propoſitio præſens facile ſumatur absque demonſtratione, quemadmodum quoque in anterioribus fecimus. Quoniam tamen hoc principio ſæpe utemur, ne videamur aliquid gratis ſumſiſſe in philoſophia, in quo ratio reddenda eorum, quæ ſunt, vel fiunt (§. 31. *Diſc. prælim.*); id demonſtrare voluimus, ut pateat ratio, cur fieri minime poſſit, ut incognitum appetamus, vel averſemur.

§. 149.

De impedimento perficiendi voluntatis.

Qui ignorat voluntatis & noluntatis perfectionem & a bona differentiam; utramque perficere negligit. Et qui voluntatis ac noluntatis bonæ notionem non ſatis diſtinctam habet; is operam minime dat,

tatem & noluntatem bonam efficiendi.

dat, ut efficiatur bona, aut irrito ſucceſſu bonam efficere ſtudet. Qui enim ignorat voluntatis & noluntatis perfectionem, cum incognitum nec appetere, nec averſari poſſimus (§. 148.), is voluntatis & noluntatis perfectionem minime appetit etſi eandem nec averſetur, ideoque utramque perficere non ſtudet. Quoniam itaque ea facere omittit, quæ ad voluntatem & noluntatem perficiendam requiruntur, in hac omiſſione vero negligentia conſiſtit (§. 750. *part. 1. Phil. pract. univ.*); qui voluntatis & noluntatis perfectionem ignorar, utramque perficere negligit. *Quod erat primum.*

Quodſi quis differentiam voluntatis & noluntatis perfectæ a bona ignorat; is voluntatem & noluntatem bonam cum perfecta facile confundit, ſibique perſuadet ſufficere, ut voluntas & noluntas bona ſit, nec de eadem perficienda cogitat, quemadmodum quoque ſatis experimur. Quamobrem porro, ut ante *n* 1. patet; quod utramque perficere negligat. *Quod erat ſecundum.*

Qui voluntatis & noluntatis notionem non ſatis diſtinctam habet, is vel non perpendit illam conſiſtere in determinatione generali ad committendas actiones nonniſi bonas, ſeu legi naturæ, aut voluntati divinæ convenientes (§. 121.), hanc vero in determinatione ad non committendas actiones legi naturæ, aut voluntati divinæ adverſas (§. 127.), vel non utitur medio voluntatem & noluntatem ſic determinandi, quo efficitur bona, veluti ſi metu pœnarum (§. 134.), imitatione aliorum, quorum autoritas apud ipſum valet (§. 146.), aut conſuetudinem agendi contrahendo id efficere velit (§. 147.). Quamobrem contingit, ut de voluntate & noluntate bona efficienda non cogitet, ideoque nullam det operam, ut bona efficiatur, aut omni conatu ſuo nihil agens irrito ſucceſſu eandem bonam efficere ſtudeat.

Mirum

Mirum videri poterat, quod plerumque homines intellectui & voluntati perficiendis data opera minime incumbant, ſed tam arduum negotium caſui permittant, cum tamen non ignorent ne viliſſimam quidem ſordidarum artium ſine peculiaribus exercitiis acquiri poſſe. Enimvero id inde eſt, quod habituum intellectus & voluntatis atque noluntatis notiones diſtinctas non habeant, propterea quod pſychologia ac inde pendens Ethica non ſatis fuerit exculta. Quamobrem ut defectui huic mederemur, noſtrum eſſe duximus, ut ad diſtinctam animæ cognitionem alios duceremus, ac ideo uſum facultatum animæ & ab eo pendentes habitus ex ipſa natura humana demonſtraremus. Is enim philoſophiæ noſtræ ſcopus eſt, ut homines efficiamus vere homines, hoc eſt, rationales, atque veram felicitatem in eorum poteſtatem redigamus.

§. 150.

Quomodo id tollatur.

Quoniam ignorantia perfectionis voluntatis & noluntatis & differentiæ a bona impedimento eſt, quominus perficiatur, & defectus notionis bonitatis ſatis diſtinctæ obſtat, quo minus opera detur, ut bona efficiatur, aut ut irrito ſucceſſu opera detur; ideo *diſtincte cognoſcere tenemur, in quonam perfectio voluntatis & noluntatis conſiſtat* (§. 271. *part.* 1. *Jur. nat.*), *& quomodo voluntas atque noluntas perfecta a bona differat* (§. 133.), *itemque bonitatem voluntatis* (§. 119. *& ſeqq.*) *ac noluntatis probe perpendere* (§. 125.). *& ſeqq.*) *& quomodo vere perficiatur atque bona efficiatur, cognoſcere debemus* (§. 134. *& ſeqq.*).

Patet itaque, quantæ utilitatis ſint ea, que de perfectione & bonitate voluntatis ac noluntatis demonſtravimus, & quod hæc doctrina ad Ethicam pertineat, utque in eadem tradatur apprime neceſſarium ſit. Dolendum omnino eſt, profano noſtro & licentioſo ſeculo doctrinæ ſolidæ propagandæ tot ac tanta impedimenta objici.

§. 151.

Impedimentum aliud bonam efficiendi & perficiendi voluntatem atque noluntatem.

Qui falſa notione boni occœcantur, veluti id æſtimantes ex delectationibus ſenſualibus, ex lucro, ex vanis denique imperitorum & adulatorum laudibus; voluntatem & noluntatem bonam efficere atque perficere minime ſtudent. Qui enim falſa notione boni, ideoque etiam mali occœcantur, per eam determinant voluntatem atque noluntatem ſuam (§. 904. 907. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum voluntas bona non ſit, ſi generaliter determinetur aliter, quam ad committendas actiones legi naturæ, aut voluntati divinæ conformes & ad abſtinendum a contrariis (§. 122.), nec bona ſit noluntas, ſi generaliter aliter determinetur, quam ad non committendas actiones lege naturæ prohibitas, aut voluntati divinæ adverſas (§. 127), veluti ad committendas actiones, quæ ſenſum hilarant, vel quæ lucrum, aut vanas imperitorum & adulatorum laudes pariunt, & ad iisdem contrariis omittendas; qui falſa notione boni occœcantur, veluti id æſtimantes ex delectationibus ſenſualibus, ex lucro, ex vanis imperitorum & adulatorum laudibus, voluntatem & noluntatem bonam efficere minime ſtudent. *Quod erat unum.*

Qoniam vero voluntas atque noluntas perfecta bonam ſupponit (§. 132.) & juris naturæ exactam ſcientiam requirit, ad cui conformandas actiones voluntas (§. 121.) & noluntas bona generaliter determinata (§. 127.); qui falſa notione boni occœcantur, voluntatem & noluntatem perficere minime ſtudent. *Quod erat alterum.*

Magnum impedimentum eſt, quo minus voluntas & noluntas bona efficiatur & perficiatur, ſi falſa boni opinione animus imbuitur. Falſas autem de bono opiniones potiſſimum huc redire, ut bona exiſtimentur quæ ſenſus hilarant, & lucrum, vel laudes vanas pariunt, ex ſequentibus in tractatione

tione præſertim ſpeciali clarius eluceſcet. Et ſiquidem in rationem inquirere volueris, cur deficiat voluntas & noluntas bona, multoque magis perfecta; haud difficulter deprehendes id tribuendum eſſe æſtimationi boni ex delectationibus ſenſualibus, ex lucro, ex vanis imperitorum & adulatorum laudibus. Videbis enim homines, in quibus voluntas & noluntas bona, multoque magis perfecta, deſideratur, duci cupidine delectationum. ſenſualium, lucri, aut vanæ gloriæ. Vanas laudes tribui ab imperitis, quivis facile agnoſcit, ſi vel maxime ipſemet laudes veras & meritas a falſis & inmeritis diſcernere neſciat. Mos vero adulandi alios, ut viciſſim adulatorem adulentur, inter eruditos, adeo hodie invaluit, ut laudes vix ullam reperiant fidem apud peritos, niſi a laudatore ſufficienter probentur, aut ejus peritia ejusdemque mores ſatis fuerint perſpecti. Immo hodie adeo malitioſi ſunt longe plurimi, ut non modo vituperent, ſed turpiter traducant eos, qui laudes immeritas in ipſos cumulare nolunt.

§. 152.

Quoniam qui falſa notione boni occœcantur, voluntatem & noluntatem bonam efficere atque perficere minime ſtudent (§. 151.); *ſi falſa notione boni a ſtudio voluntatem & noluntatem bonam efficiendi atque perficiendi quis abſtrahitur, notio iſta ex ejus animo eradicanda & vera eidem inſinuanda.* *Quomodo tollatur.*

Cum notiones boni falſæ plures ſint, nec uno eodemque modo eradicari poſſunt. Quomodo autem eradicanda quælibet ſit, ex tractatione ſpeciali rectius patebit. Quænam vero ſit vera boni notio, abunde explicavimus in ſuperioribus (§. 43. *& ſeqq.*). Quodſi notio quædam falſa boni firmas radices egerit in animo hominis, difficillime eradicatur: ubi vero eradicata non fuerit, haud quaquam fieri poteſt, ut vera eidem inſinuetur. Quamobrem ad tollendum impedimentum voluntatem atque noluntatem bonam efficiendi & perficiendi, de quo in præſenti nobis ſermo eſt, requirimus, ut

notio boni falſa ex ejus animo eradicetur, & vera eidem inſinuetur, nec poſterius ſolum ſufficit: magnam enim opinionum radicatarum vim adverſus veritatem experimur. Ceterum hic denuo apparet, quam neceſſe ſit, ut veri boni notio in Ethica ſufficienter evolvatur & omnia boni genera explicentur, quemadmodum a nobis factum in anterioribus.

CAPVT II.

De modo emendandi voluntatem.

§. 153.

Emendatio voluntatis & noluntatis.

Voluntas & noluntas emendari dicitur, ſi corrupta efficitur bona & perficitur, ſeu mala efficitur bona & perfecta.

Quæ in capite præcedente de modo voluntatem & noluntatem bonam efficiendi & perficiendi docuimus, in iis non ſupponitur corruptio, quæ cum morbus animi ſit, peculiarem exigit curationem. Hoc opus non eſt, ſi corrupta nondum fuerit, ſed adhuc indifferenter ſe habet ad bonas & malas actiones. Qui appetitum hominis naturaliter corruptum ſtatuunt; ita ut vitium eidem per ſe inhæreat; emendationem voluntatis a ſtudio eandem bonam efficiendi & perficiendi non diſtingvunt. Cumque plerique bonitatem voluntatis ab ejus perfectione non diſcernant; ideo tantummodo de emendatione voluntatis loquuntur & idem ipſis ſonat voluntatem emendare, perficere & bonam efficere. Sed cum corruptio in voluntatem derivetur a facultate cognoſcitiva, ejus nimirum non uſu & abuſu; ea a ſe invicem probe diſcernenda ſunt, quia unumquodque eorum peculiare ſtudium requirit.

§. 154.

Quid emendatio voluntatis ſupponat.

Quoniam voluntas corrupta bona effici debet, ſi emendanda (§. 153), quando autem corrupta eſt, ad malum proclivis, ad bonum vero ſegnis & iners eſt, ita ut ad male agen-

agendum ſeſe facile determinet, ad bene autem agendum difficulter determinetur, & actiones bonas committere negligat (§. 10.); aſt ſi *voluntas corrupta* bona efficienda, generaliter ad actiones bonas committendas determinanda (§. 119.); *antequam emendari poſſit, proclivitas ad malum & ſegnities atque inertia ad bonum tollenda, ideoque corruptioni medela conferenda*, conſequenter *voluntatem emendare difficilius, quam bonam efficere nondum corruptam.*

Patet itaque, quamnam peculiarem curam requirat emendatio voluntatis, cui ſuperſedere poſſumus, ſi voluntas bona efficiatur ac poſtea perficiatur, antequam fuerit corrupta, quodque ideo difficilius ſit voluntatem emendare, quam nondum corruptam bonam efficere & poſtea perficere. Quamvis autem hic de emendatione voluntatis in genere loquamur; nemo tamen non videt, ea, quæ hic dicuntur, & porro dicentur, valere in emendatione quacunque particulari, quæ certam quandam actionum ſpeciem reſpicit: id quod etiam valet, ſi voluntas bona efficienda & perficienda quoad certam quandam actionum ſpeciem.

§. 155.

Quia difficilius eſt voluntatem emendare, quam nondum corruptam bonam efficere (§. 154.); *educatores præcavere debent voluntatis educandorum corruptionem, immo quilibet etiam ſibi cavere debet a voluntatis corruptione.* *Motivum corruptionem voluntatis præcavendi.*

Valet hic pervulgatum iſtud: principiis obſta, ſero medicina paratur: id quod non minus verum eſt de morbis corporis, quam de vitiis animi. Magna eſt affinitas vitiis animorum & corporum atque medelis eorundem, quam haud difficulter animadvertet, qui ea invicem conferre voluerit. Quemadmodum morbi ſunt præcavendi, ne curatione corporum ſit opus; ita quoque præcavenda ſunt vitia, ne medelam animo afferre teneamur. Hoc parum attendunt, qui liberos

genio ſuo indulgere permittunt, quamdiu deſtituuntur uſu intellectus ad bonum a malo diſcernendum ſufficiente & eorum actiones malas excuſant, quod nondum intelligant eas eſſe malas. Rectius omnino ſentiunt, qui talia permitti improbant.

§. 156.

Quomodo ſe habeat appetitus ad ea, quæ voluptatem pariunt, & averſatio ad ea, quæ moleſtiam creant.

Homo nihil appetit, niſi quatenus voluptatem ex eo percipit, nec quicquam averſatur, niſi quatenus moleſtiam creat. Etenim quod appetimus, id nobis repræſentamus tanquam bonum (§. 904. *Pſych. empir.*), & quod averſamur, id nobis repræſentamus tanquam malum (§. 907. *Pych. empir.*). Enimvero tam bonum (§. 557. *Pſych. empir.*), quam malum vel verum eſt, vel apparens (§. 568. *Pſyſch. empir.*). Quamobrem cum non minus ex bono apparente, quam ex vero percipiatur voluptas (§. 558. 559. *Pſych. empir.*), & non minus malum apparens quam verum moleſtiam creet, ſive tædium (§. 569. 570. *Pſych. empir.*); homo nihil appetit, niſi quatenus voluptatem ex eo percipit, nec quicquam averſatur, niſi quatenus moleſtiam creat.

Voluptas omnino ſtimulus eſt tam appetitus ſenſitivi, quam rationalis, ſeu voluntatis, & tædium, ſive moleſtia ſtimulus eſt tam averſationis ſenſitivæ, quam rationalis, ſeu noluntatis. Non alia vis eſt boni ad movendum appetitum, quam voluptas; nec alia vis mali ad impellendam averſationem, quam moleſtia. Absque ulla difficultate utrumque agnoſcitur, modo boni & mali, itemque voluptatis & tædii ſive moleſtiæ notionem diſtinctam habueris. Quamvis enim bonum ex eo æſtimandum ſit, quod nos ſtatumque noſtrum perficiat (§. 554. *Pſych. empir.*) & malum ex eo, quod nos & ſtatum noſtrum imperfectiores reddat (§. 565. *Pſych. empir.*); id tamen propoſitioni præſenti minimæ contradicit, cum voluptas tota conſiſtat in intuitu perfectionis (§. 511. *Pſych. empir.*),

&

& tædium totum in intuitu imperfectionis (§. 518. *Pſych. empir.*). Sane niſi bono adhæreret voluptas, nec malo moleſtia; intelligi minime poſſet, cur per repræſentationem boni appetitus, & per repræſentationem mali averſatio determinari debeat. Vi voluptatis bonum influit in appetitum, vi autem moleſtiæ malum in averſationem, & revera voluptas bonum appetibile, moleſtia malum averſabile facit. Voluptas ſi abeſſet a bono & moleſtia a malo, fieri haud quaquam poſſet ut bonum appeteremus & malum averſaremur. Multæ autem ſunt rationes, cur voluptatem & moleſtiam non ſatis vivide percipiamus. Sane cum conſuetudo agendi nitatur motivis præteritis, quatenus confuſe perceptorum memoriam habemus (§. 923. *Pſych. empir.*); dum appetimus, vel averſamur, quæ appetere vel averſari adſuefimus, voluptatem, vel moleſtiam non advertimus. Non eſt, quod objicias, notionem boni erroneam eſſe, ſi bonum judicamus ex eo, quod voluptatem inde percipiamus (§. 561. *Pſych. empir.*), & ſimiliter notionem mali erroneam eſſe, ſi malum judicemus ex eo, quod tædium ſive moleſtiam inde percipiamus (§. 573. *Pſych. empir.*), quia hæ notiones evadunt ſeductrices, quando voluptas nocua ab innocua non diſcernitur (§. 6), nec moleſtia innocua agnoſcitur (§. 7.). Quoniam enim intellectus regere debet inclinationes & reclinationes naturales (§. 41.); ejus eſt diſcernere voluptatem & moleſtiam veram ab apparente, atque id fieri nequit niſi ex perfectione & imperfectione noſtrum & ſtatus noſtri (§. 514. *Pſych. empir.*). Et ita ducimur ad notionem boni & mali veri (§. 557. 568. *Pſych. empir.*). Patet itaque, omnia inter ſe cohærere, nec quicquam a nobis ſtatui, quod contradictionem quandam involvit. Acutiores quoque hic vident, cur recte agendi ſtudium requirat uſum omnium facultatum, nec defectus quidam in natura humana deprehendatur, qui ejus autori tribui poſſit.

§. 157.

§. 157.

Quomodo affectus ſe habeant ad appetitum & averſationem.

Quoniam homo nihil appetit, niſi quatenus voluptatem ex eo percipit, nec quicquam averſatur, niſi quatenus moleſtiam creat (§. 156.) ideoque voluptas appetitus, moleſtia averſationis ſtimulus eſt, affectus vero ſunt actus vehementiores appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. 603. *Pſych. empir.*); ideo *affectus cum inſigni voluptatis vel tædii gradu conjunguntur*, quemadmodum jam alias oſtendimus (§. 606. *Pſych. empir.*) & *vel jucundi, vel moleſti, vel mixti ſunt* (§. 608. & *ſeqq. Pſych. empir.*), *nec per ſe appetitui rationali, ſeu voluntati, & averſationi rationali, ſeu noluntati repugnant, neque etiam per ſe mali dici poſſunt.*

Probe hæc notanda ſunt, cum uſui ſint in iis, quæ inferius de affectibus tradentur. Habent ideo affectus non minus uſum ſuum, quam abuſum, & uterque in Ethica a priori demonſtrandus.

§. 158.

De naturali determinatione appetitus ad ea, quæ voluptatem pariunt, & averſatione ad averſandum ea quæ moleſta ſunt.

Similiter quia homo nihil appetit, niſi quatenus voluptatem parit, nec quicquam averſatur, niſi quatenus moleſtiam creat (§. 156.), ideoque voluptas ſtimulus eſt ad appetendum, moleſtia vero ſtimulus ad averſandum; *appetitus hominis naturaliter determinatus eſt ad appetendum ea, quæ voluptatem creant, & averſatio determinata eſt ad averſandum ea, ex quibus moleſtia percipitur;* aſt quia intellectus regere debet inclinationes & reclinationes naturales (§. 41.), *intellectus eſt diſcernere voluptatem veram ab apparente per notionem boni & mali veri atque apparentis* (§. 557. 568. *Pſych. empir.*), conſequenter quamvis *homo* ab initio bonum a malo diſcernere nequeat niſi ex eo, quod voluptatem, vel moleſtiam parit, aut a moleſtia liberat, vel voluptatem impedit (§. 4.), *notione* tamen

tamen *iſta, quod bonum ſit, quicquid voluptatem parit, aut a moleſtia liberat, malum vero, quicquid moleſtiam creat, aut voluptatem impedit, in diſcrenendo bono & malo uti minime debet.*

Diximus alias notionem boni & mali erroneam eſſe, qua illud ex voluptate, hoc ex moleſtia æſtimatur (§. 561. 573. *Pſych. empir.*). Quamvis enim ex eo, quod bonum eſt, percipiatur voluptas (§. 558. *Pſych. empir.*) & ex eo, quod malum eſt, moleſtia (§. 569. *Pſych. empir.*); non tamen id omne bonum eſt, ex quo voluptas percipitur (§. 6.) nec id omne malum, quod moleſtiam parit (§. 7.), conſequenter cum definitiones converti poſſe neceſſe ſit (§. 279. *Log.*), qui bonum definit per id, quod voluptatem parit, malum vero per id, quod moleſtiam creat, in definiendo errat (§. 624. *Log.*). Definitio nimirum latior eſt ſuo definito, quatenus non modo convenit bono vero, ſed etiam apparenti, quod, cum revera malum ſit, pro bono perperam habetur. Homini intellectus datus eſt ad diſcernendum bono a malo, voluptas vero cum bono, moleſtia cum malo cohæret, non ut inde agnoſcatur bonum, vel malum, ſed ut bonum ſtimulare poſſit appetitum, malum averſationem ad actum utriusque eliciendum. Quamdiu liberi educandi appetitum & averſationem recto intellectus uſu regere nondum poſſunt; educatorum eſt ſuo intellectu facultates iſtas regere, ne error, quem per ſe evitare nondum poſſunt, eos ad malum ſub ratione boni appetendum & ad bonum ſub ratione mali averſandum ſeducat.

§. 159.

Quia *homo* nihil appetit, niſi quatenus voluptatem in- *De appetitu*
de percipit, nec quicquam averſatur, niſi quatenus mole & *averſati-*
ſtiam creat (§. 156.); *ſi res quasdam appetit propter ſenſibiles qua-* *one rerum*
litates, ex qualitatibus hiſce voluptatem percipit, & ſi quas propter *propter qua-*
eas averſatur, ex iis moleſtiam percipit: quodſi vero appetere, vel *litates ſenſi-*
averſa- *biles.*

averſari deſinit, nullam amplius voluptatem, vel moleſtiam inde percipit. Quoniam itaque non omnes ex iisdem qualitatibus ſenſibilibus voluptatem, vel moleſtiam percipiunt; ideo quoque *non omnes easdem res propter qualitates ſenſibiles appetunt, vel averſantur, ſed quidam eas appetunt, quas averſantur alii, quidam nec appetunt, nec averſantur: immo quas quidam appetunt, vel averſantur propter qualitates ſenſibiles, alii propter rationes alias extrinſecas appetere, vel averſari poſſunt.*

Omnia, quæ hic dicuntur, experientia confirmat. Si quis cibum quendam appetit propter ſaporem, veluti mel, aut ſacharum propter dulcedinem; is ex ſapore, veluti ex dulcedine, voluptatem percipit. Similiter ſi quis vinum auſterum averſatur propter auſteritatem, is ex hac moleſtiam percipit. Qui vero ex dulcedine mellis nec voluptatem, nec moleſtiam percipit; is nec mel appetit, nec averſatur, ſed indifferenter ſe ad id habet. Quoniam mel proprio genere ſaporis, non comparatione cum aliis dulce eſſe ſentitur; alii dulcedine mellis, alii dulcedine ſachari, vel rerum aliarum delectantur. Cumque varii ſint ſenſus, ad quos qualitates ſenſibiles referuntur; qui res quasdam ſenſibiles appetit propter qualitates ad unum ſenſum relatas, non propterea quoque appetit alias propter qualitates ſenſum alium afficientes. Ita videas plures, qui avide appetunt ea, quæ bene ſapiunt; aſt muſicam, qua mirifice delectantur alii, ſi non averſantur, parum tamen curant, aut ſuaveolentia eos parum movet, quamvis magna ſit ſaporibus & odoribus affinitas. Quod denique quidam appetant propter rationes extrinſecas, quod alii propter qualitates ſenſibiles appetunt; non minus experientia docet. Ita cibum, quem alii appetunt propter ſaporem, alius appetere poteſt famis depellendæ cauſa, cum cibus quicunque alius ejusdem appetitui ſatisfaceret, ſaporis nullam rationem habens, modo is non ſit moleſtus. Enimvero in iis, quæ quotidianæ obſervationis ſunt, exempla cumulari neceſſe non eſt.

§. 160.

§. 160.

Similiter quia homo nihil appetit, nisi quatenus voluptatem inde percipit (§. 156.); *si quis pecuniam, honores, luxum appetit propter se, is ex pecunia, honoribus, luxu qua talibus voluptatem percipit: aſt qui eadem appetunt ob rationes alias, ex iis voluptatem percipiunt, unde rationes iſtæ deſumuntur.*

De appetitu pecuniæ, honoribus & luxu propter se.

Avarus pecuniam appetit propter se, nimirum ut possideat, non ut utatur. Aſt constat, eundem ex pecunia voluptatem percipere, qua perfunditur animus ejus, si nummos, quos possidet, numerat, aut in arca depositos intuetur, vel de iis saltem cogitat. Qui vero eandem appetunt propter usum, voluptatem non sentiunt, nisi quando de usu cogitant. Qui honores appetit propter se, is voluptatem habet, quando de iis cogitatio animum subit. Aſt qui honores non appetit, nisi quatenus autoritatem conciliant, qua in functione muneris sui indiget; non honoribus, sed studio recte fungendi munere suo delectatur. Qui splendidum appetit vestitum propter se, is eidem voluptatem creat: aſt qui in aula vel invitus splendide vestitus incedit, eodem minime delectatur, voluptati tamen ipsi est hoc modo satisfacere voluntati Principis eidemque placere. Idem obtinet, si quis hoc modo placere studeat aliis, cum interſit ut placeat iisdem. Exempla, quæ hic & paulo ante (*not.* §. 159), in medium attulimus, aperte loquuntur, si quis voluptatem agnoscere velit, quæ appetitum stimulat, animum esse attendendum ad motiva voluntatis. Ac idem quoque patet a priori. Sunt enim motiva repræsentatio boni (§. 890. *Pſych. empir.*), voluptas vero, qua stimulatur appetitus ex bono, quod nobis repræsentamus, ortum ducit (§. 558. *Pſych. empir.*). Et idem quoque mutatis mutandis valet de aversatione. Non multo acumine opus est, ut non modo ex iis, quæ hic dicuntur, verum etiam ex aliis, quæ in anterioribus jam dicta sunt & in sequentibus porro dicentur, perspiciatur, quanta attentione, quanto acumine opus sit, ut actus animæ humanæ recte cognoscantur,

tur, nec pro iisdem habeantur, quæ obiter inſpecti iidem videntur. Atque ideo mirum videri non debet, quod Ethica quaſi deſerta a philoſophis jacuerit, quia veritates morales vulgo imperito obviæ putantur.

§. 161.

Quinam quid appetant, quia voluptatem parit & averſentur, quia moleſtiam creat.

Qui bonum a malo inde diſcernit, quod illud voluptatem pariat, aut a moleſtia liberet, hoc autem moleſtiam creet, vel voluptatem impediat; ideo quid appetit, quia voluptatem parit, & ideo quid averſatur, quia moleſtiam creat, vel appetit, aut verſatur, quia ipſi cauſa voluptatis percipiendæ, aut moleſtiæ devorandæ videtur. Qui enim bonum id judicat, quod voluptatem parit, aut a moleſtia liberat, cum appetitus ideo in aliquid feratur, quia nobis id repræſentamus tanquam bonum (§. 904. *Pſych. empir.*), ideo quoque id appetere debet, quia voluptatem parit, aut a moleſtia liberat. *Quod erat primum.*

Similiter qui malum id judicat, quod moleſtiam creat, vel voluptatem impedit, cum ideo aliquid averſemur, quia nobis id repræſentamus tanquam malum (§. 907. *Pſych. empir.*), ideo quoque id averſatur, quia moleſtiam creat, aut voluptatem impedit. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam vero, ſi quid appetere debemus, neceſſe eſt, ut idem nobis repræſentnmus tanquam bonum (§. 907. *Pſych. empir.*), &, ſi quid averſari debemus, neceſſe eſt, ut idem nobis repræſentemus tanquam malum (§. 901. *Pſych. empir.*), ideoque facultas appetendi & averſandi tota dependet a facultate cognoſcendi (§. 53. *Pſych. empir.*); ea quoque appetimus, quæ nobis videntur bona, quamvis revera non ſint, & averſamur, quæ nobis videntur mala, quamvis non ſint. Quamobrem cum bonum a malo inde diſcernens, quod illud voluptatem creat, vel a moleſtia liberat, hoc autem

autem moleſtiam creat, aut voluptatem impedit, ideo quid appetat, quia voluptatem parit, aut a moleſtia liberat, & aliquid averſetur, quia moleſtiam creat, aut voluptatem impedit, *per demonſtrata n. 1. & 2.* ideo quoque quid appetit, vel averſatur, quia ipſi cauſa voluptatis percipiendæ, vel moleſtiæ devorandæ videtur. *Quod erat tertium.*

Aliud omnino eſt, aliquid appetere quatenus voluptatem parit, & averſari, quatenus moleſtiam creat, ita ut illud non appetereretur, niſi voluptatem pareret, nec hoc averſaremur, niſi moleſtiam crearet; aliud vero eſt aliquid appetere, quia voluntatem parit, & averſari, quia moleſtiam creat. Etenim in poſteriori caſu voluptas ſpectatur tanquam finis, quem conſequi intendimus, quoad appetitum; in priori tanquam ſtimulus, quo appetitus incitatur, ut tendat ad perfectionem ſui, vel ſtatus ſui tanquam ad metam. Similiter in caſu poſteriori moleſtia conſideratur tanquam finis minime intendendus, ſeu id, quod a nobis procul removere debemus; in priori autem tanquam ſtimulus, quo incitamur ad imperfectionem a nobis & ſtatu noſtro arcendum. Qui itaque quid appetit, quia voluptatem parit, & averſatur, quia moleſtiam creat, non vero ulterius cauſam voluptatis & moleſtiæ proſpicit, unde nimirum utraque oritur; is confundit a ſe invicem diſcernenda, ideoque errori aditum patefacit (§. 631. *Log.*): id quod non ſolum ex ſequentibus magis eluceſcet, verum etiam experientia obvia abunde confirmatur.

§. 162.

Quoniam *qui bonum a malo inde diſcernit, quod illud voluptatem pariat, aut a moleſtia liberet*, ideo quid appetit, quia voluptatem parit, aut a moleſtia liberat, & ideo quid averſatur, quia moleſtiam creat, aut voluptatem impedit (§. 161.); *ea, quæ ſenſus hilarant, ideo appetit, quia ſenſus delectant, & ea, quæ ſenſibus ingrata accidunt, ideo averſatur, quia ſenſibus ingrata ſunt.* *De appetitu rerum delectationum ſenſualium cauſa & averſatione*

eorum, quæ ſenſibus ingrata ſunt.

Exempla a delectationibus ſenſuum deſumta omnium optime illuſtrant, quod bonum a malo per voluptatem percipiendam diſcernentes rem appetant, quia voluptatem parit, ideoque voluptatem intendant tanquam finem. Etenim qui cibum appetit ob ſaporem gratum, is ſaporis grati perceptionem intendit tanquam finem. Aliter vero ſeſe res habet, ſi ſapor gratus, ſeu quo delectamur, ſaltem ſtimulus eſt ad appetendum hunc cibum: hunc enim cibum appetimus non quia bene ſapit, ſed quia corpus bene nutrit, & quatenus ex bono conſervativo percipitur voluptas a delectatione ſenſuali prorſus diverſa. Quamvis itaque in ſuperioribus demonſtraverimus, nihil appeti, niſi quatenus voluptatem creat (§. 156.); non tamen propterea cibus, qui bene ſapit, ideo appetitur quia bene ſapit, conſequenter ut ſapore delectemur. Ita qui imaginem quandam appetit, quæ viſum delectat, is ideo eam appetit, quia viſum delectat. Hinc qui rebus obſcœnis delectantur, imagines obſcœnas ideo appetunt, quia obſcœnis delectantur. Quorum aures Muſica demulcet, ideo Muſicam appetunt, quia eadem delectantur, nec aliud quid intenditur tanquam finis proximus, quam hæc delectatio.

§. 163.

De determinabilitate voluntatis per ſenſum.

Quoniam *qui bonum a malo inde diſcernit, quod illud voluptatem, hoc moleſtiam creat*, ea, quæ ſenſum hilarant, ideo appetit, quia ſenſum delectant, & ea, quæ ſenſui ingrata ſunt, ideo adverſatur, quia ſenſui ingrata ſunt (§. 162.); *ſi ante intellectus uſum, aut recto intellectus uſu ſepoſito iis appetendis adſueſcit, quæ ſenſum hilarant, & iis averſandis, quæ eidem ingrata ſunt, voluntas determinabilis efficitur per delectationes ſenſuales & voluntas determinabilis per id, quod ſenſui ingratum eſt*, & per conſequens *voluntas ſit dependens a ſenſu.*

Ab initio, antequam ſcilicet homo intellectu uti, aut nondum recte uti didicit, utpote cujus uſus eidem natura non in-

eſt,

eſt, ſed exercitio acquirendus (§. 199. *part. 1. Jur. nat.*), bonum a malo diſcernere nequit, niſi ex eo, quod voluptatem & moleſtiam parit (§. 4.) Hinc a teneris ungviculis homo facile adſuefit appetendis rebus, quæ ſenſum hilarant, ut adultior factus quaſi natura ducatur ad ea appetenda.

§. 164.

De diverſa determinabilitate intellectus per ea, quæ ſenſum hilarant.

Quodſi homo ante intellectus uſum, aut recto intellectus uſu ſepoſito iis appetendis adſueſcit, quæ ſenſum hilarant, & iis averſandis, quæ eidem ingrata ſunt, voluntas determinabilis efficitur per delectationes ſenſuales & nolun-tas determinabilis per id, quod ſenſui ingratum eſt (§. 163.); Quamobrem cum varii ſint ſenſus, varia quoque objecta, quæ ſenſum hilarant eundem, vel ipſi ingrata ſunt, quod a poſteriori ſumimus; *diverſorum hominum voluntas diverſimode determinabilis efficitur per ea, quæ ſenſum hilarant, prouti ante intellectus uſum, aut eodem ſepoſito, hisce, vel iſtis rebus adſueſcit, quæ hunc, vel iſtum ſenſum hilarant. Idem valet de noluntate.*

Differunt delectationes ſenſuales pro diverſitate ſenſuum & diverſitate objectorum eundem ſenſum afficientium. Experientia docet, non omnes, qui delectationibus ſenſualibus capiuntur, eadem re delectari, ſed voluptatem ſuam unumquemque trahere. Ex propoſitione præſente intelligitur, quomodo voluntas determinabilis efficiatur per certa ſenſum certum hilarantia objecta. Non nego organa ſenſoria in diverſis hominibus ita differre poſſe, ut ab eodem objecto diverſimode afficiantur, quatenus impreſſio in eadem facta vel grata, vel ingrata accidit, conſequenter dari quandam naturalem appetitus diſpoſitionem, ut is facilius ad haſce, quam ad alias delectationes ſenſuales determinetur. Sed in tantas ambages deſcendere, ad quas ducit accurata diſquiſitio, nobis in præſenti non conceditur, neque etiam hoc loco fieri poteſt, ut in ea inquiramus, cum non demonſtraverimus principia,

cipia, quæ ad hanc diſquiſitioem requiruntur, & alterius fori ſunt. Sufficit in Ethica cognoſci cauſam proximam, quæ determinabilitatem voluntatis ad delectationes ſenſuales poteſtati noſtræ ſubjicit.

§. 165.

De cura educatorum circa ea, quæ ſenſum hilarant.

Quia voluntas, ſi homo ante intellectus uſum adſueſcit iis appetendis quæ ſenſum hilarant, efficitur determinabilis per delectationes ſenſuales (§. 163.), & quidem diverſimode pro diverſitate objectorum, quibus appetendis adſueſcit (§. 164.); *educatores curæ cordique habere debent, ne educandi adſueſcant appetendis rebus ſenſum hilarantibus, quæ voluptatem nocuam parere poſſunt.*

Ab hoc principio longe plurima dependent in regimine liberorum educandorum, antequam intellectu uti, aut quantum ſatis eſt, uti poſſunt, quæ ſubtilioris ſunt diſquiſitionis. Equidem nullus dubito fore haud paucos, qui exiſtimaturi ſunt, per ea, quæ hinc inde de cura educatorum præcipimus, educationem liberorum reddi nimis difficilem, nec tantam ſcrupulositatem praxi convenire; non tamen eorum opinio me deterret a veritate demonſtranda, quæ utilis eſſe poteſt. Qui voluntatis corruptionem intime perſpicere voluerit, is quoque cognoſcere tenetur, quænam neglectui in educatione ſint tribuenda. Neglectum qui cognoſcere velit, is noſſe debet, quomodo in educatione liberorum corruptio voluntatis ſit præcavenda. Abſit itaque, ut ſubtilitatibus inanibus accenſeas ea, quæ ex ipſa natura humana de facultatibus animæ perficiendis demonſtrantur. Multæ ceſſarent hominum de natura humana parum juſtæ, immo in ipſum Deum naturæ autorem injuriæ querelæ, ſi natura humana intimius cognita atque perſpecta eſſet.

§. 166.

§. 166.

Voluptuoſus dicitur is, cujus voluntas determinabilis eſt per delectationes ſenſuales. Quoniam qui delectationibus ſenſualibus capitur ab iis, quæ ſenſui ingrata ſunt, abhorret; *voluptuoſi noluntas determinabilis eſt per ea, quæ ſenſui ingrata ſunt*, idoque *quæ dolorem cauſantur.* *Voluptuoſus quinam ſit.*

Idiomate patrio voluptuoſus dicitur ein Wollüſtiger Menſch & voluptas, quæ percipitur ex rebus ſenſibilibus guſtum præſertim atque tactum inprimis venereum afficientibus, die Wolluſt vocatur. Non vero ſine ratione ita reſtringitur vocabuli ſignificatus. Etenim cum idem plerumque ſumatur in ſignificatu malo, ut animum vitioſum indicet, ea vero, quæ guſtum hilarant, & venereæ voluptates omnium facillime vitia accendant; ideo voluptuoſus inprimis dicitur, qui iſta nimium appetit.

§. 167.

Determinabilitas voluntatis per delectationes ſenſuales in ſe mala non eſt; ſed mala evadit, quando nocuæ ſunt. Delectationes ſenſuales voluptates tranſitoriæ ſunt (§. 385. *part. 1. phil. pract. univ.*). Voluptas tranſitoria æquipollet voluptati veræ, ſi fuerit innocua (§. 285. *part. 1. Jur. nat.*) & felicitatem auget (§. 286. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque delectationes ſenſuales voluptati veræ æquipollent, ſi fuerint innocuæ, & felicitatem augent, homo autem operam dare debet, ut ſit felix (§. 280. *part. 1. Jur. nat.*); determinabilitas voluntatis per delectationes ſenſuales in ſe mala non eſt. *Quod erat unum.* *An determinabilitas voluntatis per delectationes ſenſuales in ſe ſit mala.*

Enimvero homo ſibi cavere debet, ne fruatur voluptate tranſitoria nocua (§. 282. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum delectationes ſenſuales ſint voluptates tranſitoriæ (§. 385. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ſibi quoque cavere debet a delectationibus ſenſualibus, quando nocuæ fuerint.

Determinabilitas itaque voluntatis per delectationes ſenſuales mala evadit, quando nocuæ ſunt. *Quod erat alterum.*

Qui delectationes ſenſuales ſimpliciter damnant, nimis rigidi morum cenſores ſunt. Recolenda ſunt animo, quæ alias inſinuavimus de modo, quo voluptas tranſitoria innocua veræ æquipollet (*not.* §. 285. *part. Jur. nat.*). A vero omnino aberrant, qui determinabilitatem voluntatis per delectationes ſenſuales ad naturalem ejus corruptionem referunt, cum tum demum corrumpatur voluntas, quando intellectus non regit inclinationes naturales, ne exorbitent, nimirum delectationes ſenſuales nocuas ab innocuis minime diſcernens. Abſit autem, ut tibi perſuadeas, quaſi exiſtimemus hominem obligari ad ſenſus hilarandos, ea ſaltem cautione, ne delectatio ſit nocua. Etenim quod voluptas tranſitoria tantummodo licita ſit, ſi fuerit innocua (§. 287. *Part. 1. Jur. nat.*); ideo ea frui poſſumus, ſi nobis ita viſum fuerit, non autem frui tenemur. Illuſtravimus hoc exemplo a delectationibus ſenſualibus deſumto & una objectionem removimus, quæ in genere moveri poterat (*not.* §. 287. *Part. 1. Jur. nat.*). Supponimus hic, quemadmodum etiam alibi, delectationes ſenſuales, & in genere voluptates tranſitorias, inter quas iſtæ eminent, alias eſſe innocuas, hoc eſt, nec in tædium degenerare, nec tædium ſive moleſtiam parere (§. 384. *part. 1. Phil. pract. univ.*), alias vero nocuas, hoc eſt, in tædium degenerare, vel tædium ſive moleſtiam parere (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quia experientia obvia id docet. Ita ſi muſica delectemur, delectatio hæc in ſe innocua eſt; ſi cibum ſalubrem, qui bene ſapit, comedimus, delectatio itidem innocua eſt. Eſt etiam voluptas venerea innocua, quæ percipitur ex coitu conjugum ſobolis procreandæ & poſthac educandæ, ſeu generis humani propagandi cauſa. Quemadmodum vero exceſſus delectationum ſenſualium nocere poteſt, quatenus appetitus eorum, quæ delectant, tendit ad imperfectionem hominis, aut ſtatus ejusdem, ut inde natum ſit proverbium, omne

mine nimium in vitium verti; ita quoque ex accidente fieri poteſt, ut voluptas innocua degeneret in nocuam, quatenus eadem frui non poſſumus, niſi faciamus, quæ cum officio quodam noſtro pugnant. Ita ſi quis cibo quamvis ſalubri delectatur, nec in eo capiendo modum excedit, nimios tamen pro modo facultatum ſuarum facit ſumtus, ut eo frui poſſit, delectatio, quæ in ſe nihil vitii habet, efficitur nocua ex accidente, quatenus ad delectationem accedit actus illicitus, ſine quo ea obtineri nequit. Aſt cum in præſenti delectationes conſideremus, quales in ſe ſunt; ad ea animum non attendimus, quæ ubi accedunt vitium ſibi inhærens in eas transfundunt. Actus vitioſus accedens ad actum alias licitum labe ſua eundem inficit. Quodſi ergo noveris, quænam in ſe licita ſint, quænam illicita; in caſu particulari haud difficile erit judicium, utrum actus aliquis in ſe licitus propter alium accedentem evadat illicitus, nec ne. Qui vero hæc non perpendit, de malitia actionum judicium exactum ferre nequit.

§. 168.

Introductis dominiis rerum, pecuniam propter ſe appetere cœperunt homines recto intellectus uſu ſepoſito. Cum enim dominium homini tribuat jus excludendi ceteros omnes ab uſu ejus & a libera diſpoſitione quacunque alia de eadem (§. 118. 120. *part. 2. Jur. nat.*); introductis dominiis res, quæ ſunt in dominio, ſpectari cœperunt tanquam ad hominem, in cujus dominio ſunt, pertinentes & ſtatum ejus perficientes, conſequenter cum pecunia fungatur vice omnium rerum (§. 292. *part. 4. Jur. nat.*), ad perfectionem ſtatus externi referri cœpit. Immo quatenus dominium eſt jus proprium diſponendi de re pro arbitrio ſuo (§. 118. *part. 2. Jur. nat.*); poſſeſſio rerum atque pecuniæ ipſum hominem perficere putatur. Quamobrem cum appetitus hominis naturaliter determinatus ſit ad ſui conſervationem & perfectionem (§. 30), & *Quomodo contingat, ut homines pecuniam propter ſe appetant.*

recto intellectus uſu ſepoſito non attendatur, pecuniam referri ad bonum conſervativum, quatenus eadem comparantur res ad conſervationem noſtram neceſſariæ (§. 51.), ad bonum vero perfectivum, quatenus ſumtus facere tenemur ad perfectionem accidentalem acquirendum (§. 64.); ideo dominiis introductis homines pecuniam propter ſe appetere cœperunt, recto intellectus uſu ſepoſito.

Quodſi homo re nulla indigeret ad ſui conſervationem & perfectionem, rem quoque nullam appeteret, & ignota foret pecunia, ignotus ejus, immo ſi proſtaret, nullus ejus uſus. Quodſi nulla forent rerum dominia, ſed res omnes eſſent communes; eædem aliter ſpectari non poterant, niſi tanquam ad bonum communionis pertinentes (§. 90.). Nemo igitur eas appetere poſſet, ut ſibi eſſent propriæ, ſed ſaltem uſum earundem, prouti ſibi neceſſarium judicaret. Nullus quoque foret pecuniæ uſus, quæ rerum comparandarum cauſa inventa (§. 293. *part. 4. Jur. nat.*), immo eadem prorſus ignota foret. Quamobrem niſi introductis dominiis rerum concipi nequit, ut eædem, vel pecuniæ propter ſe appetantur. Neque etiam locus eſſe poterat errori, quaſi rerum abundantia, vel divitiæ hominem perficerent, ut & ſibi videretur ſe præſtare aliis & aliis præſtare putaretur. Dominiis itaque introductis appetitus hominis corruptioni obnoxius evaſit, de qua ne quidem cogitari poterat iſtis ignoratis. Abſit autem, ut propterea damnes dominiorum introductionem. Neque enim legi naturæ repugnat, ut communio primæva fuerit ſublata (§. 109. *part. 2. Jur. nat.*) & dominia introducta (§. 141. *part. 2. Jur. nat.*). Immo pro præſenti rerum ſtatu dominia rerum neceſſaria ſunt (§. 77. *part. 2. Jur. nat.*). Communio vero mixta, qualem nonnulli ſuadent, veluti *Campanella* in Republica ſolis, & quidam introducere volunt tanquam religioni Chriſtianæ convenientem, dominia rerum ſupponit, nec ſine his ſubſiſtere poteſt (§. 129. *part. 2. Jur. nat.*). Quodſi intro-

introductis dominiis appetitus hominis corruptioni obnoxius redditur, a qua iis ignoratis immunis foret; id non dominiis tribuendum, ſed erroneis de rebus, quibus indigemus, opinionibus aliis cum hisce connexis, quas ſuo loco recenſebimus.

§. 169.

Quoniam *introductis dominiis* retum pecuniam propter ſe appetere ſolent homines, recto intellectus uſu ſepoſito (§. 159); *erroneis de pecunia opinionibus voluntas hominis efficitur determinabilis per ea, quibus pecunia acquiritur, ſeu locupletiores reddimur* (§. 582. *part.* 2. *Jur. nat.*), ideoque *cupido multa habendi inceſſit animos hominum.*

De cupidine habendi.

Aliud eſt pecuniam appetere propter ſe, aliud propter uſum, quem habet, & vi cujus ad bonum conſervativum (§. 51) atque perfectivum recte refertur (§. 64). Quando vero pecunia appetitur propter uſum, ideoque ſpectatur in relatione ad bonum conſervativum & perfectivum; motivum voluntatis non eſt pecunia, quatenus tanquam bonum abſolute citra reſpectum ad aliud conſideratur, ſed ipſum bonum conſervativum & perfectivum, ad quod conſervandum & acquirendum homo naturaliter determinatus eſt. Quemadmodum facto hominum, non repugnante lege naturæ, jura hominum naturalia immutantur; ita etiam bonis facta iſta mutatione mutatio quædam accidit. Ne vero circa ea appetitus aberret, regimine intellectus opus eſt, quod in ſpeciali tractatione explicabitur & demonſtrabitur. Oſtendimus hic, cupidinem multa habendi inceſſere animos hominum pecuniam propter ſe appetentium. Inde vero minime ſequitur, ut ea alias adhuc non habeat cauſas. Et revera tales dari, ſuo loco in tractatione ſpeciali demonſtrabitur. Sufficiat hic exempli loco, ſi quis propter luxum pecuniam appetit.

§. 170.

Quinam bonum ex lucro, malum ex damno æſtiment.

Quorum voluntas determinabilis eſt per ea, quibus locupletiores reddimur, ii bonum judicant id, ex quo lucrum faciunt, malum vero ex damno. Etenim cum lucrum conſiſtat in re quacunque, qua locupletiores reddimur (§. 613. *part. 3. Jur. nat.*); ſi voluntas determinatur per ea, quibus locupletiores reddimur, per repræſentationem lucri determinatur. Quamobrem cum repræſentatio boni ſit motivum voluntatis (§. 890. *Pſych. empir.*), ratio ſufficiens volitionis, ſeu ratio, cur voluntas determinetur (§. 587. *Pſych. empir.*); cujus voluntas per repræſentationem lucri determinatur, is ſibi id, ex quo lucrum facit, repræſentat tanquam bonum. Cujus itaque voluntas determinabilis eſt per ea, quibus locupletiores reddimur, is bonum judicat id, ex quo lucrum facit. *Quod erat unum.*

Quoniam vero ejus animus, cujus voluntas determinabilis per ea, quibus locupletiores reddimur, in lucrum propendet (§. 880. *Pſych. empir.*); cum lucrum faciat ad bona noſtra, ſeu res, quæ in dominio noſtro ſunt (§. 448. *part. 2. Jur. nat.*), conſequenter pecunias noſtras (§. 292. *part. 4. Jur. nat.*), augendum, non diminuendum (§. 613. *part. 3. Jur. nat.*); animus quoque a jactura rerum, quæ ſunt in dominio noſtro, & pecuniæ atque interverſione lucri abhorret. Quoniam itaque damnum conſiſtit in jactura ſui (§. 486. *part. 2. Jur. nat.*), & in damno ponitur jactura ejus, quod noſtrum fieri poterat; cujus voluntas determinabilis eſt per ea, ex quibus lucrum facit, ejus noluntas determinabilis quoque eſt per repræſentationem damni. Quamobrem cum repræſentatio mali ſit motivum noluntatis (§. 890. *Pſych. empir.*); patet ut ante eum, cujus voluntas determinabilis

bilis eſt per ea, quibus loculpletiores reddimur, malum æſtimare ex damno. *Quod erat alterum.*

Sicuti fallit principium: quicquid ſenſus hilarat, id bonum eſt, quod ſenſui moleſtum accidit, malum; ita quoque fallit principium: quicquid in lucro eſt, id bonum eſt, quod vero in damno deputatur, malum. Patet vero, erroneam hanc notionem boni & mali demum ſubnatam eſſe dominiis rerum introductis. Absque dominio enim nec lucrum, nec damnum concipitur, conſequenter nec lucro voluntas, nec damno noluntas moveri poteſt. Me non monente apparet, nos lucrum & damnum accipere in ſignificatu ſtrictiori, qui in jure obtinet ſuppoſitis dominiis rerum, & in quo bonorum nomine veniunt res promiſcue omnes, quæ ſunt in dominio noſtro (§. 448. *part. 2. Jur. nat.*). Neque enim repugnat, ut lucrum etiam dicatur de augmento bonorum animi & corporis, immo aliorum præter pecuniam, vel res pecunia æſtimabiles ad ſtatum externum ſpectantium, & conſequenter damnum de eorum jactura. Neque latior iſte ſignificatus a communi uſu loquendi abhorret, nec in moralibus inutilis foret. Quoniam tamen in jure naturæ ſtrictior retinendus fuit, quia is in Jurisprudentia uſu receptus, ab æquivocatione autem in ſyſtemate abſtinendum, quantum datur, ideo ſignificatum ſtrictiorem hic quoque retinere maluimus. Damni tamen ſignificatus latior, qualem quoque fert definitio, ſi ſuum latius interpretari velis (§. 486. *part. 2. Jur. nat*), etiam in jure non ignotus. Dicimus enim damnum dari corpori noſtro, ſi v. gr. privamur membro quodam corporis, aut id inutile efficitur ad functiones ſuas obeundas.

§. 171.

Qui bonum ex lucro, malum ex damno æſtimant; ideo quid Quinam quid appetunt, quia ex eo lucrum faciunt, & ideo averſantur, quia appetant damnum inde patiuntur. Qui enim bonum id judicat, ex quo *propter lucrum*

crum, averſentur propter damnum.

lucrum facit, cum appetitus ideo in quid feratur, quia nobis id repræſentamus tanquam bonum (§. 904. *Pſych. empir.*), ideo quoque id appetere debet, quia ex eo lucrum facit, vel lucrum ſe facturum ſibi videtur. *Quod erat unum.*

Similiter qui malum æſtimant ex damno, cum ideo quid averſemur, quia nobis id repræſentamus tanquam malum (§. 907. *Pſych. empir.*), ideo quoque quid averſari debet, quia damnum inde patitur, vel damnum ſe paſſurum ſibi videtur. *Quod erat alterum.*

Quemadmodum ſupra monuimus, aliud eſſe aliquid appetere, quatenus voluptatem parit, & averſari, quatenus moleſtiam creat, aliud vero appetere aliquid, quia voluptatem parit, & averſari, quia moleſtiam creat (*not.* §. 161.); ita ſuo quoque modo dici poteſt, aliud eſſe aliquid appetere, quatenus ex eo lucrum facimus, & averſari, quatenus damnum inde patimur, aliud vero idem appetere, quia lucrum ex eo facimus, & averſari, quia damnum inde patimur. Etenim in caſu poſteriori lucrum eſt motivum, in priori autem ſolum nondum ſufficit ad voluntatem determinandum, ſed concurrunt rationes adhuc aliæ & lucrum vim movendi appetitum ab alio principio accipit, intellectu appetitum, prouti decet (§. 41), moderante, prouti ex tractatione ſpeciali eluceſcet. Nec abſimili modo id quoad noluntatem perſpicitur. Sed demus exemplum. Homo laborat, ut labore ſuo acquirat pecuniam, qua indiget ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem, prouti circumſtantiæ permittunt, & ad ſublevandam egeſtatem aliorum. Non tamen ideo dici poteſt quod laboret, quia ex labore lucrum facit, ſed ideo laborat, ne inopia eorum laboret, quibus ad vitæ neceſſitatem, commoditatem & jucunditatem indiget, & ut egeſtatem aliorum ſublevare queat. Aſt qui bonum ex lucro faciendo æſtimat, ideo laborat, quia ex labore ſuo lucrum facit, atque propterea lucrum intendit tanquam finem & laborem ſpectat tanquam medium, quo

quo finis iſte obtinetur, cum qui laborem non ideo appetit, quia lucrum inde provenit, finem longe alium ſibi propoſitum habeat, nimirum conſervationem, commoditatem & jucunditatem vitæ & beneficium præſtandum aliis, & in genere intendat omnes officii ſui partes pro virili adimplere. Videbimus ſuo loco, quantum interſit, ne bonum ſimpliciter ex lucro æſtimemus. Videbimus quoque, quantum ſubinde noceat, ne faciamus, quod facere debebamus, ſi malum ex damno ſimpliciter æſtimemus.

§. 172.

Determinatio voluntatis per lucrum in ſe mala non eſt, ſed mala evadit, quatenus lucrum facere non poſſumus, abſque violatione officiorum. Cum enim lucro efficiamur locupletiores (§. 613. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter rerum, quæ ſunt in dominio noſtro, copiam, ideoque bona noſtra (§. 448. *part. 2. Jur. nat.*), augeamus (§. 582. *part. 2. Jur. nat.*), quin lucrum in ſe ſpectatum ſtatum noſtrum perfectiorem reddat, dubitandum non eſt. Quamobrem cum bonum ſit, quod ſtatum noſtrum perficit (§. 554. *Pſych. empir.*); lucrum in ſe ſpectatum bonum eſt. Determinatio igitur voluntatis per lucrum in ſe mala non eſt. *Quod erat unum.* *Quando determinatio voluntatis per lucrum fit mala.*

Enimvero ſi lucrum facere non poſſumus absque violatione officiorum, cum officia ſint actiones juxta legem naturæ præceptivam & prohibitivam determinatæ (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ*), lucri faciendi cauſa agimus, quod lex naturæ prohibet, omittimus, quod eadem præcipit. Quamobrem quia lex naturæ nos obligat ad actiones intrinſece bonas committendas, intrinſece vero malas omittendas (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*); lucri faciendi cauſa actiones malas committimus, bonas omittimus. Determinatio ita-

que voluntatis per lucrum mala evadit, quatenus lucrum facere non poſſumus absque violatione officiorum. *Quod erat alterum.*

Quando de lucro in ſe ſpectato pronunciandum, utrum ſit bonum, nec ne; id aliunde dijudicari nequit, niſi ex notione boni, conſequenter ex eo, num ſtatum noſtrum perficiat, atque tum ad bonum conſervativum, perfectivum & communicativum, ſtatuque civili introducto ad bonum communionis refertur, unde bonitas in ipſum derivatur. Et quatenus voluntas determinata eſt ad ſui conſervationem & perfectionem atque ad inſerviendum aliis & bonum commune civitatis promovendum, per lucrum quoque determinabilis eſt. Enimvero ſi lucrum non in ſe ſpectetur, ſed tanquam acquirendum, a modo acquirendi vitium contrahere poteſt, quatenus is conſiſtit in actionibus vitioſis. Velim hæc probe notentur atque ſatis ponderentur: habent enim uſum etiam in aliis. Cum voluntas perfecta determinetur per bonum verum (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*); in Ethica oſtendendum, undenam ſit intrinſeca actionum bonitas & malitia, ne falſa ſpecies nobis imponat. Ceterum ex propoſitione præſente patet, cur fallat principium, quod bonum ſit id, ex quo lucrum facimus: opus nimirum eſt diſtinctione inter lucrum, quod facimus ſalvis officiis, & lucrum, quod facimus violatis officiis. Illud demum bonum eſt, ſi ſpectatur ut acquirendum, hoc vero malum eſt. Quodſi argumenteris: Lucrum perficit ſtatum noſtrum. Ergo eſt bonum; diſtinguendum eſt, quemadmodum in demonſtratione fecimus, inter lucrum ſimpliciter, ſeu in ſe ut acquirendum ſpectatum Quod in ſe ſpectatum bonum eſt, ob alia, quæ accedunt extrinſecus, malum fieri poteſt, idque non uno modo. Quemadmodum vulgo dicitur, minimam circumſtantiam variare jus; ita etiam minimis circumſtantii variari poteſt bonitas actionis, vel rei. Cibus ſalubris in ſe ſpectatus bonus eſt, aſt ſi immodice eodem fruamur, exceſſus efficit malum. Immo etſi cibum ſalubrem modice capere actio bona ſit, cum tamen

men a rectitudine deficiat actio, ſi capitur, quia bene ſapit, ſeu palato gratus eſt, ita ut ſapor gratus ſit motivum capiendi cibum (§. 887. *pract. 1. Phil. pract. univ.*), actio jam labe quadam inficitur. Quamvis hoc paradoxum videatur, non tamen repugnat principiis dudum probatis. Neque enim ignotum eſt, dudum inculcatum fuiſſe, quod bonum non ſit niſi ex integra cauſa.

§. 173.

Lucri cupidus dicitur is, cujus voluntas determinabilis eſt per lucrum. Quoniam itaque qui lucrum cupit a damno abhorret; *lucri cupidi noluntas determinatur per damnum.* Vocatur autem lucri cupidus etiam *Lucrio*, ſive *Lucro.* *Lucri cupidus quinam ſit.*

Idiomate patrio lucri cupidus appellatur ein Gewinnſüchtiger Menſch, & vocabulum ſumitur in ſignificatu malo. Quamvis enim determinabilitas voluntatis per lucrum in ſe mala non ſit, ſed mala evadat, quatenus lucrum facere non poſſumus absque violatione officii (§. 172.); facillime tamen, immo plerumque contingit, ut lucri cupidus in faciendo lucro officium quoddam violet. Immo cupido lucri absque omni labe in homine vix ac ne vix quidem concipitur, ſi receſſuum & latebrarum in animo ejus rationem habeas. Sed hæc clariora evadent ex ſequentibus, quæ de puritate animi demonſtraturi ſumus.

§. 174.

Introducto ſtatu civili honorem ex titulis & præcedentia æſtimare & propter ſe appetere cœperunt homines, recto intellectus uſu ſepoſito. Natura homines omnes æquales ſunt (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*), nec eorum ulli competit præcedentia (§. 106. *part. 1. Jur. nat.*). Enimvero cum introducto ſtatu civili non omnes eodem modo de Rep. mereantur, quod per ſe patet, & in eadem determinandi ſint actus, quibus honor ob merita *Quomodo contingat, ut homines honorem propter ſe appetant.*

in Remp. exhibendus bene de eadem merentibus (§. 762. *part. 8. Jur. nat.*), honor autem iſte, quo denotatur præcellentia ſupra alios, in titulis & præcedentia conſiſtit (§. 765. *part. 8. Jur. nat.*); in ſtatu civili inæqualitate introducta, homines honorem ex titulis & præcedentia æſtimare cœperunt. *Quod erat unum.*

Quoniam tituli (§. 763. *part. 8. Jur. nat.*) & præcedentia denotant præcellentiam ſupra alios (§. 104. *part. 1. Jur. nat.*), atque ita homines natura æquales (§. 81. *part. 1. Jur. nat.*) ſtatu civili introducto facti ſunt inæquales (§. 79. *part. 1. Jur. nat.*); tituli & præcedentia ſpectari cœperunt tanquam ad perfectionem hominis facientes. Et quia honor ex iis æſtimatur, *per demonſtrata*, quem non pariunt niſi virtutes intellectuales & morales, ſeu facta ex iisdem profecta (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), ad honores civiles, qui in titulis & præcedentia conſiſtunt, animo unice attento, honor hominem perficere putatur. Ea igitur opinio cum invaluerit, appetitus vero hominis naturaliter determinatus ſit ad ſui perfectionem (§. 30.), ſepoſito recto intellectus uſu, quo honor tum in genere (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), tum civilis in ſpecie (§. 762. *part. 8. Jur. nat.*) dijudicandus, in ſtatu civili homines honorem propter ſe appetere cœperunt. *Quod erat alterum.*

Equidem in ſtatu naturali hominibus quoque omnibus non idem debetur honor (§. 560 *part. 1. Jur. nat.*); cum tamen is non conſiſtat niſi in ſignificatione judicii ſui de perfectione alterius (§. 538. *part. 1. Jur. nat.*), quam manifeſtant facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta (§. 551. *part. 1. Jur. nat.*), & unicuique integrum ſit, quomodo judicium ſuum ſignificare velit, honor in ſtatu naturali nullum alteri tribuit jus præ alio, quod natura non habet, conſequenter nec fieri poteſt, ut is ſpectetur tanquam aliquid, quod homini

homini inhæret, eumque perficit. Quamobrem in ſtatu naturali ad bonum perfectivum referri nequit (§. 61), neque ideo appeti propter ſe. Quamvis enim gratum homini accidat, ſi perfectio ſui agnoſcatur ab aliis; cum tamen ideo alterum ſibi obligare nequeat ad certum honorem exhibendum, quemadmodum in ſtatu civili in titulis & præcedentia obtinet &, ſi qui alii præcellentiam alterius ſupra ſe ſignificandi modi fuerint lege poſitiva determinati, nec honorem propter ſe appetere poteſt, conſequenter nec eum ſpectare tanquam ad bonum perfectivum pertinens. Erronea igitur hæc opinio animos hominum demum inceſſit in ſtatu civili & ultra honores civiles extenſa etiam eſt ad alios. Ita eruditi varios excogitarunt titulos ad ſignificandam exiſtimationem, & contigit, ut iidem propter ſe appetantur. Aſt quomodo corruptio appetitus quoad honores latius ſerpat & vitia peculiaria inde naſcantur, in tractatione ſpeciali ſuo loco demonſtraturi ſumus. Hic adhuc obſervamus, utut quis in ſtatu naturali ſibi ob perfectionem quandam præcellentiam tribuere velit præ aliis, eum tamen ideo jus nullum ab aliis prætendere poſſe, quod natura minime habet, nec alios obligare ad præcellentiam iſtam agnoſcendam, & quamvis alii patiantur ipſum indulgere genio ſuo, nihil tamen eum inde lucrari, immo potius aliorum animos a ſe alienare: id quod in ſtatu naturali non una de cauſa periculoſius, quam in civili. Poteramus addere alia: ſed cum in ſtatu civili vivamus, nec ad naturalem pateat reditus, non opus eſſe videtur, ut in eam rem plura dicamus.

§. 175.

Quoniam *introducto ſtatu civili* honores propter ſe appetere cœperunt homines, recto intellectus uſu ſepoſito (§. 174.); *erroneis de honore opinionibus voluntas hominis efficitur determinabilis per ea, quæ honorem afferunt, & laudem conciliant* (§. 541. *part.* 1. *Jur. nat.*), ideoque *cupido honoris atque laudis inceſſit* *De cupidine honoris & laudis.*

ceſſit animos hominum, & notio boni ingignitur, quod bonum ſit, quicquid honorem affert, aut laudem conciliat.

Aliud eſt honorem & laudem appetere propter ſe, aliud ex honore & laude voluptatem percipere, ut ſint ſtimulus ad ſe reddendum honore atque laude dignum. Cum enim honor & laus ſint ſigna judicii aliorum de perfectione noſtra (§. 538. 541 *part. 1. Jur. nat.*), & ſigna meritorum in Remp. (§. 763. *part. 8.* & §. 104. *part. 1. Jur. nat.*); cui voluptas ex honore atque laude percepta ſtimulus eſt ad ſe reddendum honore & laude dignum, ei motivum voluntatis non eſt honor & laus, quatenus tanquam bonum abſolute ſpectatur, ſed ipſum bonum perfectivum & communicativum, immo in civitate bonum communionis, nec is ſe ſupra alios excellere exiſtimat, quia ab aliis laudatur, aut titulis & præcedentia ſeu in genere honoribus decoratur, ſed quia perfectionis ſuæ & ſtudii promovendi commune bonum ſibi conſcius eſt. Enimvero qui honorem & laudem propter ſe appetit, is parum curat, utrum laude ac honore dignus ſit, nec ne, modo laudibus & honoribus oneretur. Et in his æſtimandis ſtat opinione vulgari & ad eos graſſatur via quacunque. Appetitum igitur etiam quoad laudes atque honores regere debet intellectus, quemadmodum in tractatione ſpeciali explicabitur & demonſtrabitur, & jam intelligitur ex iis, quæ de honore & laude demonſtravimus (§. 538. *& ſeqq. part. 1. Jur. nat.*) & de dignitatibus civilibus (§. 765. *& ſeqq. part. 8. Jur. nat.*). Oſtendimus jam ſuperius, eum, qui honores propter ſe appetit, ex ipſis qua talibus voluptatem percipere (§. 160.): aſt qui ex honore & laude voluptatem percipit quatenus ſibi conſcius eſt perfectionis ſuæ, quam a ſe agnoſci alii honorem & laudem deferendo teſtantur, ejus voluptas non tam ex honore & laude ortum trahit, quam ex perfectione ſua, illiusque excitandi vim honor & laus inde acquirit. Fortaſſis non deerunt plurimi, quibus hæc nimis ſubtilia videbuntur; ſed hi erunt, qui puri-

puritatis animi notionem non habent & tenebræ, quibus mens eorum obfuſcatur, ſuo loco diſpellentur.

§. 176.

Quando voluptas ex honore ac laude percepta delectationi ſenſuali æquivaceat.

Si quis honore ac laude qua tali delectatur, ejus delectatio æquivalet delectationibus ſenſualibus. Etenim qui honore ac laude qua tali delectatur, is honorem ac laudem conſiderat tanquam res, quæ voluptatem pariunt, quatenus ſenſum afficiunt, nimirum quatenus ſibi ab aliis honorem exhiberi videt, aut laudari ſe audit. Enimvero delectationes ſenſuales ſunt, quæ ex ſenſationibus ortum trahunt (§. 552. *Pſych. empir.*) Quamobrem ſi quis honore ac laude qua tali delectatur, ejus delectatio æquivalet delectationibus ſenſualibus.

Laudes aliorum non percipi niſi auditu, nemo eſt qui neſciat. Quocunque autem modo honor exhibeatur, actus illi, quibus exhibetur, aut res iſtæ, ſi quæ ſunt, quibus ſignificatur, in viſum, vel ſenſum alium incurrunt. Quodſi ergo quis laudes & honores abſolute ſpectat, utique non ſunt niſi res ſenſibiles. Voluptas igitur ex iis qua talibus, ſeu abſolute ſpectatis percepta delectatio ſenſualis eſt (§. 552. *Pſych. empir.*). Non eſt quod objicias, neminem non eſſe, qui non ideo honore ac laude delectetur, quam quod denotet præcellentiam quandam ſupra alios, ob quam ſe aliis meliorem, aut certis quibusdam parem ſentit, ideoque voluptatem ortum revera trahere ex præcellentia ſua, non autem ex verbis & factis, quatenus ſenſu percipiuntur. Etenim qui honore ac laude abſolute ſpectatis delectatur is parum ſollicitus eſt, num gaudeat quadam perfectione, qua ſupra alios excellit, vel certis quibusdam aliis par eſt, immo præcellentia iſta plerumque nonniſi imaginaria eſt, nec is ullam habet ejus notionem, multo minus eandem ex vero æſtimat. Ponamus aliquem delectari titulo quodam, ideoque eundem affectare, ſed deſtitui meritis in Remp. aut in ſcientiam, cujus is ſignum eſſe debet

debet. Nonne ſignum, cui non reſpondet ſignatum, manet res mere ſenſibilis & quod eidem affingit opinio refert qualitatem ſenſibilem, quam percipit, una cum re?

§. 177.

Determinabilitas voluntatis per honorem & laudem mala eſt. Etenim cujus voluntas per honorem & laudem determinatur, is honorem & laudam appetit propter ſe, & ea, quæ honorem afferunt & laudem conciliant, quia honorem afferunt & laudem conciliant (§. 887. *Pſych. empir.*). Enimvero honorem & laudem non debemus intendere tanquam finem (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*), ſed tantummodo operam dare, ut ſimus honore ac laude digni (§. 546. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque determinabilitas voluntatis per honorem & laudem adverſatur legi naturæ, actus vero legi naturæ adverſi mali ſunt (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*); determinabilitas voluntatis per honorem & laudem mala eſt.

Determinabilitas voluntatis per honorem an ſit mala.

Conſtat alium honorem eſſe verum, nimirum quem pariunt virtutes intellectuales & morales (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), alium apparentem, qui in titulis & præcedentia tantummodo conſiſtit, a virtutibus intellectualibus & moralibus, atque meritis, in Remp. ortum ſuum non trahentibus. Et idem intelligitur de laude, quæ vel tribuitur a peritis ob virtutes intellectuales & morales, aut in Remp. merita, vel ab imperitis, aut ab adulatoribus ſine ullo noſtro merito. Nemo non agnoſcit malum eſſe, ſi appetamus honorem apparentem, veluti titulos inanes & laudes immeritas, vel tribuendas ab imperitis, qui, dum laudant alios, ipſimet non intelligunt, quid dicant. Aſt honorem verum appetere & laudem promeritam ad malam voluntatem minime referent omnes, præſertim cum ipſa lege naturæ unusquisque obligetur alteri honorem exhibere, quem meretur, & laudem quoque meritam tribuere (§. 648. *part. 1. Jur. nat.*). Aſt dubium hoc facile tolli-

tollitur. Honor verus & laus vera nobis non debetur nisi ob virtutes intellectuales & morales ac merita in Remp. consequenter ob id, ad quod natura obligati sumus. Virtutes intellectuales & morales acquirere tenemur atque ad bonum publicum conferre, quantum possumus, non ut honorem & laudem consequamur, sed ut nos perficiamus & bonum communionis pro virili promoveamus. Quando igitur operam damus, ut simus honore ac laude digni, non honorem ac laudem intendimus tanquam finem, ut propter hunc agamus; sed obligationi nostræ satisfacere studemus, ideoque voluntas determinari debet per motiva a bono perfectivo, communicativo & communionis desumta. Meritum honoris veri laudisque veræ per se inde resultat: utrum vero honorem & laudem meritam nobis tribuere velint alii, nec ne, sicuti nec in potestate nostra est, ita nec jus alios ad id faciendum obligandi habemus, sed arbitrio eorum reliquendum. Apertius de his dicemus in speciali tractatione, ut omnia dubia penitus evanescant, si qua adhuc supersunt. Alia longe ratio est determinationis voluntatis per lucrum, quam in se malam non esse, sed tum malam evadere ostendimus, quando lucrum facere non possumus absque violatione officiorum (§. 172). Pecunia enim indigemus, si officiis erga nos & alios satisfacere, & in civitate ad commune bonum ratam nostram conferre velimus. Ast honore ac laude non indigemus ad satisfaciendum officio nostro. A determinabilitate itaque voluntatis per lucrum ad determinabilitatem per honorem & laudem non valet argumentatio, etsi honor atque laus perficiat statum externum perinde ac lucrum (*not.* §. 172.).

§. 178.

Honoris cupidus dicitur is, cujus voluntas determinabilis est per honorem. Quoniam ad honorem etiam laus referenda (§. 538. 541. *part. 1. Jur. nat.*); *qui bonoris cupidus est, nam sit. ejus voluntas etiam determinabilis per laudem.* Et quoniam is, *Honoris cupidus qui-*

cujus voluntas per honorem atque laudem determinatur, honore ac laude delectatur, ideoque ab iis abhorret, quæ honori & laudi adverſantur; *honoris cupidi noluntas determinatur per ea, quæ honori & laudi quomodocunque adverſantur.*

Idiomate patrio honoris cupidus dicitur ein Ehrſüchtiger Menſch. Et quia vocabulum ſemper ſumitur in ſignificatu malo, ut animum vitioſum indicet (§. 177.); ideo vulgo vel tacite reſtringitur ad eos, qui honores ex titulis & præcedentia æſtimant, & laudibus immeritis & ab imperitis tributis inhiant. Fixos autem & determinatos ſignificatus de rebus moralibus vix ac ne vix quidem quæſiveris in communi loquendi uſu, cum non modo vulgo deficiant illarum notiones diſtinctæ, verum etiam haud vulgare acumen non raro requiratur, ut ea, quæ notiones ingrediuntur, ab omni labe mundes. Supponit hoc diſtinctam rectitudinis actionum humanarum notionem, de qua non cogitarunt, qui de moralibus commentati ſunt, & quot, quæſo ſunt, qui ſtudium recte agendi colunt, niſi ſingulares cauſæ, eædemque non ſemper juſtæ, id urgeant.

§. 179.

An determinatio noluntatis per ea, quæ honori & laudi veræ adverſantur, bona ſit.

Noluntas determinabilis per ea, quæ honori vero laudique veræ adverſantur, bona eſt. Cum enim facta ex virtutibus intellectualibus profecta honorem verum laudemque veram pariant (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), & facta ex virtutibus intellectualibus & moralibus profecta honore atque laude dignum probent (§. 552. *Part. 1. Jur. nat.*); cujus noluntas determinabilis eſt per ea, quæ honori vero laudique veræ adverſatur, is nihil committere vult, quod arguit defectum virtutum intellectualium & moralium, aut legi naturæ contrarium, ne habeant alii, quod jure in eo reprehendant, & ne male audiat aliis, conſequenter quod bonæ famæ adverſum

(§. 553.

(§. 553. *part. 1. Jur. nat.*), & veram ignoniminiam parit (§. 820. *& ſeqq. Jur. nat.*). Qoniam itaque homo obligatur operam dare, ut fama ipſius ſit bona (§. 554. *part. 1. Jur. nat.*) & ut honore atque laude dignus ſit (§. 545. 546. *part. 1. Jun. nat.*), ſibique ab ignominia vera cavere (§. 817. *part. 1. Jur. nat.*); noluntas determinabilis per ea, quæ honori vero laudique veræ adverſantur, bona eſt.

Non eſt, quod objicias, ſi noluntas determinabilis per ea, quæ honori vero laudique veræ adverſantur, bona eſt, bonam quoque eſſe debere voluntatem determinabilem per ea, quæ honorem verum afferunt laudemque veram conciliant. Quando enim oſtendimus voluntatem determinabilem per honorem & laudem; tum ſumſimus hominem actione ſua intendere honorem & laudem tanquam finem ac ideo actionem judicare bonam, quia honorem affert laudemque parit, opinione aliorum. Quamvis itaque honoris ac laude cupidus agat, quod legi naturæ convenit, non tamen ideo agit, quia eidem convenit, ſed ut aliorum opinione ſupra alios excellere videatur. Voluntas igitur ejus bona non eſt (§. 119.), nedum perfecta (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*), ſed potius mala (§. 129. *b. & §. 562. part. 1. Jur. nat.*). Aſt cum is, cujus noluntas determinabilis eſt per ea, quæ honori vero laudique veræ adverſantur, cum committere quid nolit, quod bonæ famæ adverſum veramque ignomiam parit, is ideo actiones ſuas dirigit juxta naturæ legem (§. 554. 817. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque noluntas ejus bona eſt (§. 125. 126.). Ne dubium hoc, quod jam removemus, ſuboriri poſſet, ideo non diximus determinabilitatem voluntatis per ea, quæ honorem laudemque afferunt, ſed per honorem atque laudem eſſe malam. Quodſi enim voluntas determinetur per ea, quæ honorem verum afferunt laudemquæ veram conciliant, nos honore ac laude dignos eſſe ſtudemus, ad quod faciendum obligati ſumus (§. 545. *part. 1. Jur. nat.*), non vero actionum bonitatem

æſtimamus ex honore atque laude, ut eadem ab opinione aliorum pendula efficiatur. Aſt ſuo loco in tractatione ſpeciali hæc accuratius diſcutiemus & plenior lux affulget ex iis, quæ inferius de puritate animi demonſtraturi ſumus.

§. 180.

Cur voluntas hominis determinabilis efficiatur per delectationes ſenſuales, lucrum & honorem ac laudem.

Qui bonum ex eo æſtimant, quod voluptatem parit; illorum voluntas determinabilis efficitur vel per delectationes ſenſuales, vel per lucrum, vel per honorem atque laudem. Etenim ea, quæ homo appetere poteſt, vel ſunt bona animi, vel corporis, vel fortunæ (§. 556. *Pſych. empir.*), conſequenter ſi bonum ex eo ſaltem æſtimat, quod voluptatem parit, de eo parum cogitat, num animam, corpus, vel ſtatum ſuum externum vere perficiat (§. 554. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi vel maxime contingat id, quod appetit, facere ad conſervationem perfectionis eſſentialis, aut acquirendam accidentalem, perfectio tamen ſui non intenditur tanquam finis, ſed ſaltem voluptas, quæ inde percipitur. Voluptas hæc cum percipi nequeat niſi ex rebus, quæ ſenſum hilarant, & introductis dominiis ſenſus hilaratur pecunia (§. 168.), in ſtatu civili, in quo ex titulis & præcedentia honorem æſtimare cœperunt homines eumque propter ſe appetere (§. 174.), honore atque laude; qui bonum ex eo æſtimant, quod voluptatem creat, illorum voluntas determinabilis efficitur vel per delectationes ſenſuales, vel per lucrum, vel per honorem atque laudem.

Bonum æſtimari nequit niſi vel ex notione boni vera, quod ſcilicet quid faciat ad perfectionem noſtram vel ſtatus noſtri (§. 554. *Pſych. empir.*), vel ex notione erronea, quæ ante intellectus uſum ingignitur, ſcilicet quod bonum ſit, quicquid voluptatem creat (§. 5.). Quodſi quis intellectus uſum ſeponit & ſolo ſenſuum judicio ſtat; ejus appetitus non fertur

tur niſi in id, quod ſenſum hilarat, quatenus ſenſum hilarat. Enimvero quædam ſenſum hilarant, quatenus ſic, non aliter organa ſenſoria afficiunt. Et in hoc delectationes ſenſuales conſiſtunt (§. 552. *Pſych. empir.*). Alia vero ſenſum hilarant, quatenus opinione hominum iplis affingitur, quod per ſe non habent, vis nimirum præcellentiam quandam homini tribuendi ſupra alios, veluti ut dominiis introductis maioris fieri debeat, qui opibus abundat, & introducto ſtatu civili, qui titulis & præcedentia ornatus. Atque tum ex pecunia & honore ac laude in ſe ſpectatis voluptas percipitur. Quamobrem haud difficulter concipitur, quomodo ſepoſito intellectus vero uſu, ſine quo bonum ex vero æſtimari nequit, voluntas determinabilis fiat per delectationes ſenſuales, & introductis dominiis per lucrum, in ſtatu autem civili per honorem atque laudem, ita ut bonum judicetur non modo quod ſenſus certo quodam modo per ſe afficit, verum etiam quod nos locupletiores facit, vel honorem affert atque laudem conciliat. Ceterum ne quid dubii hic ſuperſit, relegenda ſunt, quæ ſupra annotavimus (*not.* §. 174.). Quodſi quis adhuc objiciat, delectari quoque homines amicitia & conſuetudine aliorum, qua ſtatus noſter perfectior fiat; non multo acumine opus eſt, ut perſpiciatur, voluptatem ex amicitia & conſuetudine aliorum perceptam referendam eſſe ad delectationes ſenſuales, ut ideo eam ab his diſtingvi neceſſe non ſit.

§. 181.

Quomodo homines fiant voluptuoſi, & lucri atque honoris & laudis cupidi.

Quoniam qui bonum ex eo æſtimant, quod voluptatem parit, voluntatem determinare aſſuceſcunt per delectationes ſenſuales, lucrum & honores atque laudem (§. 180), voluptuoſus autem eſt is, cujus voluntas determinabilis per delectationes ſenſuales (§. 166.), lucri cupidus, cujus voluntas determinabilis per lucrum (§. 173.) & denique honoris cupidus, cujus voluntas determinabilis per honorem & laudem (§. 178.), & absque recto intellectus uſu homines bonum

ex eo æſtimant, quod voluptatem parit (§. 4.); *ſi homines recto intellectus uſu bonum a malo diſcernere non didicerunt, voluntas eorum determinatur per delectationes ſenſuales, lucrum & honorem atque laudem, fiuntque voluptuoſi, lucri & honoris atque laudis cupidi, & alii quidem magis voluptuoſi, alii magis lucri, alii magis honoris atque laudis cupidi, prouti fert occaſio, ut delectationibus ſenſualibus, & lucri, vel honoris atque laudis cupidini magis aſſueſcant.*

Inde omnino eſt, ut homines cupidine delectationum ſenſualium, lucri, honoris atque laudis potiſſimum regantur, & ex his fontibus actiones ipſorum profluant. Et quia alii magis feruntur in delectationes ſenſuales, alii in lucrum, alii in honores & laudem; ideo in aliis illa, in aliis iſta, in aliis hæc cupido prædominari dicitur. Qui ignorant, quomodo hæc cupido inceſſat animos hominum, eam homini naturalem eſſe arbitrantur, & tres iſtas cupidines pro tribus paſſionibus animi palmariis habent, quarum vel una in quolibet prædominatur, vel quæ in diverſa proportione miſcentur in diverſis ſubjectis, prouti facta ipſorum diverſitatem appetitionum loquuntur. Equidem negare non auſim, dari etiam quandam diſpoſitionem naturalem, ob quam aliorum appetitus facilius adſueſcat determinationi per delectationes ſenſuales, aliorum per lucrum, aliorum per honores & laudem; non tamen proptrerea cupido illorum, iſtius & horum tota ad naturam referri debet. Atque a vero aberrant, qui omnes delectationes ſenſuales, quas voluptatum nomine inſignire ſolent, in vitio ponunt, & cupidinem lucri cum avaritia, cupidinem honoris atque laudis cum ambitione confundunt, quaſi hominibus connatæ ſint tres paſſiones palmariæ ſeu primariæ, omnium actionum humanarum fontes, voluptas, avaritia & ambitio, ſintque homines natura voluptuoſi, avari & ambitioſi. Sed quantum fallantur qui ita ſentiunt, ex tractatione ſpeciali ſuo loco clarius adhuc eluceſcet. Abſonum omnino videtur ex primariis

ſic

ſic dictis paſſionibus deduci omnes hominum actiones tam bonas, quam malas, quaſi ex impuro fonte etiam profluant aquæ limpidæ. Sed iſtiusmodi hypotheſes materialiſmo & eidem conſono indifferentismo morali maxime conveniunt, cum natura autem animæ, ac præſertim libertate voluntatis, & actionum intrinſeca bonitate atque malitia minime conſiſtunt. Neque ideo mirari debemus, quod concluſiones inde deductæ plurimum fallant, & quid magis adhuc appareret, ſi theoria actionum humanarum & praxis moralis principiis iſtis methodo demonſtrativa ſuperſtueretur.

§. 182.

De inclinationibus hominis palmaris.

Cupido delectationum ſenſualium, lucri & honoris atque laudis ſunt inclinationes hominis. Etenim qui delectationum ſenſualium, lucri & honoris atque laudis cupidi ſunt, eorum voluntas generaliter determinata eſt ad appetendum ea, quæ ſenſus delectant (§. 166.), quæ in lucro ſunt, ſeu nos locupletiores reddunt (§. 173.) & quæ honorem afferunt atque laudem conciliant (§. 178.). Aſt determinatio generalis appetitus ad aliquid appetendum inclinatio eſt (§. 895. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Ergo cupido delectationum ſenſualium, cupido lucri, cupido honoris & laudis ſunt inclinationes hominis.

is, ſi rectus intellectus uſus ſeponitur.

Propoſitio hæc multo erit uſui in ſequentibus, præſertim in tractatione ſpeciali. Oſtandimus paulo ante (§. 180.), qui bonum ex eo æſtimant, quod voluptatem parit, eorum voluntatem determinabilem effici per delectationes ſenſuales, per lucrum, per honorem atque laudem. Quoniam itaque notio illa boni ingignitur ante intellectus uſum (§. 4.), ideoque qui recto intellectus uſu bonum a malo diſcernere non diſcunt, illa contenti ſunt; inclinationes hominis ſepoſito intellectus vero uſu in cupidine delectationum ſenſualium, lucri & honoris atque laudis conſiſtunt. Et cum conſuetu-

ſuetudine quaſi altera natura efficiatur & quæ in prima ætate gignitur homini naturalis exiſtimetur; ideo inclinationes ad delectationes ſenſuum, ad lucrum, ad honorem atque laudem non modo naturalibus æquipollent, verum etiam, ut modo annotavimus (*not.* §. 181.), pro naturalibus vulgo habentur. Quando itaque inclinationum naturalium ratio habenda in dirigendis actionibus, præſertim aliorum, & in quavis parte praxis moralis, ad cupidinem delectationum ſenſualium, lucri & honoris atque laudis animus inprimis advertendus.

§. 183.

De inclinationibus voluntatem corrumpentibus.

Inclinationes ad delectationes ſenſuales, lucrum & honorem atque laudem voluntatem corrumpunt. Etenim inclinatio ad delectationes ſenſuales cum ſit cupido delectationum ſenſualium (§. 182.); homo ea, quæ ſenſum delectant, ideo appetit, quia delectant (§. 162.), conſequenter voluntas ejus determinabilis eſt per delectationes ſenſuales (§. 163). Quamobrem quia determinatio voluntatis mala evadit, quando delectationes ſenſuales ſunt nocuæ, (§. 167.) nocuas autem ab innocuis non diſtingvit qui eas appetit, quia ſenſum hilarant; inclinatio ad delectationes ſenſuales voluntatem efficit proclivem ad malum, ideoque eam corrumpit (§. 10.). *Quod erat primum.*

Similiter cum inclinatio ad lucrum conſiſtat in cupidine lucri (§. 182.), voluntas hominis determinabilis eſt per lucrum (§. 173.). Quamobrem quia determinatio voluntatis per lucrum mala evadit, quatenus lucrum facere non poſſumus absque violatione officii (§. 172.), an vero lucrum fieri poſſit absque violatione officii non perpendit, qui quid appetit, quia ex eo lucrum facere poteſt, ſeu per lucrum tanquam motivum voluntatem unice determinat; inclinatio

ad

ad lucrum voluntatem efficit proclivem ad malum, ideoque eam corrumpit (§. 10.). *Quod erat ſecundum.*

Denique cum inclinatio ad honorem & laudem conſiſtat in cupidine honoris atque laudis (§. 182.); hominis voluntas determinabilis eſt per honorem atque laudem (§. 178.). Quamobrem quia determinatio voluntatis per honorem & laudem mala eſt (§. 177.); inclinatio ad honorem & laudem voluntatem efficit proclivem ad malum, ideoque eam corrumpit (§. 10.). *Quod erat tertium.*

Si homo res quascunque appetit propter qualitates ſenſibiles, ex hiſce voluptatem percipit; ſi appetit pecuniam, ſeu ea, ex quibus lucrum facere poteſt, aut quæ honorem afferunt, & laudem conciliant, ex lucro, honore & laude voluptatem percipit (§. 158. *& ſeqq.*). Quamobrem cum voluntas corrumpatur, ſi notione boni deceptrice utamur, qua bonum habetur quod voluptatem creat (§. 6. 10.); corrumpi quoque debet voluntas, ſi bonum habetur id, quod ſenſus delectat, quod lucrum, quod honorem atque laudem affert. Corruptiones igitur hæ ſpeciales pendent a corruptione iſta generali. Equidem qui non ſatis acuti ſunt ad pervidendum ea, quæ continuo quodam nexu ex ſe invicem ſequuntur, minime perſpiciunt, quomodo voluptas ex lucro non absque violatione officiorum quæſito, & multo minus quomodo voluptas ex honore vel laude percepta nocua fieri poſſit, ut ſcilicet vel in tædium degeneret, vel tædium ſive moleſtiam pariat (§. 383. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter eam promiscue pro innocua habent; errorem tamen ſuum agnoſcent, ſi quidem ea perpendere voluerint quæ in tractatione ſpeciali de origine vitiorum demonſtraturi ſumus, immo agnoſcere poterant, ſi ſatis acutos ac diligentes ſe præberent in obſervando. Maximam difficultatem faceſſere poteſt laus & honor, propterea quod hoc incitamentum habetur ad præclara præſtanda & optima ingenia laude duci dicuntur. Sed hæc quoque difficultas in tractatione ſpeciali

evaneſcet, immo tollitur per ea, quæ de puritate animi demonſtraturi ſumus inferius. Abunde enim pateſcet, quantum opinioni communi ſubſit veri. Velim vero jam perpendatur, quomodo non uſu intellectus etroneis de bono opinionibus corrumpatur intellectus & ejus deinde vitio corrumpatur voluntas. Nimirum ante intellectus uſum homo diſcernere nequit bonum a malo niſi voluptate, quam ex re percipit (§. 4.). Hinc ipſi ingignitur notio, id bonum eſſe, quod voluptatem creat (§. 5.). Appetitus itaque determinabilis efficitur per voluptatem promiſcue quamcunque, niſi recto intellectus uſu noxia ab innocua ſeparetur (§. 6.). Quodſi igitur contingat, ut voluptatem percipiat non modo ex iis, quæ ſenſum hilarant, verum etiam ex his, ex quibus lucrum facere poteſt, & quæ honorem afferunt, vel laudem pariunt; notiones boni ſpeciales ingignuntur, quod ſcilicet bonum ſit id, quod ſenſum delectat, quod nos locupletiores reddit, quod honorem affert, vel laudem conciliat. Appetitus itaque determinabilis efficitur promiſcue per delectationes ſenſuales, per lucrum & per honorem atque laudem. Atque hoc modo corrumpitur vitio intellectus bonum non recte æſtimantis voluntas. Ex hac autem corruptione propullulant vitia quævis, aut ſaltem actionibus in ſe bonis labes quædam adſpergitur, quatenus a rectitudine deficiunt, quæ conſentientem omnium facultatum uſum requirit, absque intellectus regimine non obtinendum.

§. 184.

De voluntatis corruptione per inclinationes ad ſenſuales, lucrum, honorem & laudem.

Quoniam inclinatio ad delectationes ſenſuales, lucrum & honorem atque laudem voluntatem corrumpit (§. 183.), voluntatis autem corruptio a vitio intellectus dependet (§. 15.); *intellectus inclinationem ad delectationes ſenſuales, lucrum & honorem atque laudem regere debet, ne voluntas corrumpatur.*

Intellectus uti debet miniſterio ſenſuum (§. 14. *Part. I. Ethic.*), non vero ab ipſis regi, ut eorum judicio ſtet in bono æſtimando. Dum vero recto intellectus uſu præcaventur erronea

erronea de bono judicia, quibus notiones deceptrices ſenſui debitæ occaſionem dant; voluntatis quoque corruptio præcaveatur. Vide, quæ alias jam demonſtravimus de ſenſibus ad erronea de actionibus committendis & omittendis judicia nos ſeducentibus (§. 512. *part. 2. Phil. pract. univ.* & de dominio in ſenſus obtinendo (§. 568. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & ſenſu ad conſenſum cum intellectu reducendo in genere oſtendimus (§. 578. *pract. 2. Philpract. univ.*). Ex iſtis nimirum demonſtrationibus & iis, quæ ibidem annotavimus, evidentius intelligitur, quomodo inclinationes ad delectationes ſenſuales, lucrum & honorem atque laudem voluntatem corrumpant & intellectus regimine præcaveatur, ne voluntas corrumpatur. Non tamen inconſultum eſt, ut in ſpecie hoc loco explicetur, quomodo inclinationes iſtas regere debeat intellectus, ne voluntas corrumpatur, aut, ſi corrupta jam fuerit, emendetur.

§. 185.

Intellectus regit inclinationem ad delectationes ſenſuales, ſi ea, quæ voluptatem innocuam creant, diſtingvamus ab iis, quæ innocuam pariunt. Inclinatio enim ad delectationes ſenſuales conſiſtit in determinabilitate per ea, quæ ſenſus delectant, ſeu per delectationes ſenſuales (§. 895 *part 2. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque determinabilitas voluntatis per delectationes ſenſuales mala evadit, quando eædem nocuæ ſunt (§. 167.); intellectus regit inclinationem ad delectationes ſenſuales, ſi ea, quæ voluptatem nocuam creant, diſtingvamus ab iis, quæ innocuam pariunt.

Quomodo intellectus regat inclinationem ad delectationes ſenſuales.

Intellectus eſt præcavere, ne voluptate tranſitoria, qualis eſt delectatio quælibet ſenſualis, illicita fruamur & per conſequens ne appetamus malum ſub ratione boni. Delectatio ſenſualis illicita eſt, ſi fuerit nocua (§. 283. *part. 1. Jur. nat.*), licita vero, ſi innocua fuerit (§. 287. *part. 1. Jur. nat.*). Neceſſe

ceſſe igitur eſt, ut intellectus diſcernat delectationem ſenſualem nocuam ab innocua. Qui delectationibus ſenſualibus promiſcue capiuntur, bonum æſtimant ex eo, quod quid ſenſus hilaret, tuncque ſe felices arbitrantur, ſi ſenſus hilarare poſſunt. Limitando igitur principium, quod ad malum ſub ratione boni appetendum ducit, ab errore, qui in eo latet, liberandum, ne imponere poſſit, ſcilicet ut quod ſenſum hilarat non habeatur pro bono niſi quando, delectatio innocua. Naturæ humanæ repugnat, ut quod ſenſui gratum eſt non delectet, neque enim in noſtra poteſtate eſt efficere ut ab objecto ſenſibili ſenſus aliter afficiatur, quam afficitur, ſeu ſenſibile aliter percipiatur quam a nobis percipitur, veluti ne ſacharum ſaporem dulcedinis procreet, nec dulcedo ſenſui grata accidat. Aſt in poteſtate noſtra eſt, num ſacharo veſci velimus, & ſi veſci velimus num ſolius delectationis cauſa, an propter alium finem, & quia certi ſumus ſacharum ſanitati noſtræ non nocere. Quodſi quis ſentit incommoda ex cibis ſacharo conditis vel etiam ex ſacharo confectis, hoc tamen non obſtante eos capit ob dulcedinem, qua delectatur, ut voluptate, quam inde percipit, fruatur; ejus inclinationem ad delectationes ſenſuales intellectus minime regit. Regimen intellectus rectum ejus uſum requirit. Quando autem is errat & erroneo judicio voluntas determinatur, id ad regimen intellectus referri nequit, quia intellectus dominatur ſenſui, a quo falſa boni notio venit non uſu intellectus ingenita.

§. 186.

Idem ulterius expenditur.

Quoniam intellectus regit inclinationem ad delectationes ſenſuales, ſi ea, quæ voluptatem nocuam cereant, diſtingvamus ab iis, quæ innocuam pariunt (§. 185.), nocua autem eſſe nequit voluptas, quæ veræ utpote in ſe innocuæ neceſſario cohæret (§. 388. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & voluptas vera ex vera perfectione oritur (§. 514. *Pſych. empir.*), ad

ad quam actiones omnes dirigendæ juxta legem naturæ (§. 152. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *ſi recto intellectus uſu appetitus circa ea, quæ ſenſum hilarant, juxta legem naturæ determinetur, inclinationem ad delectationes ſenſuales intellectus regit.*

Intellectum recte regere inclinationem ad delectationes ſenſuales certi eſſe poſſumus, ſi quod ſenſum hilarat tendat ad veram noſtram perfectionem aut ſtatus noſtri, nec ideo quicquam in eo committatur, quod lege naturæ prohibeatur. Sed ut appareat, quomodo delectatio ſenſualis cohæreat voluptati ex actione ad perfectionem noſtram tendente percipiendæ, demus exemplum. Si cibus ſalubris bene ſapit, cum ex obligatione ſanitatis conſervandæ nobis detur jus ad cibum quemcunque, ejus uſus tendit ad ſanitatem conſervandam, veram corporis perfectionem. Quodſi ergo cibo ſalubri grati ſaporis conſervandæ ſanitatis cauſa veſcimur, quod ſenſum hilarat tendit ad veram noſtram perfectionem, & voluptati veræ, quæ ex ſanitatis ſenſu percipitur, delectatio ſenſualis, quæ in ſapore grato conſiſtit, cohæret. Sunt equidem quædam delectationes ſenſuales, circa quas appetitus juxta legem naturæ determinari non poſſe videtur, veluti odor, qui percipitur ex floribus; Muſica, quæ auditum hilarat: in caſu tamen particulari dato apparebit, ut voluptate iſta fruaris, ſemper attendenda eſſe quædam officia, pro diverſitate circumſtantiarum variantia, quibus violatis fruitio voluptatis in ſe innocuæ labe quadam inficitur. Regimine intellectus indiget voluntas in omnibus omnino actionibus liberis, regimen autem iſtud exercendum juxta legem naturæ. Qui diſtinctam vitæ perfectæ notionem habet, abunde explicatam alibi (§. 9. *& ſeqq.* (*part. 2. Phil. pract. univ.*), neceſſitatem regiminis univerſalis facile agnoſcet.

§. 187.

Intellectus regit inclinationem ad lucrum, ſi lucri cauſa nil committatur, quod legi naturæ quomodocunque adverſatur, ſeu ut absque vio- Quomodo intellectus regat inclina-

tionem ad lucrum.

violatione officiorum quæratur. Cum enim inclinatio ad lucrum in cupidine lucri conſiſtat (§. 182.), voluntas determinabilis eſt per lucrum (§. 173). Quoniam itaque determinabilitas per lucrum in ſe mala non eſt, ſed mala evadit, quando lucrum facere non poſſumus absque violatione officiorum (§. 172), conſequenter quam quidpiam committendo, quod legi naturæ adverſatur (§. 225. *part. 1. Phil. pract. univ.*); intellectus regit inclinationem ad lucrum, ſi lucri cauſa nil committatur, quod legi naturæ quomodocunque adverſatur, ſeu ſi absque violatione officiorum quæratur.

Regimine intellectus opus eſt in lucro faciendo, ne id fiat illicito modo. Spectatur autem hic non modo jus ad actum, quo lucrum facimus, aut ad ipſum lucrum, quo id efficitur licitum, verum etiam perpendendi ſunt ſinguli actus, qui ad id obtinendum concurrunt, num juxta legem naturæ determinentur. Licitum eſt lucrum in ſe ſpectatum, quod ex labore noſtro facimus; aſt ſi ejus cauſa nimio labore defatigemus corpus noſtrum, & ſanitati vel vigori ejus officiamus, officium erga nos ipſos violatur (§. 519. *part. 1. Jur. nat.*), ſicuti ex adverſo officium erga alios violatur, ſi lucri cauſa in contractibus fraude circumveniamus alios (§. 148. *part. 5. Jur. nat.*). Actus humani compoſiti ſunt ex pluribus ſimplicibus, qui ad eum conſtituendum concurrunt. Quodſi unus eorum legi naturæ adverſatur, ſeu officio cuidam repugnat, ſive per ſe, ſive ob circumſtantias caſus præſentis, actus totus efficitur malus. Atque hinc diſcimus, quanam circumſpectione opus ſit, ne in lucro faciendo animus impuretur.

§. 188.

Quomodo intellectus regat incli-

Intellectus regit inclinationem ad honorem atque laudem, ſi honorem atque laudem non intendimus tanquam finem, contenti nos honore ac laude vera eſſe dignos, minime inhiantes honoribus falſis & laudibus

dibus vanis, aut immeritis. Cum enim inclinatio ad honorem & laudem conſiſtat in cupidine honoris atque laudis (§. 182); voluntas determinabilis eſt per honorem & laudem (§. 178). Quoniam itaque determinabilitas voluntatis per honorem & laudem mala eſt (§. 177.), ſeu legi naturæ adverſa; intellectus regit inclinationem ad honorem atque laudem, ſi circa honorem & laudem nihil committatur, quod legi naturæ adverſum. Quamobrem cum legi naturæ repugnet, ut honorem atque laudem intendamus tanquam finem (§. 562. *part. 1. Jur. nat.*), & ſaltem præcipiat, ut faciamus ea, quæ nos vero honore veraque laude dignos efficiunt (§. 545. 546. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque permittere nequeat, ut honoribus falſis, quales ſunt tituli & præcedentia ſine meritis, quorum ſigna eſſe debent, atque laudibus vanis, quæ ſunt ſine mente ſonus, aut immeritis, quibus nobis tribuuntur, quæ nobis minime competunt, aut non inſunt, inhiemus; intellectus regit inclinationem ad honorem atque laudem, ſi honorem atque laudem non intendimus tanquam finem, contenti nos honore ac laude vera eſſe dignos, minime inhiantes honoribus falſis & laudibus vanis, aut immeritis.

nationem ad honorem atque laudem.

Brevitatis cauſa non definivimus, quid ſit honor falſus, quid laus vana, quid immerita. Cum enim in jure naturæ oſtenderimus, quinam ſit honor verus & laus vera (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*); quinam honor falſus ſit, quænam laus falſa una intelligitur. Ne tamen aliqua remaneat obſcuritas, in ipſa demonſtratione indicavimus, quidnam per honorem falſum, quid per laudem vanam & immeritam intelligamus. Sunt autem honores falſi non modo tituli, qui denotant dignitates civiles, ſine ullo merito tributi; verum etiam alii, quos vanitas hominum introduxit noſtro inprimis ſeculo, quo hominum animos nimis obſedit vanitas. Et in horum cenſum quoque

que veniunt laudes vanæ, in loquendi formulis ab encomiaſtis mutuatis conſiſtentes, quibus in mente laudatoris nulla reſpondet notio. Ab hiſce autem utique diſtingvendæ ſunt laudes immeritæ, quæ quidem in ſe ſpectatæ veræ ſunt, aſt minime in eum conveniunt, qui iisdem cumulatur.

§. 189.

Quomodo intellectus regat omnes hominis actiones.

Intellectus regit omnes inclinationes & reclinationes hominis, ſi actiones omnes accurate juxta legem naturæ determinentur. Etenim cum lex naturæ urgeat omnimodam actionum humanarum rectitudinem (§. 189. 190. *part. 1. Jur. nat.*); qui actiones ſuas juxta legem naturæ accurate determinat, in ejus actionibus nullus notatur defectus. Quamobrem verendum non eſt, ut inclinatione quadam, aut reclinatione a recti tramite abducatur. Quamobrem cum intellectus regat inclinationes & reclinationes hominis, ſi a recti tramite ſe abduci non patiatur, ut ſcilicet appetat, quod legi naturæ quomodocunque adverſatur, aut averſetur, quod eidem quomodocunque convenit; intellectus regit omnes inclinationes & reclinationes hominis, ſi actiones omnes accurate juxta legem naturæ determinentur.

Ecce igitur medium univerſale inclinationes & reclinationes regendi, ne faciamus, ad quod non faciendum ſumus obligati, vel abſtineamus ab iis, ad quæ facienda obligamur, & ne a vero uſu juris noſtri aberremus. Sit ita, quod inclinatione quadam propendeamus in id, quod legi naturæ adverſatur, in contrarium tamen determinabimus actionem noſtram, & ſimiliter ſi reclinatio cauſetur nauſeam ejus, quod legi naturæ convenit, actionem tamen noſtram contra illam huic convenienter determinabimus. Ab inclinatione & reclinatione orientur quidem motus primi, qui legi naturæ parum conveniunt, aut ſaltem non omni labe carent; regimine tamen intellectus ſuſcitabuntur motus, qui dicuntur, ſecundi primos

mos vel ſupprimentes, vel eos a labe ſua purgantes. Qui ad ſuperius hinc inde dicta animum ſatis advertit, is haud ignorabit actum quendam compoſitum labe infici, quatenus ſimplex quidam eum ingrediens legi naturæ contrarius, aut circumſtantia quædam eidem adverſum facit, quod alias eidem, minime repugnaret.

§. 190.

Quoniam *intellectus* regit omnes inclinationes hominis, ſi actiones omnes accurate juxta legem naturæ determinentur (§. 189.); idem quoque *regit inclinationes ad delectationes ſenſuales, lucrum & honorem atque laudem*, conſequenter *cupidinem delectationum ſenſualium, lucri & honoris atque laudis, ſi actiones noſtras quoad ea, quæ ſenſum hilarant, circa ea, quibus lucrum facimus, & circa ea, quæ honorem afferunt, aut laudem conciliant, juxta legem naturæ accurate determinemus.*

Quomodo in ſpecie regat inclinationes ad delectationes ſenſuales, lucrum, honorem & laudem.

Quæ paulo ante de modo, quo intellectus regit inclinationem ad delectationes ſenſuales (§. 185.), inclinationem ad lucrum (§. 187.), inclinationem denique ad honorem & laudem, oſtendimus (§. 188.), a propoſitione præſente minime differunt; hic ſaltem ex propoſitione generali per modum corollarii inferimus, quod de ſingulis in ſpecie fuit demonſtratum. In philoſophia morali autem non inutile eſt in ſpecie demonſtrari ea, quæ in genere demonſtrari poſſunt, propterea quod demonſtrationes ſpeciales, cum evidentia earum major ſit, quam generalium, majore quoque vi convincendi polleant, quam generales, ideoque hiſce præferendæ ſint, ubi appetitus, vel averſatio renititur aſſenſui per evidentiam extorquendo.

§. 191.

De ſcientia juris naturæ indiſpenſabili neceſſitate ad regimen inclinationum & reclinationum.

Quia intellectus regit omnes inclinationes & reclinationes hominis, ſi actiones omnes accurate juxta legem naturæ determinentur (§. 189.); *qui inclinationes & reclinationes ſive aliorum, ſive proprias regere voluerit, is exactam juris naturæ ſcientiam ſibi comparare tenetur.*

Cum inclinationes & reclinationes regere maximi ſit momenti in praxi morali, quam tradit Ethica; ideo exaſciatam juris naturæ theoriam a priori ex ipſa natura hominis demonſtratam Ethicæ præmiſimus, ut exacta hujus juris ſcientia inde hauriri poſſit. Et vel ipſa indiſpenſabilis ſcientiæ hujus juris neceſſitas ad regimen inclinationum & reclinationum, quibus a tramite virtutis ad vitia revocantur homines, ſufficiens ratio eſt, ne quem offendat amplitudo, quam eidem tribuimus. Ut enim penitus omnia perſpiciantur, omnisque diſpellatur obſcuritas, & demonſtrationibus completis, & annotationibus uberioribus ſeu ſcholiis opus fuit. Aſt ipſa quoque indiſpenſabilis neceſſitas nobis facile perſuaſit, ut in gratiam eorum, quos prolixitas terret, & qui in demonſtrando nondum verſati ſunt, in inſtitutionibus juris naturæ & gentium ea, quæ in opere majore fuſius demonſtrata atque uberius explicata fuerunt, in compendium ita mitteremus, ut veritates omnes inter ſe connexas breviori temporis ſpatio atque labore minori non ad opinionem, ſed ad veritatem perſuaſi cognoſcere, & in opere deinde majore legendo feliciter operam ſuam collocare poſſint, ſiquidem lucem majorem deſiderent, quæ in moralibus nunquam nimia videri poteſt, in quibus appetitus & averſatio hominum influit in aſſenſum & vim demonſtrationum, qua is extorqueri debet, imminuit. Cum intrinſeca actionum humanarum bonitas & malitia earumque rectitudo diſtincte non agnoſcatur, niſi in hac vel iſta actionum ſpecie caſu ſubinde innoteſcat; non eſt quod miremur, ſi indies experiamur, quam parum intellectus regat incli-

inclinationes & reclinationes, & quod defectu hujus regiminis actiones hominum externam bonarum ſpeciem habentes non omni labe careant, ſi earum rectitudo in trutina ſuſpendatur, inclinationibus & reclinationibus labem adſpergentibus. Intrinſecam autem actionum bonitatem & malitiam in iis, quæ a principiis primis remota ſunt, vix ac ne vix quidem quaſi per tranſennam conſpicere datur, niſi jus naturæ in ſyſtema veri nominis redigatur, ut appareat, quomodo continuo illarum nexu bonitas & malitia per eas diffundatur.

§. 192.

An metu pœnarum & ſpe præmiorum corruptioni medela afferatur.

Metu pœnarum & ſpe præmiorum corruptioni voluntatis medela non affertur; ſed corrupta voluntas refrenatur ab actu externo, ad quem propendet, & invitus contrarium facit homo. Si voluntas corrupta eſt, ad malum proclivis, ad bonum vero ſegnis & iners eſt, ideoque ad male agendum facile, ad bene agendum difficulter determinatur, & hominem negligentem facit in committendis actionibus bonis (§. 10). Quodſi quis metu pœnarum ab actione mala committenda, vel bona omittenda deterretur is pœnæ evitandæ cauſa malam omittit, bonam committit, ideoque illam non in ſe citra reſpectum ad pœnam malam, hanc bonam judicat. Quamobrem cum actionem in ſe ſpectatam ſibi adhuc repræſentet tanquam bonam, quæ mala eſt; voluntas manet ad malum proclivis, & ad bonum ſegnis atque iners, quemadmodum fuerat ante, neque in hiſce quicquam immutatur (§. 902. 907. *Pſych. empir.*). Quamobrem proclivitate ad malum, ſegnitie & inertia ad bonum ſubſiſtente, corruptioni nulla medela metu pœnarum affertur. *Quod erat primum.*

Quoniam tamen metu pœnæ deterretur ab actione mala committenda, bona omittenda, conſequenter contra voluntatem ſuam, quæ in contrarium propendet *per demon-*

ſtrata n. 1. illam omittit, hanc committit; voluntas refrenatur ab actu externo, ad quem propendet, ſive poſitivo, ſive privativo. *Quod erat ſecundum.*

Invita cum ſit actio, ſi quis facit, quod non facere mallet, vel non facit, quod facere mallet, modo aliquod malum ex actione contraria emergens evitare poſſet (§. 581. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui vero metu pœnarum deterretur ab actione committenda, vel omittenda, facit quod non facere mallet, aut non facit, quod facere mallet, modo pœnam, quæ in malo phyſico conſiſtit, evitare poſſet; homo metu pœnarum contrarium ejus facit, in quod voluntas corrupta propendet, invitus. *Quod erat tertium.*

Si quis ſpe præmii allicitur ad actionem bonam committendam, aut malam omittendam, cum præmii obtinendi cauſa illam committat, hanc omittat, de actione autem in ſe ſpectata non mutetur judicium, voluntas in eandem, quatenus in ſe ſpectatur adhuc eodem modo propendet, quemadmodum ante. Quodſi ergo corrupta fuerit; corrupta manet, ideoque ſpe præmii nulla corruptioni ejus medela affertur. *Quod erat quartum.*

Quatenus tamen actionem committit, vel omittit ſpe præmii permotus, quamvis in contrarium propendeat voluntas *per demonſtrata n. 4.*; voluntas corrupta per ſe in contrarium propendens refrenatur ab actu externo ſive poſitivo, ſive privativo, qui abſque ſpe præmii extiturus erat. *Quod erat quintum.*

Quoniam itaque contra voluntatem ſuam contrarium ejus facit ſpe præmii adactus, in quod voluntas per ſe propendet, *per demonſtrata n. 4.* id facit, quod non facere mallet, aut non facit, quod facere mallet, modo bono, in quo

præmium

præmium conſiſtit, potiri poſſet. Quamobrem cum invita ſit actio, ſi quis facit, quod non facere mallet, aut non facit, quod facere mallet, modo aliquod malum ex actione contraria emergens evitare poſſet (§. 581. *part. 1. phil. pract. univ.*), qui vero præmium pro bono habet, ejus jacturam malam judicat (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*); ſpe præmii homo invitus contrarium ejus facit, in quod voluntas corrupta propendet. *Quod erat ſextum.*

Si corruptioni voluntatis medela afferenda, tollenda eſt proclivitas ad malum, ſegnities & inertia ad bonum (§. 10). Quodſi quis perpendit, in quo proclivitas iſta, ſegnities atque inertia conſiſtit (§. *eit.*); is facile agnoſcit metum pœnarum & ſpem præmiorum non ſufficere ad illam tollendam. Nec eandem tolli, conſequenter voluntatem corruptam manere, experimur, dum videmus homines metu pœnarum aut ſpe præmiorum ceſſante ea facere, in quæ voluntas ipſorum propendet, minime autem illa, ad quæ facienda vel pœnæ metu, vel ſpe præmii adducti fuerunt. Pœnæ & præmia uſum habent in voluntate corrupta refrenanda, nullum vero in corruptione tollenda. Ceterum notandum eſt, brevitatis cauſa ſub facto etiam corprehendi non factum, quatenus qui non vult facere idem velle dici poteſt omiſſionem facti, aut velle factum privativum idem eſt ac nolle ipſi oppoſitum poſitivum. Ita nolle edere & velle non edere unum idemque eſt. Et fortaſſis hæc ratio eſt, cur veteres noluntatem a voluntate non diſtinxerint, & tam actum volitionis, quam nolitionis ad voluntatem retulerit, tanquam diverſos actus ejusdem facultatis.

§. 193.

Si metu pœnæ voluntas refrenari debet ab actu externo poſitivo, Quando meneceſſe eſt, ut opinione ejus, cujus voluntas in eundem propendet, pœna tu pœnæ remalum majus ſit jactura boni, quod ex actione committenda ſperat. frenetur vo-

 Etenim *tas ab actu*

externo positivo.

Etenim ſi metu pœnæ voluntas refrenanda ab actu externo, neceſſe eſt & ut qui facere vult contra voluntatem ſuam, ſeu invitus idem omittat (§. 192.). Quamobrem cum voluntas ad faciendum determinetur repræſentatione boni, noluntas vero ad non faciendum repræſentatione mali (§. 889. 890. *Pſych. empir.*); ideo neceſſe eſt ut is, cujus voluntas in actum quendam externum propendet, bonum quoddam ex eodem ſperet, quod vero noluntatem determinat ad actum non committendum, malum, in quo pœna conſiſtit, metuat. Enimvero quia cum facti commiſſione cohæret jactura boni, quod malum eſt (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*) & cauſatur noluntatem omittendi, quæ recidit in voluntatem committendi, cum facti autem commiſſione malum pœnæ; ſi quis potius nolle debet actionem committere, quam eandem committere velle, neceſſe eſt ut malum pœnæ opinione ejus, cujus voluntas in factum externum propendet, ſit malum majus jactura boni, quod ex actione committenda ſperatur. Quodſi igitur metu pœnæ voluntas refrenari debet ab actu externo poſitivo, neceſſe eſt, ut opinione ejus, cujus voluntas in eundem propendet, majus malum ſit jactura boni, quod ex actione committenda ſperat.

Duo habemus motiva nolitionis, nimirum jacturam boni & pœnam. Ab iſta pendet nolitio non abſtinendi ab actu externo, ab hac vero nolitio eandem committendi. Conſtat malum minus evitandi majoris cauſa ſubire homines. Quodſi ergo pœna efficax eſſe debet, neceſſe eſt, ut ſit majus malum jactura boni opinione agentis. Quoniam in æſtimanda boni & mali magnitudine differunt opiniones hominum, quemadmodum indies experimur; eadem pœna non ejusdem efficaciæ eſt in omnibus, ideoque patet hinc ratio, cur eadem pœna non deterreantur omnes ab eadem actione committenda. Propoſitio itaque præſens utilis eſt in determinanda pœnarum magnitudine

§. 194.

§. 194.

Quoniam neceſſe eſt, ut opinione ejus, cujus voluntas in actionem quandam propendet, pœna majus malum ſit jactura boni quod ex eadem ſperatur, ſi voluntas ab actu externo refrenanda (§. 193.); voluntas autem voluptuoſi in delectationes ſenſuales (§. 160.), voluntas lucri cupidi in lucrum (§. 173.) & voluntas honoris cupidi in honorem & laudem propendet (§. 178.); *ſi voluntas voluptuoſi metu pœnæ refrenanda, pœna opinione ejus majus malum eſſe debet carentia delectationis ſenſualis, quam ex actione committenda ſperat; ſi voluntas lucri cupidi refrenanda, opinione ejus malum majus jactura lucri eſſe debet pœna; ſi denique voluntas honoris cupidi refrenanda, opinione ipſius pœna majus malum videri debet jactura honoris, vel laudis, quam affectat.* *Quando metu pœnæ voluntas voluptuoſi, lucri & honoris ac laudis cupidi refrenetur.*

Propoſitio hæc uſui eſt in determinanda qualitate pœnæ pro diverſitate ſubjectorum, prouti ſcilicet vel voluptuoſi, vel lucri, vel honoris atque laudis cupidi ſunt, & ex eadem intelligitur, cur eadem pœna pro diverſitate horum ſubjectorum non ſit ejusdem efficaciæ. Cum tamen eadem ſub generali præcedente tanquam ſpecies ſub genere contineatur, non minus utilis eſt in determinanda quantitate pœnæ (*not.* §. 193.)

§. 195.

Si quis ſua ſponte voluntatem ſuam refrenare debet ab actione mala, in quam ea propendet; neceſſe eſt ut malum inde conſequens opinione ipſius majus ſit jactura boni, quod ex eadem ſperat. Etenim cum pœna ſit malum quoddam phyſicum ab eo, qui alterum obligandi jus habet, ob malum morale eidem immiſſum (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*), eademque ideo eſſe poſſit motivum actionis non committendæ (§. 287. *part. 1. Phil.* *Quando quis voluntatem ſua ſponte refrenet ab actione mala.*

phil. pract. univ.), malum vero ex actione aliqua citra voluntatem hominis cujusdam per ſe conſequens ſit itidem motivum nolitionis (§. 890. *Pſych. empir.*); in determinanda noluntate tam pœna, quam malum ex actione aliqua conſequens per ſe eandem vim habet. Quamobrem cum malum pœnæ opinione ejus, cujus voluntas in actionem quandam propendet, majus exiſtimari debeat jactura boni, quod ex eadem ſperatur, ſi voluntas ab actione iſta refrenanda (§. 193); ſi quis ſua ſponte voluntatem ſuam refrenare debet ab actione mala, in quam propendet, neceſſe eſt, ut malum inde conſequens opinione ipſius ſuperet jacturum boni, quod ex eadem ſperat, vi cujus nimirum voluntas in eandem propendet (§. 889. 890. *Pſych. empir.*).

Ethico inprimis convenit docere, quomodo homo ſua ſponte refrenare debeat voluntatem corruptam, ut abſtineat ab actione mala, in quam propendet. Ethico enim tanquam Philoſopho nullum competit jus obligandi alios ad certos actus contra voluntatem ſuam, etſi eos, quibus iſtiusmodi jus competit, docere debeat rectum pœnarum uſum; ſed ipſius potiſſimum officium eſt inſtruere alios, quomodo ſua ſponte voluntatem ad abſtinendum ab actionibus malis & vitandum rectitudinis defectum determinare debeant, ut ſecundum rationem vivant, quemadmodum homines decet, felicitatis ſuæ tenaciſſimi, nec infortunii ſui fabri. Poterat propoſitio præſens independenter a ſuperiori de voluntate metu pœnæ refrenanda (§. 192) demonſtrari eum in modum, quo ſuperiorem demonſtravimus: id quod haud difficulter perſpiciet, qui demonſtrationem ſuperioris perpendere voluerit. Quodſi enim pro pœna ſubſtituas malum ex actione conſequens, demonſtratio ſuperior abit in demonſtrationem præſentem. Et, ſi pœnam conſideres tanquam malum ex actione conſequens, utut non per ſe, ſed voluntate ejus, qui metu pœnæ obligare intendit agentem;

ex

ex propoſitione in genere demonſtrata per modum corollarii ſuperior inde infertur. Sed demus exemplum propoſitionis præſentis. Si cujus voluntas propendet in cibum, vel potum ob ſaporem ſibi gratum, quem novit, aut ſaltem opinatur ſibi parere dolorem, qualiscunque tandem is fuerit, veluti ventris, aut cruciatus podagræ; voluntatem ſuam is minime refrenabit a cibo comedendo, vel potu hauriendo, niſi dolorem, quem cauſatur, ſeu a comeſtione cibi, vel potus hauſtu metuit, opinione ſua majus malum æſtimet carentia delectatione ſenſuali. Alias enim dicet, ſe comedere ac bibere id, quod ſibi ſapit, & pati, quod ferre poteſt.

§. 196.

Si quis metu pœnæ noluntatem refrenare vult ab actu externo negativo, ſeu poſitivi omiſſione; neceſſe eſt, ut moleſtia, quam ex actione percipit, opinione ipſius minus malum ſit, quam pœna. Si cujus noluntas propendet in omiſſionem actionis, cum motivum nolitionis ſit repræſentatio mali (§. 890. *Pſych. empir.*); ex actione, quam comittere non vult, moleſtiam quandam percipit (§. 5.). Quod ſi ergo metu pœnæ permoveri debet, ut actionem iſtam omittere, ſeu ab ea abſtinere nolit; neceſſe omnino eſt, ut pœna ſit motivum fortius iſta moleſtia, cum in vulgus notum ſit, nos evitandi mali majoris cauſa ſubire minus, quod aliter evitari non poteſt. Quamobrem cum metu pœnæ noluntas refrenetur, ſi efficiatur, ne actionem, quam committere quis non vult, omittere nolit; ſi metu pœnæ noluntas refrenanda ab actu externo negativo, ſeu poſitivi omiſſione, neceſſe eſt ut moleſtia, quam ex actione percipit, opinione ipſius pœna minus malum ſit. *De refrenanda noluntate metu pœnæ.*

Pœna cum conſiſtat in malo quodam phyſico (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non niſi motivum nolitionis eſſe poteſt (§. 890. *Pſych.*

Pſych. empir.). Per ſe igitur actum voluntatis determinare nequit, quando pœna alterum obligare volumus ad actionem committendam. Quamobrem ſi quis metu pœnæ facit, quod alias facere nollet; non tam voluntas determinatur ad actionem committendam, quam noluntas ad eam non omittendam. Quoniam vero fieri nequit, ut quis actionem non omittat, niſi eandem committat; ideo contra voluntatem ſuam eandem committit. Ac propterea qui metu pœnæ facit, quod alias facere nollet, dicere ſolet: ſe oportere hoc facere, quod ſibi moleſtum accidit, pœnæ tanquam mali majoris evitandæ cauſa. Subſiſtit igitur noluntas committendi actionem, ſed neceſſitas eam committendi reſultat ex noluntate ſubeundi pœnam, quæ involvit nolitionem omiſſionis actionis. Equidem nullus dubito, fore non paucos, quibus hæ diſtinctiones nimis ſubtiles videantur, opus tamen eſt hiſce diſtinctionibus, ut quid ſit actio invita & quomodo a voluntaria differat, intrinſece perſpiciatur. Noſſe autem hanc differentiam non modo utile, verum etiam neceſſarium eſt in praxi morali. Sed demus exemplum intellectu facile in re ſubtili. Si puer in diſcendo negligens eſt, diſcere non vult, quia hoc ipſi moleſtum accidit. Pœnæ metu refrenanda eſt noluntas diſcendi, conſequenter efficiendum, ut nolit eſſe negligens. Quando igitur negligens eſſe deſinit, nec ſine moleſtia contra voluntatem ſuam diſcit, quæ diſcere nollet, pœnam majus malum æſtimat moleſtia, quam in diſcendo percipit, ideoque tolerat pœnæ tanquam majoris mali vitandæ cauſa. Cum actio vel ſit committenda, vel omittenda, tam commiſſionem, quam omiſſionem actionis ſibi repræſentat tanquam malam. Quamobrem fieri nequit, quam ut prævaleat nolitio, quæ fortius motivum habet, conſequenrer ut nolit omittere actionem. Atque inde naſcitur neceſſitas eam committendi, ut ad eam committendam peculiari motivo voluntatem determinari non ſit opus. Ceterum in præſenti non attenditur, cur quis pœnam majus malum exſtimet, quam moleſtiam quandam, aut abſentiam alicujus boni.

§. 197

§. 197.

Quoniam noluntas voluptuoſi determinatur per ea, quæ ſenſui moleſta ſunt, aut dolorem cauſantur (§. 166.), noluntas lucri cupidi per damnum (§. 173.), noluntas denique honoris cupidi per ea, quæ honori & laudi quomodocunque adverſantur (§. 178.), ſi quis autem metu pœnæ noluntatem refrenare vult ab actu externo negativo, ſeu poſitivi omiſſione, neceſſe eſt, ut moleſtia, quam ex actione percipit agens, opinione ipſius minus malum ſit, quam pœna (§. 196.); *ſi noluntas voluptuoſi refrenanda ab actu externo negativo, neceſſe eſt ut pœna opinione ipſius ſit majus malum moleſtia, quam commiſſio actionis ſenſui creat; ſi noluntas lucri cupidi refrenanda, neceſſe eſt, ut pœna opinione ipſius ſit majus malum damno, quod ex commiſſione actionis ſubit; ſi deniqne noluntas honoris cupidi refrenanda, neceſſe eſt, ut pœna opinione ipſius ſit majus malum eo, quod honori vel laudi ipſius adverſatur.* *De refrenanda noluntate voluptuoſi, lucri & honoris ac laudis cupidi.*

Quæ in anterioribus de refrenanda voluntate voluptuoſi, lucri & honoris atque laudis cupidi monuimus (*not.* §. 194.); ea quoque de refrenanda noluntate tenenda.

§. 198.

Si quis ſua ſponte noluntatem ſuam refrenare debet ab actione bona omittenda; neceſſe eſt, ut malum ex omiſſione actionis per ſe conſequens opinione ipſius majus ſit, quam quod eam committendo ſubit. Si quis actionem quandam committere non vult, neceſſe eſt ut eam ſibi repræſentet tanquam malam (§. 892. *Pſych. empir.*): malum vero, quod ex omiſſione conſequitur, itidem motivum nolitionis eſt (§. 890. *Pſych. empir.*). Habemus itaque duo motiva alterum actionis non committendæ, alterum actionis non omittendæ. Quodſi ergo actionem potius *De noluntate ſua ſponte refrenanda*

tius non omittere, quam non committere debemus, cum evitandi mali majoris cauſa minus ſubeamus, neceſſe eſt ut malum, quod ſubimus actionem committendo, opinione noſtra minus ſit malo, in quod incidimus eandem omittendo. Quamobrem ſi quis ſua ſponte noluntatem ſuam refrenare debet ab actione bona omittenda, neceſſe eſt ut malum ex omiſſione actionis per ſe conſequens opinione ipſius majus ſit, quam quod eam committendo ſubit.

Malum ex comiſſione actionis per ſe conſequens habet ſe per modum pœnæ in eandem ſtatutæ, cum pœna vim ſuam in noluntatem exerat, quatenus in malo quodam phyſico conſiſtit (§. 285. *part. 1. Phil. pract.univ.*). Quamobrem propoſitionem præſentem vi anterioris de noluntate metu pœnæ refrenanda quoque demonſtrare poteramus, quemadmodum in demonſtrando modo refrenandi voluntatem ſua ſponte fecimus (§. 195.). In Ethica autem inprimis oſtendendum, quomodo ſua ſponte, ſeu proprio motu noluntatem refrenare poſſimus. Rationem jam dedimus ante (*not. §. cit.*). ſed demus exemplum. Qui otium amat, ei moleſtum accidit laborare. Enimvero ſi is perpendit, ſe otio opes ſuas profundere & tandem in pauperiem illatum iri; ubi pauperiem majus malum exiſtimat labore ſibi moleſto, ab eodem ſeſe non abſtinebit, quamvis in otium adhuc propendet animus, immo quamvis dum abſtinet ſe infelicem judicat, quod abſtinere debeat. Refrenare nimirum voluntatem & noluntatem nondum eſt eandem emendare.

§. 199.

De voluntate ſpe præmii ab actu externo poſitivo refrenanda.

Si ſpe præmii refrenanda voluntas ab actu externo poſitivo, neceſſe eſt ut jactura præmii opinione ipſius majus malum ſit, quam jactura boni, quod ex commiſſione actionis ſperat. Etenim ſi ſpe præmii refrenanda voluntas ab actu externo poſitivo, neceſſe eſt ut is, qui actionem committere vult, eandem committere nolit ſpe præmii per motus. Qui actionem committere

tere vult, eam ſibi repræſentat tanquam bonam (§. 192. *Pſych. empir.*), conſequenter ſi eandem omittit, jacturam facit boni, quòd ex commiſſione ſperat, & jactura hæc opinione ipſius utique malum quoddam eſt (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*). Quia præmium in omiſſionem actionis ſtatutum in bono quodam conſiſtit (§. 295. *part. 1. Phil. pract. univ.*); eodem modo patet, jacturam ejus itidem eſſe malum quoddam. Quamobrem cum homines majus bonum præferant minori, ideoque minoris quoque boni jacturam facere malint, quam majoris; ſi ſpe præmii refrenanda voluntas ab actu externo poſitivo, neceſſe eſt ut jactura præmii opinione ipſius majus malum ſit, quam jactura boni, quod ex commiſſione actionis ſperatur.

Equidem pœnæ potius metu, quam ſpe præmii refrenatur voluntas; cum tamen impoſſibile non ſit, ut etiam ſpe præmii refrenetur, cur id fieri poſſit, hic utique oſtendendum erat. Educatores ſubinde permovent præmiis educandos, ut a certis actionibus abſtineant lubenter.

§. 200.

Quoniam jactura præmii majus eſſe debet malum jactura boni, quod ex commiſſione actionis ſperatur (§. 199.), voluntas vero voluptuoſi determinatur per delectationes ſenſuales (§. 166.), voluntas lucri cupidi per lucrum (§. 173.), voluntas honoris cupidi per honores & laudem (§. 178.); *ſi voluntas voluptuoſi ſpe præmii refrenanda, neceſſe eſt, ut jactura præmii opinione ipſius majus malum ſit jactura delectationis ſenſualis, in quam fertur voluntas; ſi voluntas lucri cupidi refrenanda, jactura præmii opinione ipſius majus malum eſſe debet jactura lucri, quod ex actione committenda ſperat; ſi denique voluntas honoris cupidi refrenanda, jactura præmii opinione ipſius malum majus eſſe debet jactura honoris, vel laudis, in quam propendet voluntas.* *De refrenanda voluntate voluptuoſi, lucri & honoris atque laudis cupidi*

tur, jactura boni, quod ex omiſſione conſequitur, malum majus ſit jactura boni, quod ex commiſſione conſequitur.

In Ethica inprimis doceri debet, quomodo homo ſua ſponte voluntatem ſuam refrenare debeat, quando non minus ex omiſſione, quam commiſſione boni quidpiam conſequitur. Rationem dedimus paulo ante (*not.* §. 195.). Et cetera quoque, quæ ibidem annotavimus, ad demonſtrationem propoſitionis præſentis mutatis mutandis applicari poſſunt. Quando voluntas refrenanda, ea ſupponitur corrupta. Bonum igitur, in quod propendet, apparens ſaltem eſt, nimine verum. Aſt quod ex omiſſione actionis conſequitur tam verum, quam apparens eſſe poteſt, idemque conſiſtere poteſt in carentia mali, quæ bono accenſetur (§. 756. *Part. 1. Jur. nat.*). Et enim quando voluntas refrenatur, corruptio non tollitur, ſed ſaltem id agitur, ne illa in actum externum erumpat. Ceterum ut quis ſua ſponte voluntatem refrenet in hypotheſi propoſitionis præſentis, uſui eſt, ſi quis agnoſcit voluntatem ſuam eſſe corruptam & contra eam pugnat, aut ſi quis, cui jus in alterius actionem nullum competit, voluntatem alterius refrenare velit. Quando enim voluntatem alterius refrenare vult, ipſum ſaltem docere poteſt, quodnam ex comiſſione actus ſequatur bonum & quomodo æſtimari debeat reſpectu ejus, in quod voluntas illius propendet. Perinde vero eſt, ſive tibi ipſi hæc ſuccurrant, ſive ea ab aliis docearis.

§. 202.

De noluntate ſpe præmii refrenanda.

Si ſpe præmii refrenanda noluntas ab actu externo negativo, neceſſe eſt, ut moleſtia, quam ex actione percipit, qui ab eodem abhorret, opinione ipſius minus malum ſit jactura præmii. Eenim ſi voluntas tua ab actu externo negativo refrenanda, id agitur, ut actionem, quam committere non vis, omittere nolis, unde reſultat neceſſitas committendi. Motivum, quo determinatur noluntas ad actionem non committendam, eſt repræſen-

præſentatio mali, quod æſtimatur moleſtia, quæ ex actione percipitur, aut vi ejusdem noluntatem ſtimulat. Præmium conſiſtit in bono quodam (§. 295. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque ejus jactura malum eſt (§. 754. *part. 2. Jur. nat.*). Quoniam hoc flectere debet noluntatem in contrarium, ſcilicet ne quis nolit omittere actionem, & conſtat hominem evitandi mali majoris cauſa ſubire minus; neceſſe eſt ut jactura præmii ſit malum majus illo, quo quis deterretur ab actione committenda, opinione ipſius, ſiquidem ſpe præmii noluntas ejus refrenanda.

Quando noluntas refrenatur, ut actionem omittere nolit, non tam voluntas determinatur ad actionem committendam, quam noluntas ad eam non omittendam, unde committendi neceſſitas per ſe reſultat. Præmium igitur ſpectatur, quatemus noluntas determinatur in contrarium, non tam ut bonum conſequendum, quam carentia ejus ut malum evitandum. In refrenanda enim noluntate nobis cum noluntate negotium eſt, cujus motivum repræſentatio mali eſt (§. 890. *Pſych. empir.*). Sed non opus eſt, ut iis diutius immoremur, quæ per anteriora ſatis manifeſta ſunt.

§. 203.

Quoniam neceſſe eſt, ut opinione ejus, cujus noluntas ſpe præmii refrenanda ab actu externo negativo, moleſtia, quam ex eodem percipit, minus malum ſit jactura præmii, quo potitur, ſi eum non omittat (§ 202.), noluntas autem voluptuoſi determinabilis eſt per ea, quæ ſenſui ingrata accidunt (§. 166.), ideoque per carentiam boni (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), noluntas lucri cupidi per damnum (§. 173.), ideoque lucri jacturam (§. 486. *part. 2.* & §. 613. *part. 3. Jur. nat.*), noluntas honoris cupidi per ea, quæ honori & laudi quomodocunque adverſantur (§. 178.); *ſi noluntas voluptuoſi refrenanda*

De refrenanda noluntate voluptuoſi, honoris atq; laudis & lucri cupidi ſpe præmii.

da ſpe præmii, jactura hujus opinione ipſius majus malum eſſe debet moleſtia, quam ſentit, quando actionem committit; ſi noluntas lucri cupidi refrenanda, illa majus malum exiſtimari debet damno, quod actionem comittendo incurrit; ſi denique *noluntas honoris cupidi refrenanda, illa majus malum videatur neceſſe eſt eo, quod honori, vel laudi, in quam propendet animus, adverſatur.*

Quando voluntas & noluntas refrenanda, rectitudinis actionis ratio haberi nequit, quæ nullum fert ex parte facultatis cujusdam defectum, & actum tam poſitivum, quam negativum ab omni labe purgat. Nimirum hic ſaltem ratio habetur actus externi ſive poſitivi, ſive negativi, a quo voluntas, vel noluntas refrenanda, ne ſcilicet actio mala committatur, vel bona omittatur. Dicta ſunt quædam antea (*not.* §. 201.), quæ hic uſui eſſe poſſunt. Et ſi qua ulterius deſiderentur, ea ex ſequentibus ſive in hac parte Ethicæ, ſive in tractatione ſpeciali pateſcent. Intereſt autem generis humani & ſingulorum quoque, ut minimum actus externus legi naturæ conveniat, ubi is ex virtutis habitu proficiſci nequit. Nemo eſt, qui de eo dubitet, niſi attentionem ſuam deſiderari patiatur. Quamobrem nec ſuperfluum videri poteſt, ut ſtudioſe inculcemus, quomodo voluntas & noluntas ſit refrenanda, quam a corruptione liberare nondum datur.

§. 204.

De noluntate ſua ſponte refrenanda ab actu negativo.

Si quis ſua ſponte noluntatem refrenare debet ab actu externo negativo, neceſſe eſt ut moleſtia, quam ex actione percipit, opinione ipſius minus malum ſit jactura boni, quod ex omiſſione conſequitur. Quodſi enim ſpe præmii ab actu externo negativo refrenanda noluntas, neceſſe eſt ut moleſtia, quam ex actione percipit, qui ab eadem abhorret, opinione ipſius minus malum ſit jactura præmii (§. 202.), jactura autem boni, quæ omiſſioni cohæret, perinde malum ſit (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*),

ac

ac id, quod commiſſionem moleſtam efficit (§. 5.), conſequenter motivum nolitionis adſit tam pro omiſſione, quam commiſſione (§. 890. *Pſych. empir.*); ideo perinde omnino eſt, ſive noluntas refrenetur ſpe præmii, ſive per jacturam boni omiſſioni cohærentis. Quare ſi quis ſua ſponte noluntatem refrenare debet ab actu externo negativo, neceſſe eſt ut moleſtia, quam ex actione committenda percipit, opinione ipſius minus malum ſit jactura boni, quod ex omiſſione reſultat.

Poterat propoſitio præſens etiam demonſtrari independenter ab anteriori de noluntate ſpe præmii refrenanda, quemadmodum facile intelliget, qui ad demonſtrationes animum attendit. Non ſemper eodem modo demonſtrare volumus, quæ eodem demonſtrari poterant, ut ipſo opere habitus demonſtrandi perficiatur. Quæ ceteroquin notanda ſunt, de propoſitione præſente ex anterioribus repetere nolumus.

§. 205.

Si pugna datur inter facultates appetendi & averſandi rationales & ſenſitivas; voluntas vel noluntas refrenanda. Etenim ſi pugna datur inter facultates appetendi & averſandi rationales & ſenſitivas; appetitus ſenſitivus fertur in id, a quo abhorret averſatio rationalis, ſive noluntas, conſequenter quod facere nolumus, quatenus recto intellectus uſu tanquam malum nobis repræſentamus, id facere volumus, quatenus ſenſus & imaginatio idem repræſentant tanquam bonum, conſequenter appetitus ſenſitivus influit in determinationem voluntatis (§. 917. *Pſych. empir.*). Similiter ex adverſo averſatio ſenſitiva abhorret ab eo, in quod appetitus rationalis ſive voluntas fertur, conſequenter quod facere volumus, quatenus recto intellectus uſu id nobis re- *Quando voluntas vel noluntas refrenanda ſit.*

ſentamus tanquam bonum, id facere uolumus, quatenus ſenſus & imaginatio id repræſentant tanquam malum vi erroneæ mali notionis, averſatione ſenſitiva in determinationem noluntatis influente. Quodſi ergo in iſta pugna noluntas prævalere debet appetitui ſenſitivo, ſeu voluntati corruptæ, aut voluntas averſationi ſenſitivæ, ſeu noluntati corruptæ; neceſſe utique eſt, ut in caſu priori voluntas refrenetur ab actu poſitivo, in poſteriori noluntas ab actu negativo. Atque ideo patet, ſi pugna datur inter facultates appetendi & averſandi rationales & ſenſitivas, voluntatem, vel noluntatem refrenandam eſſe.

Pugna iſta exulat in dominio perfecto in ſenſus, imaginationem & affectus (§. 573. *pract. 2. Phil. pract. univ.*). Sed cum longe difficillimum ſit dominium iſtud acquirere (§. 568. *part. 2. Phil. pract. univ.*), præſertim univerſale (§. 569. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ut appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali ſemper prorſus conſentiat (§. 572. *part. 2. Phil. pract. univ.*); pugna iſta haud infrequens eſſe ſolet in hominibus, quorum bona eſt voluntas atque noluntas, non tamen perfecta. Quamobrem hinc eluceſcit uſus eorum, quæ de voluntate & noluntate ſua ſponte refrenanda demonſtravimus.

§. 206.

De refrenanda voluntate & noluntate ſui ipſius vincendi cauſa.

Quoniam in pugna inter facultates appetendi & averſandi ſuperiores & inferiores illa vincit, quæ alteri prævalet (§. 562. *part. 2. Phil. pract. univ.*), quando autem voluntas refrenatur, ea prævalet averſationi ſenſitivæ, ideoque noluntati corruptæ, & quando noluntas refrenatur, ea prævalet appetitui ſenſitivo, ideoque voluntati corruptæ, prouti ex demonſtrationibus præcedentibus clarius eluceſcit, & in illa pugna voluntas, vel noluntas refrenanda eſt (§. 205.); *in pugna inter facultates appetendi & averſandi ſuperiores ac inferiores voluntas, vel noluntas refrenanda, ut averſatio rationalis, ſeu noluntas*

voluntas bona vincat appetitum ſenſitivum ſeu voluntatem corruptam & appetitus rationalis ſeu voluntas bona vincat averſationem ſenſitivam ſeu noluntatem corruptum, conſequenter *ut agens in pugna vincat ſe ipſum* (§ 562. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

Corruptio in voluntatem & noluntatem diffunditur ab appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva (§. 16.). Quamobrem unum idemque eſt vincere appetitum ſenſitivum & vincere voluntatem corruptam, unum quoque idemque eſt vincere averſationem ſenſitivam & noluntatem corruptam. In moralibus probe perpendendum eſt, quomodo facultas una influat in determinationem alterius & quomodo facultates diverſæ concurrant ad determinandum actum volitionis & nolitionis, ut diſtincte agnoſcatum, quomodo is efficiatur vitioſus vel labe quadam inficiatur. Se ipſum vincere quod ſit difficillimum, dudum agnoverunt veteres. Unde emanavit pervulgatum iſtud: Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit mœnia. Ratio vero difficultatis patet ex modo, quo voluntas, vel noluntas in caſu pugnæ refrenanda. Hunc qui diſtincte cognoſcit, is quoque vires ad vincendum ſufficientes æſtimare poteſt, atque rationem ſufficientem reddere, cur quis vincere potuerit, vel victus fuerit. Immo etiam intelligit, utrum utiliter, nec ne operam ſuam collocare poſſit in refrenanda voluntate, vel noluntate alterius, ut is ſe ipſum vincat, & quamnam ſpem de victoria extorquenda concipere queat.

§. 207.

De privatione occaſionis male agendi.

Si quis occaſione male agendi privatur, voluntas & noluntas non emendatur: at tamen impeditur, ne male agere adſueſcat, & ne occaſio ad male agendum eum invitet. Etenim ſi quis occaſione male agendi privatur, male agere nequit, quamvis velit. Quamobrem ſi voluntas in actionem malam fuerit proclivis, hoc non obſtante proclivis manet, conſequenter corruptio voluntatis ſubſiſtit (§. 10), Quoniam itaque voluntas & noluntas non emendatur, niſi corrupta efficiatur

bona perficiatur (§. 153.); ſi quis occaſione male agendi privatur, voluntas & noluntas non emendatur. *Quod erat primum.*

Enimvero quia male agere quis nequit, quamdiu occaſione agendi privatur, nec male agere adſueſcit niſi qui eandem actionem ſæpius committit (§. 923. *Pſych. empir.*); ſi quis occaſione male agendi privatur, voluntas & noluntas quo minus male agere adſueſcat impeditur. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum occaſio conſiſtat in oblatione circumſtantiarum favorabilium agendi (§. 160. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ob quas ſcilicet agens agere actu nunc actionem facilius & commodius abſolvere poſſit (§. 159. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ideo facile contingit, ut circumſtantiæ præſentes ſuppeditent motivum agendi, aut ſi animus jam in actionem propendet, is eandem committere nullus dubitet. Quamobrem ſi quis occaſione agendi privatur, impeditur, quo minus occaſio ad male agendum eum invitet. *Quod erat tertium.*

Falluntur qui ſibi perſuadent, privatione occaſionis male agendi voluntatem & noluntatem emendari. Aſt hi non perpendunt, quænam differentia inter omiſſionem actus neceſſariam & voluntariam intercedat. Introducta dominia & inæqualitas hominum in ſtatu civili locum fecerunt plurimis vitiis, quæ in communione primæva & ſubſiſtente æqualitate hominum naturali exulabant, cum deeſſet occaſio in ea delabendi. Qua de cauſa *Campanella* in Republica ſolis introduci voluit rerum communionem & civium æqualitatem. Enimvero ſi quis fuerit ſatis acutus in rimandis iis, quæ ad animum hominis pertinent; is abunde perſpicier, fomitem iſtorum vitiorum jam inhærere animis hominum, antequam dominia & inæqualitas in ſtatu civili introducta concipiantur. Immo cum vitia ſint animi labes, qua inficiuntur actus externi per ſe utpote

pote motus phyſici nihil mali habentes; eadem vitia locum habent in communione primæva & naturali hominum æqualitate ſubſiſtente, quibus locum feciſſe videtur dominiorum & inæqualitatis hominum introductio. In communione primæva ſi uſus neceſſarii gratia rem quandam apprehendis, vel quomodocunque in eum ſtatum redigis, quo eam apprehendere potes, eandem ſtatim apprehenſurus, nemini licet eandem tibi invito eripere vel ab ea apprehendenda te vi depellere (§. 36. *part. 2. Jur. nat.*), & de uſu rerum neceſſario ſuaque indigentia unicuique relinquendum eſt judicium ſuum (§. 43. *part. 2. Jur. nat.*). In violatione hujus juris actus utique vitioſus conſiſtit (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), labes vero animi in eo, quod quis inhiet jus alterius & cupiat uſum rei alteri competentem. Introductis dominiis nemo alteri invito rem ſuam auferre debet, quocunque tandem animo id fiat (§. 497. *part. 2. Jur. nat.*), & ideo furtum, quo domino inſcio ac invito aufertur (§. 498. *Part. 2. Jur. nat.*), & rapina, qua eidem vi eripitur res ſua animo eam ſibi habendi (§. 505. *part. 2. Jur. nat.*) lege naturæ prohibetur (§. 519, *part. 2. Jurt. nat.*). In violatione juris domino competentis vitioſitas furti & rapinæ utique conſiſtit (§. 322. *part. 1. Phil. pract. unix.*), labes vero animi in eo, quod fur & prædo inhiet jus, dominium ſcilicet, alterius & cupiat rem alienam. Animi igitur labes, qua vitioſus efficitur actus externus, eadem eſt, ſive ſupponatur communio primæva, ſive dominium rerum. Quamvis itaque, ſi ſublatis dominiis communio rerum revocetur, homines priventur occaſione furta & rapinas committendi, nondum tamen tollitur cupiditas alieni, nec efficitur, ne quis inhiet jus alterius, ideoque voluntas & noluntas non emendatur, ſed corruptio ſubſiſtit. Poteramus eodem modo oſtendere, quod labes animi, quæ actus quosdam vitioſos reddit æqualitate hominum naturali ſublata, non eluatur, ſi inæqualitas tolli ſupponatur. Velim, ut hæc attente conſiderent, qui in privatione occaſionis male agendi medium

dium emendandi voluntatem & noluntatem ſibi inveniſſe videntur, ne abſtinentiam ab actu neceſſariam, quæ cum corruptione voluntatis conſiſtit, a voluntaria, quæ ſola virtutis eſt & voluntati corruptæ repugnat, diſtingvunt. Utut vero privatio occaſionis male agendi medium emendandi voluntatem & noluntatem non ſit; non tamen propterea prorſus inutilis eſt in formandis hominum moribus & in cohibenda corruptione, ne latius ſerpat, atque integritate animi tuenda. Verus igitur uſus non confundendus cum falſo, ne, dum eidem plus tribuis, quam tribuendum erat, fine intento excidas. Et huc tendit propoſitio præſens.

§. 208.

De efficientia ignorantiæ vitiorum.

Ignorantia vitiorum voluntas & noluntas non emendatur: obſtat tamen, ne quis in vitium ruat. Cum incognitum nec appetere, nec averſari poſſimus (§. 148.), qui vitium ignorat, ut actionem vitioſam committat aut committere nolit fieri minime poteſt. Enimvero ſi voluntas proclivis ſit ad certum vitiorum genus, ſub quo tanquam genere continetur tanquam ſpecies vitium, quod ignorat; propterea quod actum vitioſum committere, non poſſit, nondum tollitur proclivitas in vitium iſtud, cum ignorantiæ nulla ſit efficientia in voluntatem & noluntatem. Quamobrem quia corruptio in proclivitate in vitium conſiſtit (§. 10), nec voluntas & noluntas emendatur, quamdiu ea ſubſiſtit (§. 153.); ignorantia vitiorum voluntas & noluntas non emendatur. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen ignotum appetere nemo poteſt (§. 148), ideoque nec velle committere actum vitioſum, qui vitium ignorat, habitus autem, qualis omne vitium eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), non acquiritur niſi exercitio (§. 430. *Pſych. empir.*), conſequenter ejusdem actus repetitione (§. 195. *Pſych.*

Pſycb. empir.), quamdiu quis ignorat vitium, fieri nequit ut inidem ruat. Ignorantia igitur vitiorum obſtat, quo minus in vitium ruamus. *Quod erat alterum.*

Iuſtinus autor eſt, ignorationem vitiorum plus in Scythis profeciſſe, quam in Græcis virtutis cognitionem. Et laudantur ſubinde gentes barbaræ ac incultæ propter abſtinentiam a vitiis, quæ ignorant. Qui vero inde inferunt, ignorationem vitiorum eſſe medium emendandi voluntatem & noluntatem, utique inferunt, quod inde minime ſequitur. Etenim ex demonſtratione propoſitionis præſentis ſatis patet, aliud eſſe emendare voluntatem & noluntatem, aliud impedire, quo minus in vitium ruamus, & poſterius inde inferendum eſſe, non prius. Quod vero laus minime quadret in eum, qui a vitiis propterea alienus eſt, quia eadem ignorat; abunde hinc intelligitur, quod laudem non pariant niſi virtutes intellectuales & morales (§. 550. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter nec laus comparetur niſi voluntaria abſtinentia a vitio, quæ cognitionem ejus ſupponit. Ignorantiæ verus uſus a falſo ſeparandus ob rationem eandem, quam de vero uſu privationis occaſionis male agendi cum falſo non confundendo paulo ante dedimus (*not.* §. 207.). Ad illum vero agnoſcendum in dato caſu particulari ducit propoſitio præſens.

§. 209.

Imitatione empirica aliorum bene agentium voluntas & noluntas non emendatur; ſed tantummodo obtinetur, ut actus externus legi naturæ conveniat. Cum in imitatione empirica negligantur rationes actionum, & hac ſola de cauſa actio committatur, quia ſic agunt alii (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*); voluntas non determinatur per bonitatem intrinſecam actionis, nec noluntas per malitiam intrinſecam, conſequenter actio caret rectitudine (§. 80. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quam urget lex naturæ (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), immo nec voluntas determinatur per conveni-

De efficientia imitationis empiricæ benefaciendi.

entiam, nec noluntas per disconvenientiam actionis cum lege naturæ vel voluntate divina. Quamobrem cum voluntas perfecta ſit, ſi motiva ſunt bona vera, & noluntas perfecta, ſi motiva ſunt mala vera (§. 272. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter ſi voluntas per bonitatem, noluntas per malitiam intrinſecam actionis determinatur (§. 124. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & voluntas bona exigat, ut actionem committamus, quia eadem legi naturæ, vel voluntati divinæ convenit (§. 121.), noluntas vero bona, ut actionem committere nolimus, quia legi nature, vel voluntati divinæ repugnat (§. 127); imitatione empirica voluntas & noluntas nec perficitur, nec bona efficitur. Quoniam itaque voluntas & noluntas non emendatur, niſi corrupta efficiatur bona atque perficiatur (§. 153.); imitatione empirica aliorum bene agentium minime emendatur. *Quod erat unum.*

Enimvero qui alios imitatur, qui bene agunt, etſi empirica ſit imitatio, cum id agat, quod agunt alii, bene agit (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum illorum actiones, qui bene agunt, legi naturæ conveniant; actus imitatoris empirici externi legi naturæ conveniunt. Imitatione igitur empirica bene agentium tantummodo obtinetur, ut actus externus legi naturæ conveniat. *Quod erat alterum.*

Imitatio aliorum in agendo maximi uſus eſſe, nemo eſt qui neſciat. Addiſcuntur hoc modo artes quæcunque, quemadmodum in vulgus notum eſt, & commendantur quoque in Moralibus exempla bona ad imitandum. Solent autem homines imitari alios in iis, quorum rationem neſciunt, ideoque infantibus & pueris recto intellectus uſu adhuc deſtitutis proprium eſt imitari alios. Aſt qui imitatione bene agentium voluntatem bonam effici ſibi perſuadent, oppido falluntur. Recte omnino *Horatius* imitatores ſervum pecus vocat, cum actiones ſuas revera regant non propria, ſed aliena volun-

luntate, utpote volentes, quod velle vident alios; nolentes, quod nolle vident alios, ne latum quidem ungvem recedentes ab eo, quem imitantur. Empiricus imitator actionem non committit, quia bona eſt, ſed quia novit eandem committi ab eo, quem imitatur; nec omittit actionem, quia mala eſt, ſed quia novit eandem omitti ab eo, quem imitatur. Imitatione igitur empirica voluntas non efficitur bona & perfecta (§. 121. *b.* & §. 271. *part. 1. Jur. nat.*). Immo eadem periculoſa eſt, ſive morum moderatores alios ad imitationem adducant, ſive quis proprio motu alios imitetur. Etenim in caſu priori moderatoris judicium eſt, num recte agat is, qui ad imitandum proponitur: quod ſi fallat, male agere diſcit, qui recte agere aſſuefaciendus erat. In caſu poſteriori ſtandum imitatori præjudicio autoritatis, quod quam ſit fallax nemo eſt, qui neſciat.

§. 210.

De efficientia imitationis empiricæ ulteriori.

Quoniam imitatione empirica recte agentium obtinetur, ut actus externus legi naturæ conveniat (§. 209.), ſi vero quid jam ſæpius appetivimus, vel averſati ſuimus aliquod objectum, id denuo oblatum ſtatim appetimus, vel averſamur, nulla ratione, cur idem appetamus, vel averſemur diſtincte expenſa (§. 922. *Pſych. empir.*), ideoque conſuetudinem agendi nanciſcimur (§. 923. *Pſych. empir.*); *imitatione empirica recte agentium conſuetudinem recte agendi nanciſcimur.* Aſt quia imitator empiricus rationem actionum negligit & hac ſola de cauſa agit, quia agunt alii (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter in determinandis actionibus ſuis aliorum opinionem ſequitur, non vero ſuo ſtat judicio, qui vero aliorum opinionem in determinandis actionibus ſequitur, ei exemplum aliorum motivum agendi præbet (§. 279. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *imitatori empirico exemplum aliorum motivum agendi præbet*, conſequenter cum ſufficiens ipſi

ratio ſit, ut voluntatem vel noluntatem ſic, non aliter determinet, quia hoc faciunt, vel non faciunt alii (§. 887 *Pſych. empir.*), *imitator empiricus in genere conſuetudinem nanciſcitur faciendi, quod faciunt alii, non faciendi, quod alii non faciunt,* ideoque *voluntas proclivis efficitur in ea, quod faciunt alii, & noluntati ingignitur nauſea eorum, quæ alii non faciunt.*

Clarius hinc eluceſcit, cur imitatio empirica ſit periculoſa. Et alibi jam obſervavimus (*not.* §. 284. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), neminem facilius ſeduci pravis exemplis, quam cœcum aliorum imitatorem. Imitatione empirica voluntas & noluntas minime emendatur (§. 209.), ideoque corruptio, quæ iisdem inhæret, ſubſiſtit (§. 153.). Quodſi ergo voluntati corruptæ ſeſe comendet malum, & noluntati corruptæ diſplicet bonum; eadem facilitate imitator empiricus adducitur ad male agendum, qua bene agere aſſuefactus fuerat. Conſuetudo igitur bene agendi imitatione empirica contracta conſtans non eſt, ſed facile in conſuetudinem male agendi degenerat. Quamvis enim conſuetudo ſit quaſi altera natura, quæ furca expulſa tamen usque redit, id tamen minime obſtat, quo minus conſuetudo bene agendi vertatur in conſuetudinem male agendi. Cum enim imitator cœcus actionem non committat, quia bona eſt, ſed quia eandem committit alius, ad quem imitandum adductus eſt, idemque valeat de actionibus malis, quæ ab eo non omittuntur, quia malæ ſunt; ideo conſuetudo bene agendi imitatione empirica contracta conſiderari nequit tanquam conſuetudo bene agendi, ſed ſaltem tanquam conſuetudo faciendi, quod faciunt alii, & non faciendi, quod non faciunt alii. Quando itaque conſuetudo bene agendi abit in conſuetudinem male agendi conſuetudo imitatione empirica contracta manet in ſe, qualis contracta fuit, nimirum faciendi, vel non faciendi, quod alii faciunt, vel non faciunt. Moralitas, quæ facto ineſt, non ab imitatione venit. Sunt equidem rationes, cur quis proprio motu alios imitetur vel facilius

ad

ad alios imitandos adducatur, cum ob imbecillitatem iudicii ipſemet de actionibus committendis, vel omittendis ſtatuere nequir; quoniam tamen in præſenti ad particularia deſcendere non licet, ex tractationi ſpeciali eadem ſunt addiſcenda. Illud ſaltem adhuc obſervandum, cum aliorum exemplum motivum ſuggerere poſſit actionem quandam committendi, quam cur alii adeo lubentet committant capere nequit, ut id experiatur (§. 282. *part. 2. Phil. pract. univ.*), id ipſum omnium facillime contingere, ſi quis fuerit imitator empiricus, & ita empirica imitatione contractam conſuetudinem fieri illicem male agendi.

§. 211.

De mutabilitate facili imitatoris empirici.

Quoniam imitatione empirica aliorum voluntas efficitur proclivis in ea, quæ faciunt alii, & noluntati ingignitur nauſea eorum, quæ non faciunt alii (§. 210.), inclinationes autem in generali quadam determinatione appetitus ad appetendum (§. 895. *part. 2. phil. pract. univ.*), reclinationes in generali quadam dererminatione averſationis ad averſandum conſiſtunt (§. 896. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *imitationi empiricæ aſſuefactus ſtatim ruit in ea, quæ faciunt alii, ſi inclinationi ſuæ reſpondent, & contra ea faſtidit, quæ non faciunt alii, ſi reclinationi ſuæ conveniunt, conſequenter conſuetudo agendi, vel non agendi imitatione empirica contracta facillime mutatur in contrariam, ſi imitator videt alios facere, vel non facere, quæ inclinationi, vel reclinationi ſuæ reſpondent.*

Patet hinc ratio, cur imitandis aliis aſſuefactorum mores facile degenerent in contrarios: id quod mirantur illi, qui norunt conſuetudinem eſſe quaſi alteram naturam, eradicari neſciam. Non enim attendunt, conſuetudinem actiones ſuas ad exemplum aliorum componendi ſubſiſtere, & actionum genere ſaltem ſpecificari, quas commendat inclinatio & reclinatio aſpernatur.

§. 212.

De dependentia ab autoritate aliorum agendi.

Si quis actiones bonas committere, malas omittere assueſcit ſola autoritate aliorum permotus; voluntas & noluntas non emendatur, & dependentia ab autoritate aliorum in agendo æquivalet imitationi empiricæ aliorum in agendo. Si quis actiones ſuas determinat ſic, non aliter, autoritate alterius permotus; is ideo hoc facit, quia alter dicit ſic & non aliter actiones eſſe determinandas, ſcilicet hoc eſſe faciendum, illud eſſe non faciendum. Enimvero cum voluntas bona non ſit, niſi ideo hoc facere velimus, quia legi naturæ, aut voluntati divinæ convenit (§. 121.), nec perfecta, niſi ſciamus hanc actionem legi naturæ, aut voluntati divinæ convenire (§. 155.); ſi quis actiones bonas committere, malas omittere aſſueſcit ſola auctoritate aliorum permotus, voluntas & noluntas non emendatur. *Quod erat unum.*

Quoniam qui ab autoritate aliorum in agendo dependet, ideo agit, quia alii dicunt hoc eſſe faciendum, vel non faciendum, non attenta ratione, cur ſit faciendum, vel non faciendum, & imitator empiricus ideo agit, quia videt alios hoc facere, vel non facere, non attenta ratione, cur ſit faciendum, vel non faciendum (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*), unum autem idemque eſt, ſive hoc facias ideo, quia alius dicit hoc eſſe faciendum, ſive quia alius hoc facit; dependentia ab autoritate aliorum in agendo æquipollet imitationi empiricæ aliorum in agendo. *Quod erat alterum.*

Qui autoritate ſua alios permovent ad agendum, vel metuuntur, vel amantur, vel rerum intelligentes exiſtimantur. In caſu primo metu, in ſecundo timore filiali, amoris comite, impelluntur ad agendum, in tertio denique judicio alieno confidunt. In primo itaque caſu perinde eſt ac ſi metu pœnarum voluntas atque noluntas determinaretur: in ſecundo dependentia ab autoritate alterius in agendo æquiparatur deter-

terminationi voluntatis atque noluntatis ſpe præmii factæ: in tertio denique determinatio voluntatis & noluntatis tota nititur præjudicio autoritatis. Quamobrem in caſu primo & ſecundo actio alit aliquid inviti; in tertio autem magis voluntaria eſt. Quoniam itaque metu pœnæ & ſpe præmii voluntas & noluntas non emendatur (§. 192.); ideo nec in caſu primo atque ſecundo voluntas & noluntas emendari poteſt, ſi quis actiones bonas committere, malas omittere aſſueſcit ſola autoritate alterius permotus. Cumque in caſu tertio certa quædam determinatio voluntatis & noluntatis generalis jam ſupponatur, contingere equidem poteſt, ut ab autoritate alterius dependens voluntas, vel noluntas ſit bona; non tamen aſſuetudo voluntatem & noluntatem ſuam ſubmittendi ſjudicio alieno medium eſt voluntatem & noluntatem emendandi, quia præſuppoſita inclinatio, vel reclinatio corruptæ quoque voluntatis & noluntatis eſſe poteſt. Nimirum in nullo caſu quidpiam in determinatione generali voluntatis vel noluntatis immutatur, dum autoritate alterius permotus hoc facere, vel non facere aſſueſcis, ſed ab illa potius venit, ut in determinandis actionibus tuis judicio alterius ſtare velis. Atque in hoc caſu manifeſtiſſimum eſt dependentiam ab autoritate aliorum in agendo æquivalere imitationi empiricæ: in caſu tamen primo atque ſecundo idem facile intelligitur, modo notes minime repugnare, ut aliorum imitatio invita eſſe poſſit. Enimvero ſpecialia iſtiusmodi ex ſpeciali tractatione patebunt, quæ generalibus non modo plurimum lucis affundet, verum etiam incrementum dabit: id quod de omnibus notandum, quæ hic in genere demonſtrantur. Ceterum non deſunt, qui ſibi perſuadent autoritate ſua permovere alios ad bene agendum eſſe medium voluntatem emendandi, ſed hi ſunt, qui ad actus externos animum unice attendentes internos inſuper habent, de rectitudine actionis & puritate animi non cogitantes.

§. 213.

§. 213.

De efficientia dependentiæ ab autoritate aliorum in agendo.

Quoniam dependentia ab autoritate aliorum in agendo æquivalet imitationi empiricæ aliorum in agendo (§. 212), imitatores autem empirici recte agentium nanciſcuntur conſuetudinem non ſolum recte agendi, ſed & in genere faciendi, quod faciunt alii, & non faciendi, quod non faciunt alii, iisdem exemplum aliorum eſt inſtar motivi agendi, vel non agendi, & voluntas eorundem proclivis efficitur in ea, quæ faciunt alii, noluntati vero ingignitur nauſea eorum, quæ non faciunt alii (§. 210.); *qui actiones bonas committere, malas omittere aſſueſcit ſola autoritate aliorum permotus, is non modo conſuetudinem bonas actiones committendi, malas omittendi nanciſcitur, verum etiam in genere conſuetudinem faciendi, quod faciendum eſſe videtur aliis, & non faciendi, quod non faciendum eſſe videtur aliis, iisdem exemplum aliorum eſt inſtar motivi agendi & non agendi, & voluntas eorundem proclivis efficitur in id, quod faciendum eſſe dicunt alii, noluntati vero ingignitur nauſea eorum, quæ non facienda eſſe ſtatuunt alii.*

Cum unum idemque ſit, ſive quis imitationi empiricæ aliorum aſſuefiat, ſive in determinandis actionibus ſuis ab autoritate aliorum dependeat, utpote in utroque caſu in iisdem determinandis judicio alterius ſtans, non ſuo, ipſa indentitatis notio inſinuat imitationis empiricæ & dependentiæ ab autoritate alterius in agendo eandem eſſe debere efficientiam (§. 181 *Ontol.*). Ceterum quæ hic demonſtrantur, experientia abunde confirmat, modo non fueris otioſus actionum humanarum ſpectator, nec in obſervando deſiderari patiaris acumen.

§. 214.

De mutabilitate facili conſuetudinis

Quia voluntas ejus, qui actiones bonas committere, malas omittere aſſueſcit, efficitur proclivis in id, quod faciendum eſſe dicunt alii, & noluntati ejusdem ingignitur nauſea

nauſea eorum, quæ non facienda eſſe ſtatuunt alii (§. 213.), inclinationes autem in generali quadam determinatione appetitus ad appetendum (§. 895. *part. 2. Phil. pract. univ.*), reclinationes in generali quadam determinatione averſationis ad averſandum conſiſtunt (§. 896. *part. 2. Phil. pract. univ.*); *Qui actiones bonas committere, malas omittere aſſueſcit ſola autoritate aliorum permotus ſtatim in ea ruit, quæ facienda eſſe dicunt alii, ſi inclinationi ſuæ conveniunt, & contra ea faſtidit, quæ non facienda eſſe dicunt alii, ſi reclinationi ſuæ reſpondent, conſuetudo agendi vel non agendi ob autoritatem aliorum facillime mutatur in contrariam, ſi ab autoritate aliorum in agendo dependere adſuetus audit aliorum ſententia facienda, vel non facienda eſſe, quæ inclinationi, vel reclinationi ſuæ reſpondent.* *agendi ab autoritate alterius pendentis.*

Patet hinc ratio, cur qui in agendo aſſueti ſunt ſtare aliorum judicio, mores facile mutent in contrarios, bonos nimirum in pravos: id quod mirum minime videri debet, propterea quod conſuetudo ſtandi judicio aliorum in determinandis actionibus ſuis ſubſiſtit, & actionum ſaltem genere ſpecificatur, quas commendat inclinatio & reclinatio aſpernatur, quemadmodum paulo ante in caſu ſimili jam obſervavimus.

§. 215.

Qui cœca obedientia actiones bonas committere, malas omittere aſſueſcunt; eorum voluntas & noluntas non emendatur, ſed ab aliorum autoritate ſaltem dependens efficitur, Etenim quorum cœca eſt obedientia, illi actiones bonas non committunt, quia bonæ ſunt, ſed quia vult is ut committantur, cui obediunt, & actiones malas non omittunt, quia malæ ſunt, ſed quia non vult easdem committi is, cui obtemperant, ad verba ſcilicet alteri obedientes, non ad id, quod ex verbis intelligi poſſit, obtempetantes. Qnoniam itaque voluntas ipſorum ideo *De efficientia cœcæ obedientiæ.*

ideo nondum eſt bona (§. 121.), neque etiam bona eſt noluntas (§. 127.), quando autem voluntas & noluntas corrupta bona non efficitur, minime emendatur (§. 153.); qui cœca obedientia actiones bonas committere, malas omittere aſſueſcunt, eorum voluntas & noluntas non emendatur. *Quod erat unum.*

Quia cœca obedientia ſaltem efficitur, ut quis actiones ſuas ad voluntatem alterius componat, voluntas vero atque noluntas ejus non emendatur *per demonſtrata* n. 1. determinationem voluntatis & noluntatis ſubmittit judicio ejus, cui ad verba obedit, eodemque unice ſtat, conſequenter autoritate ejus permovetur ad actiones committendas. Qui itaque cœca obedientia actiones bonas committere, malas omittere aſſueſcunt, eorum voluntas & noluntas ab aliorum autoritate dependens efficitur (§. 851. *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Cœca ejus eſt obedientia, qui alteri ad verba obedit, non ad id, quod ex verbis intelligi poſſit, obtemperat. Ut igitur actionem committat, ſufficit noſſe, quod alter ſignificaverit, eam committendam eſſe, de eo autem parum ſollicitus eſt, num actio ſit bona, aut, ſi de bonitate actionis cogitatio animum ſubit, eam ideo bonam eſſe ſumit, quia alter dixit, eam committendam eſſe, conſequenter præjudicio autoritatis unice confidit. Non igitur eſt, quod dubitemus cœcam obedientiam inferre dependentiam ab autoritate alterius in agendo, ſive ea neceſſaria ſit, five voluntaria.

§. 216.

De efficientia cœcæ obedientiæ ulteriori.

Quoniam qui cœca obedientia actiones bonas committere, malas omittere aſſueſcit, ejus voluntas & noluntas ab alterius autoritate dependens efficitur (§. 215.), *cœcæ obedientiæ eadem*

eadem efficientia eſt, quæ dependentiæ ab aliorum autoritate in agendo, conſequenter *qui cœcæ obedientiæ aſſuetus eſt, ei exemplum aliorum, quorum autoritate confidit, aut confidere tenetur, motivum agendi præbet, nanciſcitur is in genere conſuetudinem faciendi, vel non faciendi, quod alii faciendum, aut non faciendum eſſe dicunt, ſeu dictis aliorum faciles præbet aures* (§. 213.), *ſine ulla hæſitatione id facit, vel non facit, quod alii dicunt faciendum, vel non faciendum eſſe, præſertim ſi quodammodo inclinationi vel reclinationi ſuæ reſpondet, & conſuetudo agendi cœcæ obedientiæ debita facillime mutatur in contrariam* (§. 214.).

Quantum noceat cœca obedientia, experientia academica omnium optime docet. Videmus enim, quam facile ſeducantur a pravis ſodalibus juvenes, quos probos & obſequentiſſimos commendant parentes. Ac ideo non infrequentes ſunt eorum querelæ, quod liberos optime moratos miſerint in academiam, & peſſime morati iidem redierint. Multo ſignificantius patrio idiomate idem exprimitur, quo filios in academiam miſſos angelos, in patriam reduces diabolos appellant. Enimvero non conſiderant querelas iſtas moventes, adeo facilem morum degenerationem culpæ ſuæ tribuendam eſſe, quatenus nimirum cœcæ obedientiæ aſſuefecerunt filios ſuos ab omni conſortio remotos, qui quo ſunt obſequentiores, eo facilius animus & mores eorum corrumpuntur. In caſu particulari dato concurrunt adhuc aliæ cauſæ, quæ corruptionem facilliorem reddunt, quales ſunt inclinationes & reclinationes, quarum mentionem fecimus, per circumſtantias datas haud difficulter detegendas, modo in ſcrutandis latebris & receſſibus in animis hominum non fueris prorſus alienus ac hoſpes. Inprimis quoque conſideraſſe hic juvat modum, quo quis cœcæ obedientiæ aſſuefactus fuit, veluti num metu pœnæ fuerit extorta, an ſit amoris parentum ſoboles, & ita porro. Eædem enim rationes quoque ingens momentum in eo habent, ut quis ſit dicto ſodalium audiens.

§. 217.

De consuetudine cum bonis.

Sola consuetudo cum bonis non emendat voluntatem & noluntatem; sed tantummodo obtinetur, ut actus externus legi naturæ conveniat. Consuetudine enim cum aliis actiones committere assuescimus, quas ipsi committunt, & eas omittere, quas ipsi omittunt, consequenter ad eorum imitationem ducimur (§. 204. *part 2. Phil.pract. univ.*). Quamobrem si præter consuetudinem nil supponatur, ea sola non ducit nisi ad empiricam illorum imitationem, cum quibus ea nobis intercedit (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Enimvero imitatione empirica bene agentium voluntas & noluntas non emendatur, sed tantummodo obtinetur, ut actus externus legi naturæ conveniat (§. 209.). Ergo sola consuetudine cum bonis non emendatur voluntas & noluntas, sed tantummodo obtinetur, ut actus externus legi naturæ conveniat.

Quemadmodum supra monuimus, plurimum falli eos, qui sibi persuadent, imitatione empirica bene agentium voluntatem & noluntatem emendari (*not.* §. 209.); ita idem dicendum est de consuetudine cum bonis, quæ etsi utilitate sua non destituatur in moralibus, perperam tamen pro medio emendandi voluntatem & noluntatem habetur. Immo si quis pravis moribus jam imbutum possidet animum, cum difficillime quoque ad imitandum bene ac recte agentes sola cum hisce consuetudo adducet. Sed talia in præsenti discutere non licet, quæ speciali tractationi potius reservanda. Hic enim ubi de modo emendandi voluntatem & noluntatem agitur, id tantum modo quæritur, utrum nuda consuetudo cum bonis sit medium emendandi voluntatem & noluntatem, nec ne, consequenter nec de eo jam quæstio est, num consuetudo cum bonis aliquod adjumentum afferre possit ad voluntatem & noluntatem emendandum, utut per se eidem emendandæ minime sufficiat. Differt autem medium ab adjumento, quod successum in usu medii facilitat. Vide, quæ superius de imitatione empirica porro annotavimus (*not.* §. *cit.*). §. 218.

§. 218.

De conſuetudine cum aliis imitationi empiricæ aliquiparanda.

Sola conſuetudo cum aliis in formandis moribus æquivalet empirice aliorum imitationi. Etenim qui cum aliis continuo converſatur, ea facere aſſueſcit, quæ faciunt alii, & non facere, quæ ipſi non faciunt, conſequenter actiones ſuas ad eorum actiones conformat. Quamobrem cum conformatio actionum noſtrarum ad actiones aliorum imitatio ſit (§. 208. *part 2. Phil. pract. univ.*); conſuetudo cum aliis in formandis moribus æquivalet imitationi aliorum. Quodſi ſola ſpectetur conſuetudo in hac imitatione, ideo has actiones committere aſſueſcit, quia videt eas ab aliis committi, nulla attenta ratione, cur committendæ, vel omittendæ ſint. Quoniam itaque empirica eſt imitatio, ſi rationes actionum committendarum, vel omittendarum negliguntur, & hac ſola de cauſa ſic & non aliter agitur, quia agunt alii (§. 208. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ſola conſuetudo cum aliis æquivalet imitationi empiricæ aliorum in formandis moribus.

Ex hac propoſitione poterat præcedens per modum corollarii inferri vi ſuperioris de imitatione empirica (§. 209.). Ceterum in præſenti non inquirimus in rationes particulares, cur moribus eorum aſſueſcant homines, cum quibus ipſis conſuetudo intercedit. Poſſunt enim eſſe variæ pro diverſitate inclinationum & reclinationum aliarumque circumſtantiarum. Ad rationes autem particulares in præſenti non attendimus. Sufficit exploratum eſſe, quod conſuetudine cum aliis eorum mores nobis inſinuentur.

§. 219.

De conſuetudinis iſtius efficientia.

Quoniam ſola conſuetudo cum aliis æquivalet imitationi empiricæ aliorum in formandis moribus (§. 218), imitatoribus autem empiricis exemplum aliorum motivum agen-

di præbet, iidemque nanciſcuntur in genere conſuetudinem faciendi, quod faciunt alii, & non faciendi, quod alii non faciunt, voluntas etiam eorundem proclivis efficitur in ea, quæ faciunt alii, & noluntati ingignitur nauſea eorum, quæ non faciunt alii (§. 210.); *ſi quis ſola conſuetudine cum aliis eorum moribus, cum quibus ipſi conſuetudo intercedit, aſſueſcit; eorundem exemplum ipſi præbet motivum agendi, nanciſcitur ipſe in genere conſuetudinem faciendi & non faciendi id, quod illi, cum quibus ipſi conſuetudo intercedit, faciunt, vel non faciunt, & voluntas ejus efficitur proclivis in ea, quæ faciunt alii, cum quibus continuo converſatur, noluntati vero ingignitur nauſea eorum, quæ iidem non faciunt*, conſequenter *ubi conſuetudo ipſi cum aliis intercedit, mores ejus facile degenerant in contrarios.*

Magna vis eſt conſuetudinis cum aliis in formandis atque immutandis moribus, etſi per ſe non ſit apta ad voluntatem & noluntatem emendandum. Gradu tamen variat pro varietate circumſtantiarum, quæ modum formationis & mutationis variant, ita ut facilior, vel difficilior reddatur. Neque enim ſolum mores illorum, cum quibus conſuetudo intercedit, tacite ſeſe animis noſtris inſinuant, ſed ipſi quoque, quorum conſuetudine utimur, inſtituendo, admonendo, orando, adhortando, inſtigando, exhortando, comminando, blandiendo, alliciendo, ſuadendo, ſollicitando ad eos formandos, vel immutandos concurrunt, & ſi qui alii dantur actus, quibus ad actionem alterius concurrere poſſumus. De hoc concurſu ad actionem alterius ex inſtituto jam egimus alias (§ 110. & *ſeqq. pract. 2. Philpract. univ.*). Non tamen propterea negandum, conſuetudinem cum aliis æquivalere imitationi empiricæ aliorum in formandis moribus. Quomodocunque enim illi, cum quibus conſuetudo intercedit, ad formationem, vel immutationem morum concurrunt, hoc ipſo tamen concurſu non intenditur niſi morum ſuorum imitatio, eaque empirica, quate-

quatenus ſolius conſuetudinis habetur ratio, nec accedunt alia, quæ ad medium emendandi voluntatem & noluntatem referenda. Hic enim ſaltem conſideramus, quænam ſit vis conſuetudinis cum aliis in formandis & immutandis moribus, nec attenditur concurſus ad actionem alterius, niſi quatenus in efficientia conſuetudinis nullam mutationem inducit, ut ſcilicet actus ſaltem externus voluntati vel noluntati alterius conformiter determinetur, & ipſius judicio ſtetur. Quodſi ad imitationem empiricam alios adducere velimus, non minus variis modis ad actionem ejus, cujus formandi ſunt mores, concurrimus. Immo etiam idem obtinet, ſi quem in agendo dependentem efficere volumus ab autoritate alterius. Monuimus ea de cauſa plus ſimplici vice, nos ad particularia iſta in præſenti non deſcendere, ubi media ſpuria emendandi voluntatem & noluntatem ad examen revocamus, quibus inconſiderantes plus confidunt, quam debebant.

§. 220.

De corruptione morum per conſuetudinem cum improbis.

Cum voluntas ejus, cui conſuetudo cum aliis intercedit, proclivis efficiatur in ea, quæ ipſi faciunt, & noluntati ingignatur nauſea eorum, quæ non faciunt, ejusdemque mores facile degenerent in contrarios (§. 219.); *conſuetudine cum improbis mores corrumpuntur;* conſequenter *qui bonis moribus præditus eſt, & is, cujus adhuc mores formandi ſunt, conſuetudinem & familiaritatem cum malis fugere debet.*

Experientia ſatis docet, quantum noceat pravum ſodalitium, præſertim juvenibus, quorum nondum confirmati ſunt mores. Exempla quotidiana ſunt in academiis, in quas confluunt juvenes agreſtibus, ſordidis, pravis & impuris moribus præditi, qui cum ſe aſſociant bonis horum vel optimos mores corrumpunt.

§. 221.

§. 221.

An ſolummodo jubendo & vetando aliisque actibus ſimilibus voluntas & noluntas emendetur.

Solummodo jubendo & vetando voluntas & noluntas non emendatur: immo in genere nullo actu emendatur, quo boni & mali veri, ſeu bonitatis atque malitiæ intrinſecæ actionum ſcientia non datur. Qui enim jubet ſolummodo, is ſaltem ſignificat, hoc ab altero fieri debere (§. 983. *part. 1. Theol. nat.*), & qui vetat, ſufficienter ſaltem ſignificat, hoc ab altero fieri non debere (§. 984. *part. 1. Theol. nat.*), non vero alterum inſtituit, cur hoc ſit faciendum, vel non faciendum. Quamvis itaque contingat, ut alter hoc faciat, vel non faciat, non tamen ideo facit, quia actio bona eſt & bonitas ejus intrinſeca agnoſcitur, nec ideo actio omittitur, quia mala eſt, & malitia ejus intrinſeca agnoſcitur, conſequenter voluntas atque noluntas nec bona efficitur (§. 119. 125.), nec perficitur (§. 133.). Quamobrem cum voluntas & noluntas non emendetur, niſi corrupta bona efficiatur & emendetur (§. 153); ſolummodo jubendo & vetando voluntas atque noluntas non emendatur. *Quod erat unum.*

Cum voluntas & noluntas corrupta non emendetur, niſi bona & perfecta efficiatur (§. 153.), bona vero effici nequeat niſi generaliter determinetur ad actiones bonas committendas (§. 119.), & noluntas ad malas omittendas, ſeu non committendas (§. 125.), voluntas vero & noluntas tum demum perfecta ſit, ſi illa nonniſi per bonum verum, hæc nonniſi per malum verum determinabilis ſit (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*), nihil vero eorum obtineatur quocunque actu, quo boni & mali veri, ſeu bonitatis atque malitiæ intrinſecæ actionum ſcientia non datur; iſtiusmodi quoque actu, qualiscunque tandem fuerit, voluntas & noluntas non emendatur. *Quod erat alterum.*

Vulga-

Vulgare præjudicium eſt, quaſi jubendo & vetando voluntas & noluntas emenderur. Unde contingit, ut, qui eandem emendare debent, omni animi contentione tantummodo inculcent, quid ſit agendum, quid non agendum. Quam parum autem proficiant in emendandis hominum animis, indies experimur. Non eſt quod objicias, leges eſſe frænum, quod injicitur refractariis. Legislatores enim actus externos tantum dirigunt, non vero voluntatem & noluntatem hominum emendant. Quamobrem metu pœnarum transgreſſoribus legum ſtatutarum homines obligant ad actiones committendas & non committendas. Metu autem pœnarum voluntas & noluntas minime perficitur (§. 138.), nec corruptioni medela affertur (§. 192.). Aliud omnino eſt refrenare voluntatem & noluntatem; aliud eandem emendare, quemadmodum ex ſuperius dmonſtratis abunde patet. Legislatores ſunt coërcitores, non emendatores animorum.

§. 222.

Quoniam nullo actu voluntas & noluntas emendatur, *Actus iſtius-* quo boni & mali veri, ſeu intrinſecæ bonitatis ac malitiæ *modi recen-* ſcientia non datur (§. 221.), iſtiusmodi autem actus ſunt, *ſentur.* quo alios adhortamur, vel dehortamur, oramus, exhortamur, ſollicitamus, allicimus, vel etiam iis comminamur (§. 125. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*); *adhortando, dehortando, orando, exhortando, ſollicitando, alliciendo, comminando voluntas & noluntas non emendatur.*

Actus iſtiusmodi eſſe medium emendandi voluntatem & noluntatem, plerique ſibi perſuadent. Hinc haud infrequenter audias querelas illorum, qui pluribus iſtiusmodi actibus animum aliorum flectere tentarunt, de effrenata & indomita ipſorum malitia. Neque enim capiunt, cur omni ſuo conatu nihil egerint. Non eſt quod dubium moveat, ſi nonnulli actus ſuppeditent quoque motiva agendi & non agendi, qua-

les ſunt exhortatio (§. 129. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & ſollicitatio ad agendum, quam veſtitam diximus (§. 139. *part. 2. Phil. pract. univ.*): etenim non quævis motiva faciunt ad voluntatem emendandam, quodſi vero ea accedant, quæ huc faciunt, tum actus iſti non amplius referuntur in eorum numerum, quibus boni veri & mali veri ſcientia non datur, ſed ad eos accedit actus, quo hæc ſcientia datur, & quo emendatio intenditur.

§. 223.

De modo præcavendi corruptionem ante rectum intellectus uſum.

Antequam homo recto intellectus uſu bonum a malo diſcernere poteſt, corruptio voluntatis & noluntatis præcavetur ignorantia vitiorum, privatione occaſionis male agendi, non conceſſa conſuetudine cum malis & dependentia ab autoritate eorum, qui de actionum bonitate & malitia recte ſentiunt. Qui enim recto intellectus uſu bonum a malo diſcernere nondum poteſt, actiones bonas eſſe opinatur, quæ ad ea conſequenda tendunt, ex quibus voluptas percipitur, vel quibus moleſtia a ſe depellitur (§. 5.). Quodſi igitur vitium hoc modo ſeſe ipſi commendat, actionem malam committere vult (§. 591. 891. *Pſych. empir.*), & actus ejusdem iteratione voluntas continuo proclivior in vitium iſtud efficitur (§. 430. *Pſych. empir.*), conſequenter magis magisque corrumpitur (§. 10.). Enimvero cum incognitum appetere non poſſimus (§. 148.); ſi vitium ignoratur, nec voluntas in actum vitioſum ferri poteſt. Quamobrem vitiorum ignorantia præcavetur, ne voluntas, aut noluntas corrumpatur. *Quod erat primum.*

Si quis privatur occaſione male agendi, male agere nequit. Quamobrem nec fieri poteſt, ut actionis malæ iteratione voluntas continuo proclivior in malum efficiatur (§. 430. *Pſych. empir.*), conſequenter magis magisque corrumpatur

tur (§. 10.). Quamobrem privatione occaſionis male agendi corruptio præcavetur. *Quod erat ſecundum.*

Conſuetudine cum malis voluntas proclivis efficitur in malum & boni nauſea ingignitur (§. 220.), conſequenter voluntas (§. 10.) & noluntas corrumpitur (§. 11.). Quodſi ergo conſuetudo cum malis non concedatur; corruptio præcavetur. *Quod erat tertium.*

Denique ſi quis in agendo dependet ab autoritate alterius, ejus voluntas proclivis efficitur in ea, quæ alter facienda eſſe dicit, & nauſea eorum ipſi ingignitur, quæ non facienda eſſe dicit (§. 213). Quodſi ergo dependeat ab autoritate eorum, qui de actionum bonitate & malitia recte ſentiunt; verendum non eſt, ne voluntas fiat proclivis in malum & noluntati ingignatur nauſea boni, conſequenter voluntas (§. 10.) & noluntas minime corrumpitur (§. 11.) Quamobrem dependentia ab autoritate eorum, qui de actionum bonitate & malitia recte ſentiunt, corruptio voluntatis & noluntatis præcavetur. *Quod erat quartum.*

Actus vitioſi iteratione voluntatem continuo fieri procliviorem in vitium inde intulimus, quod habitus exercitio comparetur (§. 430. *Pſych. empir.*). Quodſi illatio non videatur ſatis manifeſta, major lux eidem facile affunditur. Exercitium conſiſtit in actuum ſpecie vel genere eorundem iteratione (§. 195. *Pſych. empir.*), habitus vero in promptitudine agendi, quæ difficultati opponitur (§. 428. *Pſych. empir.*). Ejusdem actus iteratione igitur acquiritur facilitas ſeſe determinandi ad agendum. In hac autem facilitate conſiſtit proclivitas voluntatis in malum, ſi actibus vitioſis ea comparatur (§. 10.). Patet itaque nos non intuliſſe, niſi quod ex principio aſſumto neceſſario ſequitur, etſi brevitatis cauſa a ſummo rigore in evolvendis notionibus abſtinuerimus. Addere tamen hæc voluimus, ne quis exiſtimet, quaſi demonſtratum non fuerit, quod

demonſtrandum erat. Atque hoc notandum eſt in aliis, ubi brevitatis ſtudio quædam omittuntur, quæ facile ſuppleri poſſunt, ſiquidem ſummo rigori quis inhiet. Sed mittamus iſta, alia quædam monituri, quæ ad præſens inſtitutum pertinent. Oſtendimus hactenus, quænam perperam pro mediis emendandi voluntatem & noluntatem habeantur, ita ut morum formatores ſucceſſu fruſtrentur, niſi caſu ipſis non advertentibus accedant alia, quæ ad voluntatem & noluntatem emendandam faciunt. Quoniam vero illorum aliquis omnino eſt uſus in formandis aliorum moribus, tum etiam in propriis, quamvis voluntati & noluntati emendandæ non ſufficiant; ideo neceſſe eſt, ut in quonam conſiſtat uſus iſte demonſtretur. Ac propterea oſtendendum quoque erat, quænam faciant ad præcavendam corruptionem voluntatis & noluntatis. Nemo ſane erit, qui negare auſit, educatoribus & in genere in formandis moribus inprimis curæ habendum eſſe, ne voluntas & noluntas corrumpatur, conſequenter omni conatu corruptionem præcavendam eſſe, quam præcavere in poteſtate noſtra eſt. Neceſſe igitur eſt, ut media corruptionem iſtam præcavendi non ignorentur. Cum vero facilius ſit virtutis ſtudium, ſi nondum vitiis inquinatus fuerit animus; haud difficulter contingit, ut, quorum non ſufficiens acumen eſt in diſcernendis iis, quæ diverſa ſunt, iidem media præcavendi corruptionem cum mediis voluntatem & noluntatem emendandi confundant.

§. 224.

De præparatione ad emendationem voluntatis.

Antequam homo recto intellectus uſu bonum a malo diſcernere didicit, imitatione empirica, dependentia ab autoritate aliorum in agendo, cæca obedientia, conſuetudine cum bonis & quovis actu alio, quo non datur ſcientia boni & mali ſeu bonitatis & malitiæ intrinſecæ actionum, efficitur ne virtutis ſtudium accidat moleſtum, & ad voluntatis ac noluntatis emendationem homo præparatur. Etenim imitatione empirica (§. 210.), dependentia ab autoritate aliorum in agendo (§. 213.),

213.), cœca obedientia (§. 216.), conſuetudine cum bonis (§. 216.) & quovis actu alio, quo non datur ſcientia boni & mali veri, ſeu bonitatis & malitiæ intrinſecæ actionum, conſuetudinem actiones bonas committendi & malas omittendi nanciſcimur (§. 221.), conſequenter habitum agendi ex determinatione præterita (§. 923. *Pſych. empir.*), ut ſcilicet data occaſione agendi ſtatim appetamus, vel averſemur id, quod offertur, nulla ratione, cur idem appetamus, vel averſemur, diſtincte expenſa (§. 922. *Pſych. empir.*), ideoque absque ulla hæſitatione actiones externas ad legem naturæ componimus. Quoniam itaque ad virtutis ſtudium requiritur, ut actiones noſtras ad legem naturæ componere diſcamus (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ*); antequam homo recto intellectus uſu bonum a malo diſcernere didicit, imitatione empirica, dependentia ab autoritate aliorum in agendo, cœca obedientia, conſuetudine cum bonis & quovis actu alio, quo non datur ſcientia boni & mali veri, ſeu bonitatis & malitiæ intrinſecæ actionum efficitur, ne virtutis ſtudium accidat moleſtum. *Quod erat unum.*

Enimvero cum hoc pacto voluntas hominis propendeat ad actiones bonas committendas, & noluntas faſtidiat actiones malas, utut illarum bonitatem, harum malitiam nondum agnoſcat, *per demonſtrata n. 1.* quando vero voluntas bona efficienda, generaliter determinanda eſt ad actiones bonas committendas (§. 119.), quia ſcilicet bonæ ſunt, ſeu voluntati divinæ conformes (§. 121), & quando noluntas bona efficienda, generaliter determinanda eſt ad actiones malas non committendas (§. 125.), quia ſcilicet malæ ſunt, ſeu voluntati divinæ repugnant (§. 129.), quando autem voluntas perficienda, per bonum verum, quando perficienda noluntas, per malum verum determinabilis efficienda

enda (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*): voluntati & noluntati bonæ efficiendæ atque perficiendæ nulla difficultas affertur, quæ peculiari opera removenda ſit, ſicque opera, quæ in voluntate & noluntate bona efficienda atque perficienda collocatur, facilitatur, & docendus ſaltem eſt, cujus voluntas & noluntas bona efficienda & perficienda, cur iſtas actiones committere, vel omittere debeat, quas committere, vel omittere ſuevit. Quamobrem cum voluntas & noluntas emendetur, quando bona efficitur atque perficitur (§. 153); antequam homo intellectus uſu recto bonum a malo diſcernere didicit, imitatione empirica, dependentia ab autoritate aliorum in agendo, cœca obedientia, conſuetudine cum bonis, & quovis actu alio, quo non datur ſcientia boni & mali veri, ſeu bonitatis & malitiæ intrinſecæ actionum, ad emendationem voluntatis & noluntatis præparatur. *Quod erat alterum.*

Ex propoſitione præſente ac præcedente lucuculenter appareret, quinam verus ſit uſus illorum mediorum, quibus perperam voluntatem & noluntatem emendare vulgo ſtudent plerique. Quamvis enim iisdem, quemadmodum demonſtravimus in anterioribus, voluntas & noluntas non emendetur, ad emendationem tamen non inutilis eſt, quatenus non modo corruptio præcavetur, verum etiam homo jam aſſuevit actiones illas committere, ad quas determinanda eſt voluntas, & quarum amor ingignendus (§. 351. *part. 1. Phil. pract. univ.*), haſce vero omittere, ad quas faſtidiendas determinanda eſt noluntas, & quarum odium ingignendum (§. 368. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamdiu homo ſaltem aſſuevit actiones bonas committere & malas omittere, cum nondum ipſi ſit firmum propoſitum illas committendi, quia bonæ ſunt, haſce vero omittendi, quia malæ ſunt, multo minus per bonitatem & malitiam intrinſecam actionum voluntas ad illas committendas, noluntas

luntas ad has non committendas determinetur, actiones ipſius aſſimilantur naturalibus, quemadmodum in animantibus brutis certo cuidam actionum generi arte humana aſſuetis contingit, ac ideo qui iſtis mediis voluntatem & noluntatem emendare volunt, emendationem voluntatis & noluntatis confundunt cum modo aſſuefaciendi bruta certo cuidam actionum generi. Quamdiu enim ſeponitur rectus intellectus uſus, cum homo facultates inferiores cum brutis habeat communes, quoad aſſuetudinem actionum a brutis minime differt. Quamobrem minime reprehenduntur educatores & formatores morum, ſi utantur mediis præcavendi corruptionem voluntatis & aſſuefaciendi eos, quorum mores formandi ſunt, actionibus bonis committendis & malis omittendis. Sed tum demum virga cenſoria notantur, quando in hiſce acquieſcunt, nec ad ea ulterius progrediuntur, ſine quibus emendationi voluntatis & noluntatis locus fieri nequit.

§. 225.

Voluntas & noluntas aſſueti actiones bonas committere, malas omittere conſtans & perpetua efficitur, ſi bona efficitur & perficitur. Quoniam qui ſola aſſuetudine actiones bonas committit, malas omittit, non ideo illas committit, quia bonæ ſunt, has omittit, quia malæ, ſed quia quocunque modo illas committere, has omittere aſſuefactus, quo non datur ſcientia boni & mali, aut bonitatis atque malitiæ intrinſecæ actionis; voluntas ipſius nondum determinabilis per bonum nonniſi verum, nec noluntas per malum nonniſi verum. Quoniam itaque per ſe bonum a malo diſcernere nequit, niſi ex eo, quod voluntatem, vel moleſtiam parit, aut a moleſtia liberat, vel voluptatem impedit (§. 4.), quando vero voluptas nocua ab innocua non diſcernitur, aut moleſtia innocua non agnoſcitur, notio boni & mali ſeductrix evadit,

Quomodo actiones bonas committere, malas omittere aſſueti voluntas & noluntas conſtans & perpetua efficiatur.

dit, ut quod malum eſt appetat ſub ratione boni (§. 6.), quod vero bonum eſt averſetur ſub ratione mali (§. 7.); facile contingit, ut aſſuetudo certas actiones committendi & omittendi degeneret in contrariam, & agens a propoſito committendi, vel omittendi facile abducatur. Quamobrem cum voluntas & noluntas nondum conſtans ſit, ſi in aliquo caſu dato nos adduci patiamur, ut contrarium velimus neque perpetua, ſi idem non velimus in omni caſu (§. 1062. *part. 1. Theol. nat.*); actiones bonas committere, malas omittere tantummodo aſſueti voluntas atque noluntas nondum conſtans & perpetua eſt. Enimvero ſi voluntas & noluntas bona efficitur, firmum agenti eſt propoſitum non committendi actiones niſi bonas (§. 119.), hoc eſt, legi naturæ, ſeu voluntati divinæ conformes (§. 120.), & ſibi cavendi, ne actionem malam committat (§. 125.), hoc eſt, legi naturæ, ſeu voluntati divinæ repugnantem (§. 127.). Et ſi voluntas & noluntas perficitur, cum ea requirat exactam juris naturæ, ſeu actionum bonarum & malarum ſcientiam (§. 133); in dato quolibet caſu agens agnoſcit, quid legi naturæ, aut voluntati divinæ conveniat, quid eidem repugnet, conſequenter bonum verum ab apparente & malum quoque verum ab apparente diſcernit. Quoniam itaque non modo novit, utrum actio bona ſit, an mala, ſed voluntas quoque determinata eſt ad bonas committendas, noluntas vero ad malas omittendas; ideo in dato caſu agendi a propoſito ſuo ſe abduci minime patitur, atque in omni caſu actionem committit, quam bonam agnoſcit, & ex adverſo omittit, quam malam eſſe ſcit. Voluntas igitur & noluntas actiones bonas committere, malas omittere aſſueti conſtans & perpetua efficitur, ſi bona efficitur & perficitur.

Oſten-

Oſtendimus in anterioribus, quomodo homo aſſuefieri poſſit actionibus bonis committendis, malis omittendis, utut illas non committat, quia bonæ ſunt, nec has omittat, quia malæ ſunt, conſequenter voluntas non determinetur ad agendum per bonitatem, nec noluntas per malitiam actionum. Immo vidimus, cur conſuetudinem agendi in contrariam mutabilem efficiat ipſe modus aſſuefaciendi, corruptibilitate voluntatis & noluntatis a notione boni & mali deceptrice dependente adhuc ſubſiſtente (§. 6. 7.), et corruptione appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ ante intellectus uſum inhærente, eodem ſe exerente in voluntatem & noluntatem diffuſa & cum eodem creſcente atque latius ſeſe extendente (§. 16.). Atque ideo patet, in aſſuetudine non eſſe ſubſiſtendum, ſed voluntatem atque noluntatem bonam effici & perfici debere, ut conſtans & perpetua evadat. Tempeſtive autem danda eſt opera, ut voluntas & noluntas bona efficiatur atque perficiatur, & cum ipſa opera, quæ in aſſuefaciendo collocatur conjungenda, quamprimum id permittit intellectus uſus. Etenim vix fieri poterit, ut caveatur, ne occaſio male agendi offeratur, dum aſſuetudine corruptionem præcavere & animum ad voluntatis & noluntatis emendationem præparare annitimur. Quænam vero hic obſervanda ſint, in capite præcedente paſſim docuimus, ut ea denuo repetere ſuperfluum foret. Singula, quæ in formandis moribus obſervanda, in ſe conſideramus, qualia ſint; in praxi autem non ſingula ſunt, ſed pro diverſitate caſuum plura ſimul attendenda veniunt.

§. 226.

Si quis a vitiis avocandus & ad virtutem adducendus, habitus, quo is pollet, amittendus eſt & eidem contrarius acquirendus. Quoniam enim vitium habitus eſt actiones ſuas ratione contraria dirigendi, quam lege naturali præſcribitur (§. 322. *part. 1. phil. pract. univ.*), virtus autem habitus actiones ſuas legi naturali conformiter dirigendi (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*

De eo, qui a vitio avocandus & ad virtutem adducendus.

univ.); vitium & virtus habitus contrarii ſunt (§. 297. *Log.*), qui ſimul in eodem ſubiecto exiſtere nequeunt. Quodſi ergo quis a vitiis avocandus & ad virtutem adducendus; habitus, quo is pollet, amittendus & eidem contrarius acquirendus.

Patet hinc, cur difficilius ſit ad virtutem adducere eum, qui vitiis deditus eſt, quam illum, qui iisdem adhuc caret. Unde quoque intelligitur, cur educatoribus curæ maxime habendum ſit, ut præcaveatur corruptio, ne ſcilicet in vitia prolabatur educandus, antequam ad virtutem adduci poſſit (§. 223.), & ut ad hanc acquirendam præparetur (§. 224.). Hinc etiam diſcimus, quantum fallantur parentes, qui liberos male moratos in diſciplinam eorum tradunt, qui voluntatem & noluntatem emendare ſtudent mediis ad corruptionem præcavendum, aut præparationem ad emendationem ſaltem ſufficientibus, vel animum refrenantibus: quantum etiam fallantur morum moderatores, qui in diſciplinam ſuam traditum incorrigibilem pronunciant, ubi vident, ſe mediis iſtis nihil efficere poſſe, aut ex adverſo ſe mores correxiſſe exiſtimant, ubi animum eorum refrenari contigerit. Videmus itaque, quam ſit neceſſe, ut ea, quæ a nobis demonſtrantur, probe perpendantur, ne in formandis moribus inanem operam ſumamus, & rationem illorum perſpiciamus, quæ circa mores hominum indies obſervanda occurrunt.

§. 227.

Quanam ea fine fieri debeant.

Quoniam a vitiis avocandus & ad virtutem adducendus habitum, quo pollet, amittere eidemque contrarium acquirere tenetur (§. 226.), habitus vero amittitur diu intermiſſo ejus uſu (§. 432. *Pſych. empir.*) & contrarius ſimul acquiritur, editis continuo actionibus eidem contrariis (§. 433. *Pſych. empir.*); *qui a vitiis avocandus & ad virtutem adducen-*

cendus ab actionibus malis abſtinere eidemque contrarias bonas committere tenetur. Quoniam vero habitus morales, qui ſunt virtutes & vitia (§. 277. *part. 1. Jur. nat.*), habitus voluntatis & noluntatis ſunt (§. 276. *part. 1. Jur.. nat.*); *ut quis vitium dediſcat, virtutem diſcat, non ſufficit, ut actus externus malus intermittatur, & eidem contrarius bonus edatur, ſed neceſſe eſt, ut actionem committere nolit, quam omittit, quia mala eſt, & bonam committere velit, quia bona eſt.*

Qui hominem a vitiis avocare & ad virtutem adducere vult voluntatem & noluntatem emendare debet, non ſaltem actum externum corrigere, qui a voluntate & noluntate, non vero ab alia quadam cauſa, qua animus ſaltem refrenatur, dependet. Emendatio voluntatis & noluntatis exigit, ut bona efficiatur & perficiatur: quo facto actus externi ſua ſponte animæ volitionibus & nolitionibus reſpondent (§. 953. *Pſych. empir.*). Præpoſtere igitur agunt, qui actus externi immutatione animum mutare ſtudent, cum volitiones animæ non dependeant ab actibus externis, ut hiſce poſitis ponantur etiam illæ, ſed ex adverſo poſitis illis hi ponantur. Virtus pariter & vitium nihil admittunt inviti, ſed plenaria in agendo & non agendo regnare debet libertas. Quamdiu nimirum homo facere mallet, quod a cauſa quacunque omittere urgetur, aut non facere, quod a cauſa quacunque facere impellitur; plenaria in agendo & non agendo libertate nondum fruitur, ſed animus ſaltem refrenatur. Qui ad hoc animum non advertunt, nec eadem in trutina ſuſpendunt, habitus morales ad ſolos actus externos reſtringunt, qui tamen revera actibus internis abſolvuntur, quibus externi per ſe reſpondent. Equidem actibus externis ineſſe poſſunt, quæ ſenſus movent & imaginationem, quorum perceptiones in appetitum & averſionem influunt; non tamen inde ſequitur, volitiones & nolitiones, qui ſunt actus ad habitus morales ſpectantes, ab actibus iisdem reſpondentibus externis dependere. Ad hæc in-

timius perſpicienda relegenda ſunt, quæ alias a nobis demonſtrata de ſenſu atque imaginatione ad actiones malas nos ſeducentibus (§. 512. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*): utile quoque eſt ea expendere, quæ de motivis ab eo, quod ex actionibus externis conſequitur, deſumendis paſſim in philoloſophia practica univerſali inculcata fuerunt. Neque enim in ſyſtemate eodem loco omnia tradi poſſunt, quæ ad eandem rem ſpectare videntur.

§. 228.

Quomodo efficiatur, ut quis vitium dediſcat, virtutem diſcat.

Quoniam ad vitium dediſcendum, virtutem addiſcendam non ſufficit, ut actus externus malus intermittatur, eidemque contrarius bonus edatur (§. 227.), metu autem pœnarum agens ſaltem deterretur ab actione mala committenda & ad bonam committendam obligatur contra voluntatem ſuam (§. 287. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 138. *h.*); *metu pœnarum non efficitur, ut vitio deditus vitium dediſcat, virtutem vero diſcat, ſed ſaltem obtinetur, ne quis vitio indulgere poſſit, & ut actum ſaltem externum legi naturæ conformet.* Similiter quia privatione occaſionis male agendi tantummodo obtinetur, ne actus malus committi poſſit, & ne occaſio male agendi ad eum committendum vitio deditum invitet (§. 207.); *privatione occaſionis male agendi nemo a vitio avocatur & ad virtutem adducitur, ſed ſaltem obtinetur, ne quis vitio indulgere poſſit.* Quoniam vero ſi vitium dediſcere, virtutem vero diſcere quis debet, neceſſe eſt, ut actionem malam committere amplius nolit, quia mala eſt, eidem vero contrariam bonam committere velit, quia bona eſt (§. 227.), id vero obtinetur, ſi voluntas ejus generaliter determinetur ad actionem committendam, quia legi naturæ conformis, aut voluntati divinæ convenit, noluntas autem ad non committendam actionem legi naturæ aut voluntati divinæ repugnantem, illaque in ſpecie deter-

determinabilis efficiatur per bonitatem intrinſecam actionis bonæ, quam exigit virtus, noluntas autem per malitiam intrinſecam actionis malæ, quæ ad vitium ſpectat; *ſi quis vitium dediſcere, virtutem addiſcere debet, voluntas* (§. 121.) *& noluntas eius bona efficienda* (§. 127.) *atque perficienda* (§. 271. *part.* 1. *Jur. nat.*).

Videmus itaque, quomodo voluntas & noluntas hominis vitio dediti ſit emendanda. Nimirum actum externum malum cohibere & ad bonum externum edendum quocunque modo agentem permovere, ſimul autem actionis malæ malitiam intrinſecam & ex adverſo bonæ bonitatem extrinſecam docere debemus, ut mala diſpliceat, bona placeat. Dubitari poterat, an generalis voluntatis determinatio ad bene agendum & noluntatis ad male non agendum neceſſaria ſit, ſi a vitio quodam ſpeciali homo avocandus & ad virtutem eidem oppoſitam adducendus. Enimvero ſi quis naturam voluntatis & noluntatis humanæ intimius perſpicit, is agnoſcit, quantum præſidii ſit in bonitate & noluntate bona, ſi noluntas ad actionem certam quandam non committendam, eidem vero oppoſitam bonam committendam voluntas flectenda, & quid voluntatis & noluntatis bonitas conferat ad conſtantiam & perpetuitatem in iſto actionum genere conſervandam. Accedit, quod virtus omnis adhuc labe nondum careat, niſi voluntas & noluntas fuerit bona. Immo cum hic agatur de emendatione voluntatis & noluntatis, non aliud intenditur, quam ut ab omni vitio avocetur homo & ad omnem virtutem adducatur, id quod utique requirit, ut actionem nullam committere velimus, niſi quæ legi naturæ conformis ſit, ſeu voluntati divinæ conveniat, neutiquam vero ullam, quæ eidem repugnat. Fieri omnino poteſt, ut homo bonæ voluntatis ac noluntatis in vitium quoddam adhuc propenſus ſit. Tum equidem opus non eſt, ut demum bona efficiatur: urgendum tamen eſt, actionem pravam bonæ voluntati & noluntati, conſequenter propoſito generali agendi & non agendi repugnare. Ceterum plurimum variant caſus, in quibus ab eodem vitio hic vel il-

le avocandus & ad virtutem ipſi oppoſitam adducendus. Aſt qui in genere cognovit, quibusnam mediis voluntas & noluntas refrenetur, quomodo bona efficiatur & perficiatur, quænam emendationem, quocunque modo adjuvent, quæ ſingula in antecedentibus a nobis demonſtrata fuerunt; is pro varietate circumſtantiarum dijudicabit actus ad emendationem voluntatis & noluntatis neceſſarios atque utiles. Uberrima vero lux hiſce affulgebit ex ſpeciali tractatione, ex qua pateſcet, quomodo generalibus iſtis, quæ hic demonſtrantur, ſit utendum.

§. 229.

De odio vitii & amore virtutis ei ingignendo, cujus voluntas & noluntas emendanda.

Qui a vitio avocandus & ad virtutem adducendus, ejus animo odium vitii ingignendum & amor virtutis eidem oppoſitæ inſtillandus. Virtuoſus enim vitium odit (§. 368. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*), virtutem vero amat (§. 351. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo aliquem a vitio avocare & ad virtutem adducere voluneris; neceſſe eſt, ut ejus animo odium vitii ingignere & amorem virtutis eidem oppoſitæ inſtillare ſtudeas.

Sine amore virtutis & odio vitii non poſſe concipi virtutem dudum agnovere veteres. Quamobrem vix condonandum videtur morum formatoribus, qui in formandis moribus de odio vitii ingignendo & amore virtutis inſtillando ne quidem cogitant, multo minus aliquam in eo operam collocant. Sane quamdiu odium vitii & amor virtutis oppoſitæ abeſt, fieri haud quamquam poteſt, ut voluntas & noluntas conſtans atque perpetua ſit, quæ conſtantia & perpetuitas voluntatis atque noluntatis in cauſa eſt ne quis unquam a tramite virtutis ad vitium deflectat, aut ab illo ſeduci ſeſe patiatur. Probe autem notandum eſt, odium vitii & virtutis amorem ſimul ingigni debere: etſi enim una eademque opera id fieri minime poſſit, utraque tamen ſibi invicem ſuppetias fert, ſi conjungatur. Nimirum cum vitium & virtus ſibi mutuo opponantur & eorum motiva contraria ſint, contrariis juxta ſe poſitis magis elucescentibus, quæ ad virtutem alliciunt & attrahunt, ſimul a vitio

vitio retrahunt, & ex adverſo quæ averſionem vitii pariunt, ſimul virtutem magis commendant. Oculatam dabimus fidem in tractatione ſpeciali.

§. 230.

De modo ingignendi odium vitii.

Odium vitii ingignitur, ſi quis convincatur turpitudinis naturalis, ſeu deformitatis vitii, damni inde ſequentis, & infelicitatis, quam parit, immo etiam periculi, cui agentem exponit. Cum enim vitia malum deformativum ſint, quod in imperfectione naturæ humanæ acquiſita conſiſtit (§. 66.); ſi quis deformitatem vitii, ſeu turpitudinem ejus naturalem diſtincte agnoſcit, imperfectionis, cui hominem obnoxium reddit vitium, ſibi conſcius eſt, conſequenter ex vitio tædium percipit (§. 518. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque rem iſtam odimus, ex qua tædium percipimus (§679. *Pſych. empir.*); qui deformitatis, ſeu turpitudinis naturalis vitii convincitur, ei odium vitii ingignitur. *Quod erat primum.*

Cum damnum omne, quod patimur, ſtatum noſtrum imperfectiorem reddat (§. 492. *part. 1. Jur. nat.*); qui damnum, quod ex vitio conſequitur, diſtincte agnoſcit, imperfectionis ſtatus ſibi conſcius eſt, in quem vitium hominem conjicit, conſequenter ex vitio tædium percipit (§. 518. *Pſych. empir.*). Unde porro eodem, quo ante *n.* 1. modo colligitur, qui damni ex vitio conſequentis convincitur, ei odium ejusdem ingigni. *Quod erat ſecundum.*

Infelicitatem homines per naturam ſuam averſantur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum nihil averſemtur, niſi quatenus moleſtiam creat (§. 156), ex eo, quod infelicitatem parit, moleſtiam ſive tædium percipiunt. Quodſi ergo quis convincatur infelicitatis, quam parit vitium, quin ex eo tædium percipiat dubitandum non eſt. Quamobrem denuo

denuo eodem, quo ante n. 1. modo porro patet, odium vitii ingigni, ſi quis infelicitatis, quam parit, convincatur. *Quod erat tertium*

Quoniam ea, quæ ex actionibus vitioſis conſequuntur, vel neceſſario conſequuntur, vel ex accidente propter certas circumſtantias in omni caſu minime præſentes, vel etiam poſthac ſupervenientes; ideo mala, quorum fons eſt vitium, ſemper certo prævideri non poſſunt, ſed ſaltem metuenda ſunt, conſequenter vitium ſubinde ſaltem periculo agentem exponit, quod num evitare poſſit, certo conſtare nequit. Enimvero nemo, niſi mentem præjudiciis occœcatam habuerit, periculo ſeſe exponere vult, & naturale homini eſt, ut id averſetur, niſi ſe illud evitaturum ſibi perſuaſerit. Quoniam itaque ex eo, quod periculo nos exponit, tædium ſeu moleſtiam percipimus (§. 156.); ſi quis convincitur periculi, in quod vitium ipſum adducit, quin ex vitio tædium percipiat, dubitandum non eſt. Quamobrem denuo ut ante *n.* 1. patet, odium vitii ingigni, ſi quis convincitur periculi, cui agentem exponit vitium. *Quod erat quartum.*

Multa ſunt, quæ adhuc notanda forent, ſi quidem nobis propoſitum eſſet de ſingulis, quæ hic præcipiuntur, diſertius dicere, quænam in praxi obſervanda. Quoniam tamen ea ex iis, quæ in Pſychologia & Philoſophia practica univerſali tradita, tum etiam in anterioribus demonſtrata, acutiores per ſe eruere valent, ceteris vero abunde ſatisfaciet tractatio ſpecialis, quibus generalia hæc ſalrem loco notionum directritium inſervire debent, aut attentionem eorundem excitare ad ea, quæ in dato caſu ſpeciali attendenda; ideo non opus eſt, ut hic prolixiores ſimus. Non tamen inconſultum exiſtimamus, ut quædam ſaltem in genere annotemus, olim profutura, ut particularia rectius intelligantur & de iis accuratius judicari poſſit. Tres indicavimus fontes, unde petendæ ſint rationes, quibus

quibus homini vitium reddatur exoſum, vitii nempe deformitatem, & damnum, quod dat, atque infelicitatem, cui hominem obnoxium reddit. Deformitas famam reſpicit, damnum bona corporis & fortunæ, quorum jacturam facimus, infelicitas denique ſtatum animi internum, quem nemo non averſatur præſentem. Deformitas itaque patet ex eo, quod hominem maxime dedeceant actiones vitioſæ, iisdemque fama lædatur, damna ex malis, quæ quoad corpus & ſtatum externum incurrit vitio deditus, infelicitas ex moleſtiis, ac inprimis affectibus moleſtis, quibus torquetur animus. Quoniam vero ſingula hæc vel certo eveniunt, actionibus pravis patratis, vel ſaltem evenire poſſunt, ideoque vel expectanda, vel metuenda ſunt; ideo periculi quoque rationem habendam eſſe oſtendimus, cui vitio deditus ſeſe exponit. Quamvis enim contra periculum qui vitio delectatur facile exceptiones faciat, ut animum a metu liberet, ſi id ſolum urgeatur; ubi tamen accedit ad ea, contra quæ exceptio fieri nequit, rationibus, quibus odium ingignitur, pondus aliquod addit, ut fortius ſtimulet facultatem averſandi.

§. 231.

Quoniam odium vitii ingignitur, ſi quis convincitur turpitudinis naturalis ſeu deformitatis vitii, damni hinc conſequentis, & infelicitatis, quam parit (§. 230.), deformitas autem noluntatem honoris cupidi (§. 178.), damnum noluntatem lucri cupidi (§. 173.), quæ ſenſui ingrata ſunt & quæ dolorem cauſantur noluntatem voluptuoſi maxime determinant (§. 166.); *ſi odium vitii ingignendum, nunc magis urgeri debet deformitas vitii, nunc damnum, quod infert vitium, nunc infelicitas, quam cauſatur, prouti vel honoris, vel lucri, vel voluptatis quis magis fuerit cupidus, & ab eo motivo initium faciendum, quod inclinationi dominanti reſpondet*, cumque pro varietate circumſtantiarum nunc magis interſit, ut quis famæ ſuæ conſu-

Quænam in odio ingignendo potiſſimum obſervanda.

lat, vel damnum evitare ſtudeat, vel tædia & moleſtias, quibus torquetur animus, aut dolorem fugiat, *quæ in urgendo motivo circumſtantiæ ſingulares ſuadent, ad ea inprimis attendendus eſt animus.*

Cupido honoris atque laudis, lucri & delectationum ſenſualium ſunt inclinationes hominis (§. 182.), quas non æqualiter diſtributas deprehendimus inter homines, ut in alio hæc, in alio alia prædominetur. Atque inde eſt, quod non ſingulorum motivorum eadem vis ſit in animos promiſcue omnium. Qui veritatis convincendus, ad ea, quæ dicuntur, animum attendere debet (§. 998. *Log.*). Attentionem autem in ſe trahit, quod inclinationi noſtræ maxime adverſatur: id quod tanquam a poſteriori ſatis manifeſtum hic ſumimus, brevitatis cauſa, utut facile demonſtrari poſſit ex natura appetitus (§. 156. *b.* & §. 371. *Pſych. rat.*), cui quod contrariatur, id averſamur, quatenus jactura ejus, quod bonum exiſtimamus & appetitum movet (§. 904. *Pſych. empir.*), habetur pro malo (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), & facultatem averſandi movet (§. 907. *Pſych. empir.*). Atque hinc intelligitur in urgendo motivo noluntatis initium fieri debere a motivo, quo voluntas maxime determinabilis, ut excitetur attentio, & deinde oſtendendum eſſe, quomodo motivum noluntatis, quo ad debellandum vitium utimur, e diametro iſti adverſetur. Equidem plures adhuc concurrunt cauſæ, quæ ſucceſſum irritum reddere poſſunt, niſi earum ſimul habeatur ratio; de iis tamen in præſenti dicere non licet. Specialia iſtiusmodi patebunt per ſequentem de affectibus tractationem, magis tamen adhuc eluceſcent ex tractatione ſpeciali, cui talia reſervanda. Et ſi quis impedimenta in praxi morali obvia diligentia induſtriaque ſuperare ſtuduerit, obſervatis iis, quæ a nobis præcipiuntur, eum circumſtantiæ particulares, quæ pro diverſitate ſubjectorum & caſuum ſeſe offerunt, plura docebunt, quæ adhuc deſiderari poterant. Neque enim exiſtimandum eſt, nos omnia exhauſiſſe, ut aliorum induſtriæ nihil ſit relictum; ſed

ſed ſufficit nobis aditum patefeciſſe ad ea, quæ inacceſſa videri poterant, aut de quibus non facile incidiſſet cogitatio, vel quorum etiam cogitatio animum noſtrum ſubire nequit, deficiente ſenſatione, quæ ad eam ducit (§. 64. *Pſych. rat.*). Pro diverſitate quoque circumſtantiarum nunc magis, nunc minus intereſſe, ne quis famæ officiat, vel damnum quoddam incurrat, aut ægritudine animum affligat, nemo puto erit, qui in dubium revocaturus eſt, niſi prorſus ignarus fuerit eorum, quæ quotidie obſervare licet, otioſus eorum quæ fiunt ſpectator. Inde vero vim motivi intendi non dubitabit, qui perpendit malum pro ratione magnitudinis movere facultatem averſandi, cum ſatis exploratum ſit, ideo minus præferri majori, ſi ex duobus idem neceſſario eligendum. Unum adhuc reſtat, quod ſilentio prætereundum non eſt. Diximus in antecedente propoſitione, eum, cui odium vitii ingignendum, convincendum eſſe malorum, in quæ ipſum vitium præcipitem dat. Conſtat autem quam difficile ſit, ſive aliquem a poſteriori (§. 985. *Log.*), ſive a priori convincere velis (§. 998. *Log.*). Enimvero ſi quis ſcientiæ non fuerit cas pax, defectus ſupplendus reductione veritatum univerſalium ad ſenſum communem (§. 422. *part. 1. Etb.*), ſufficienter a nobis explicata (§. 242. *& ſeqq. part. 1. Etb.*), & in veritatibus moralibus inculcandis commendata (§. 246. *part. 1. Etb.*). Attendenda hic quoque ſunt, quæ de literarum elegantiorum & ſcientiarum connubio obſervando oſtendimus, quando convictioni locus non eſt. Et quoniam perſuaſio incipit, vbi convictio deſinit, aut deficit, ad perſuaſionem autem plurimum conferunt affectus, ſi legitime excitentur; ea non minus obſervanda ſunt, quæ paulo poſt de uſu affectuum, quatenus in aſſenſum influunt, demonſtraturi ſumus. Sæpius jam inculcavimus & ipſa methodus ſcientifica, qua utimur in philoſophando, aperte idem loquitur, fieri haud quaquam poſſe, ut in ſyſtemate veri nominis omnia tradantur uno in loco, quæ ad eandem rem ſpectant; ſed quæ in divetſis locis demonſtrantur, ea a lectore aſſiduo ac diligente in unam no-

notionem esse congerenda, ut memoriæ felius impressa succurrant, quando iisdem opus habemus.

§. 232.

Quando odium vitii alitur.

Odium vitii alitur, si in observando fuerimus assidui, quomodo id homines deformet, quænam damna inferat, quot molestiis animum afficiat, & quantum metus mali vel venturi, vel eventu saltem possibilis eundem excruciet. Etenim si in observando fuerimus assidui, quomodo id homines deformet, quænam damna inferat, quot molestiis animum afficiat, & quantum metus mali vel venturi, vel eventu saltem possibilis eundem excruciet; ea, quibus odium vitii ingignitur, iterato atque iterato experimur, ut de eorum certitudine minus dubitemus (§. 567. *Log.*). Dum vero de vitio cogitandi incidit occasio, imaginatio reproducit ideas omnium antea de eodem perceptorum, cum nulla adsit ratio, cur unam potius, quam aliam reproducere debeat, eadem nempe reproductionis causa quoad singula existente (§. 117. *Psych. empir.*), easque vi memoriæ recognoscimus (§. 175. *Psych. empir.*). Quamobrem cum ideæ reproductæ a se invicem distingui nequeant, confusam quandam ideam efformant, ex qua tædium percipitur majus, quam ex singulis in se spectatis. Quoniam itaque odium vitii majus minusve est pro gradu tædii inde precepti (§. 679. *Psych. empir.*); si in observando fuerimus assidui, quomodo id hominem deformet, quænam damna inferat, quot molestiis animum afficiat, & quantum mali vel venturi, vel eventu saltem possibilis eundem excruciet, odium vitii continuo crescit, ideoque hoc modo alitur.

Qui novit, quomodo vis imaginationis in aversationem sensitivam augeatur ideis plurimis in unam confusis; is quoque haud difficulter capiet, quomodo affectus in eodem sedem

dem habentes incrementum capiant. Eo ipſo autem una intelligitur, quomodo determinationes præteritæ influant in affectum præſentem: id quod ad receſſus in animis hominum referendum (§. 72. *part. 1. Etb.*) Quando vero diximus, dum de vitio cogitamus, vi imaginationis reproduci ideas eorum omnium, quæ antea diverſo tempore de eodem percepimus; reproductio idearum reſtringenda fuiſſe videtur ad ea, quæ oblivioni non tradidimus. Dubium hoc etſi ſpecie magna ſeſe commendet, protinus tamen evaneſcet, modo animum advertas ad aſſiduitatem in obſervando, quam in propoſitione ſumſimus. Ponamus enim te hodie de turpitudine vitii primum edoctum eſſe, de qua antea ne quidem per ſomnium cogitaveras. Quodſi jam eandem experiris, imaginatio reproducit ideam ejus, qua eandem tibi repræſentaveras, cum docenti aures præberes, & niſi ſuper idea reproducta reflectas, aut ſaltem animum ad eandem attendas, cum præſente, cui aſſociatur, confunditur in unam. Quodſi porro iterato experiris turpitudinem vitii, quam edoctus & poſtea expertus fueras, imaginatio reproducit utramque ſimul ac perconſequens in unum confuſam, ſicque utraque conſervatur, & neutra oblivioni traditur. Facile intelligitur, de continuatis obſervationibus idem prorſus dicendum eſſe, & per conſequens ideas præteritas omnes conſervari in idea quadam confuſa, ſit ita quod ſingulas, quæ eandem ingrediuntur, ſigillatim a ſe invicem diſcernere non valeamus, & hoc nomine eas oblivioni dediſſe dicamur. Ipſa autem impoſſibilitas reſolvendi ideam confuſam in ſingulas, quæ eandem ingrediuntur, receſſum in animo hominis imperſcrutabilem reddit. Quodſi ea, quæ diximus, ita ſeſe minime haberent, nec fieri poterat, ut odium continuatis obſervationibus augeretur: id quod tamen fieri experimur. Equidem negandum non eſt, ſuum quoque ſymbolum conferre certitudinem, quæ iteratis obſervationibus augetur; tenendum tamen certitudinem iſtam adhærere ideæ præſenti, quatenus præteritarum idearum memoriam quandam habemus: incrementum enim certitudinis non

ponitur nisi posita ejus causa. Ceterum quæ hic dicuntur de odio vitii, de rebus quibuscunque aliis valent, quæ incrementum capiunt a præteritis, & jam olim huc spectantia tradidi (§. 593. *& seqq. Psych. empir.*), atque monui, hæc observasse maximi momenti esse in Moralibus (*not. §. cit.*). Exemplum vero hujus asserti est ipsa propositio præsens, & plura occurrent in sequentibus.

§. 233.

Quænam ad urgenda motiva diſertius conducant.

Qui in observando fuerit assiduus, quomodo vitium hominem deformet, quænam damna inferat, & quot molestiis animum afficiat: is multo disertius urgere poterit motiva ad odium ingignendum apta. Etenim cum observator ad casus singulares animum attendat, quæ circumstantiis variant (§. 180. *part. 2. Phil. pract. univ.*); non modo ea ipsi innotescunt, quæ ad urgenda motiva ad odium ingignendum apta faciunt, verum etiam luculentius eidem innotescit turpitudo vitii, innotescunt damna, quæ infert, atque molestiæ, quibus animum torquet, magnitudo periculi clarius percipitur. Quamobrem cum dubitandum non sit, quin motiva ad odium ingignendum apta multo disertius urgere possit is, cui hæc perspecta sunt; qui in obseruandis turpitudine vitii, damnis quæ infert, molestiisque, quibus animum afficit, assiduus fuerit, multo disertius urgere poterit motiva ad odium ingignendum apta.

Multus hic prudentiæ locus est (§. 466. *part. 1. Etb.*), ad quam acquirendam conducit ars observandi (§. 468. *part. 1. Etb.*). Quamobrem qui multarum rerum experientia instructus est, eidem quoque multa succurrent, quorum cogitatio aliorum animos minime subit, & in rimandis casus præsentis circumstantiis aliis erit oculatior.

§. 234.

Digitized by Google

§. 234.

Amor virtutis inſtillatur, ſi quis convincatur pulchritudinis virtutis, lucri hinc ſperandi & felicitatis, quam parit, immo etiam incarentiæ deformitatis vitii, damni inde ſequentis & infelicitatis, quam parit, atque periculi, cui vitio deditus exponitur, ſi quis virtutem colit. Cum enim pulchritudo virtutis in nobis producat voluptatem (§. 545. *Pſych. empir.*), res autem inanimatas amemus, quatenus ex iis voluptatem percipimus (§. 657. *Pſych. empir.*); qui pulchritudinis virtutis convincitur, ei amor virtutis inſtillatur. *Quod erat primum.* *De amore virtutis inſtillando.*

Quoniam lucrum conſiſtit in re, quæ bonis noſtris ſuperaccedit, iisdem non deminutis (§. 613. *part. 3. Jur. nat.*) ſtatum noſtrum perfectiorem reddit (§. 556. *Pſych. empir.*). Quamobrem qui lucri ex virtute ſperandi convincitur, is perfectionis ſtatus ſibi conſcius eſt, quæ virtuti debetur, conſequenter ex virtute voluptatem percipit (§. 511. *Pſych. empir.*). Unde porro eodem, quo ante *n.* 1. modo colligitur, ei amorem virtutis inſtillari, qui lucri hinc ſperandi convincitur. *Quod erat ſecundum.*

Felicitatem homines per naturam ſuam appetunt (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter cum nihil appetamus, niſi quatenus voluptatem creat (§. 156.), ex eo, quod felicitatem parit, voluptatem percipiunt. Quodſi ergo quis convincatur felicitatis, quam parit virtus, immo quod ſine ea nemo felix eſſe poſſit, neque felicitas ab eadem ſeparari (§. 400. *part. 1. Phil. pract. univ.*); quin ex virtute voluptatem percipiat dubitandum non eſt. Quamobrem denuo ut ante *n.* 1. porro patet, virtutis amorem inſtillari, ſi quis felicitatis, quam parit virtus, convincatur. *Quod erat tertium.*

Deni-

Denique cum per ſe pateat, virtuti deditum animum a vitio vacuum habere (§. 321. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); virtuti deditus a vitio non deformatur, liber eſt a damno, quod vitium dat, nec obnoxius fit infelicitati, quam parit vitium, neque etiam quicquam ipſi metuendum a periculo, cui vitio deditus exponitur. Quoniam itaque horum conſideratio vitium exoſum reddit (§. 230.); virtus ſeſe nobis commendat, quatenus contra hæc mala nos munit. Quamobrem cum bonum ſit abſentia mali (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*); quin ex virtute, quatenus mala a nobis procul abeſſe jubet, voluptatem percipiamus, dubitandum non eſt (§. 904. *Pſych. empir.*) & §. 156. *h.*). Hinc itaque porro ut ante *n. 1.* colligitur, virtutis amorem inſtillari, ſi quis convincatur carentiæ deformitatis vitii, damni inde ſequentis & infelicitatis quam parit, atque periculi, cui vitio deditus exponitur, ſi quis virtutem colit. *Quod erat quartum.*

Virtutem amare idem eſt ac eadem delectari. Delectamur autem non modo iis, quæ bona in nos conferunt, verum etiam his, quæ mala arcent & contra ea nos muniunt. Quamobrem ad inſtillandum amorem virtutis non modo faciunt, quæ largiter conferuntur, verum etiam quæ procul a nobis abeſſe jubentur. Atque hoc pacto amor virtutis & vitium odii in ſe mutuo influunt, ita ut quæ faciunt ad odium vitii ingignendum amorem virtutis, & quæ ad hunc inſtillandum faciunt odium vitii intendant. Pulchritudinis virtutis tanta vis eſt, ut etiam in hoſte poſita delectet. Virtutes nimirum omnes bonum perfectivum ſunt, ad perfectionem accidentalem naturæ humanæ facientes (§. 61.), ac ideo aptæ ad voluptatem in nobis producendam (§. 511. *Pſych. empir.*), ideoque pulchræ (§. 545. *Pſych. empir.*). Quamobrem homini naturale eſt, ut pulchritudine virtutis delectetur, ideoque ob pulchritudinem eandem amet, modo eandem ſatis perſpiciat, nec contrariis affecti-

affectibus quacunque de cauſa in transverſum agatur animus. Inde ſane eſt, quod virtutem in aliis amare & laudare ſoleant, qui ipſimet vitio ſunt dediti. Ceterum quæ ſupra annotavimus, cum de odio vitii ingignendo ageremus, ea quoque mutatis mutandis hic tenenda ſunt. Ut autem pulchritudo virtutis & deformitas ſeu turpitudo naturalis vitii intimius perſpiciatur, tenendum eſt, virtutem hominem maxime decere, vitium autem dedecere. Etenim virtus habitus eſt actiones legi naturali conformiter (§. 321. *part. 2. Phil. pract. univ.*), vitium vero habitus easdem contraria ratione dirigendi, quam lege naturali præſcribitur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum actiones rectæ, quas urget lex naturæ (§. 189. 190. *part. 1. Phil. pract. univ.*), hominem maxime deceant & omnes actiones lege naturali permiſſæ, vel præceptæ naturaliter decoræ ſint, quatenus hominem decent (§. 197. *part. 1. Phil. pract. univ.*), actiones autem minus rectæ hominem maxime dedeceant (§. 200. *part. 1. Phil. pract. univ.*) & omnes actiones lege naturali prohibitæ indecoræ ſint, quatenus hominem dedecent (§. 198. *part. 1. Phil. pract. univ.*); virtus quoque hominem maxime decet, vitium vero dedecet. Virture igitur homo ſe hominem probat; vitio autem ſe a natura humana degeneraſſe. Homo potentia homo naſcitur, quatenus facultatibus inſtructus, quæ diligentia induſtriaque in habitus vertuntur, actu autem fit homo, recto illarum uſu acquiſito: quodſi vero uſus in abuſum abit, fit non homo, animal quoddam inter hominem & brutum intermedium, quod etſi in aliis linguis peculiari nomine deſtituatur, in vernacula tamen habet. Dicitur enim ein Unmenſch. Et ſane differunt homo, brutum & non homo ſive ein Unmenſch. Etenim homo a brutis diſtingvitur ratione, brutum ab homine carentia rationis; aſt homo a non homine rationis uſu, non homo ab homine rationis abuſu. Diverſa vero utique ſunt ſicuti ratio & carentia rationis, ita quoque uſus & abuſus rationis. Et ſane majus quid eſt abuſus rationis, quam ca-

rentia rationis. Hæc non alio fine urgemus, quam ut pulchritudo virtutis, deformitas vitii intimius perſpiciatur. Turpe inprimis eſt eruditos, quibus virtus ſe parum commendat, utut uſu facultatum cognoſcendi præſtare aliis ſtudeant, ad hoc animum non attendere, nec vim pervulgati iſtus dicti percipere, quo in literis proficiens, in moribus vero deficiens plus deficere, quam proficere fertur.

§. 235.

Quænam in amore inſtillando potiſſimum obſervanda.

Quoniam amor virtutis inſtillatur, ſi quis convincitur pulchritudinis virtutis, lucri hinc ſperandi & felicitatis, quam parit, immo etiam carentiæ deformitatis vitii, damni inde ſequentis & infelicitatis, quam parit, atque periculi, cui vitio deditus exponitur, ſi quis virtutem colit (§. 234.); pulchritudo autem voluntatem honoris cupidi (§. 175.), lucrum voluntatem lucri cupidi (§. 173.), felicitas, hoc eſt, ſtatus, quo voluptas vera perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*), voluntatem voluptuoſi determinant (§. 166.), modo agnoſcatur, quantum voluptas vera delectationes ſenſuales ſuperet, & voluntas per pulchritudinem, lucrum & felicitatem determinata attento animo ad carentiam deformitatis, damni & infelicitatis atque periculi noluntatem in conſenſum trahit (231.); *ſi amor virtutis inſtillandus, nunc magis urgeri debet pulchritudo virtutis cum carentia deformitatis vitii, nunc lucrum, quod dat virtus, cum damno, quod infert vitium, nunc felicitas, quam parit virtus, cum infelicitate, quam gignit vitium, & periculo, quod vitium creat, prouti vel honoris, vel lucri, vel voluptatis quis magis fuerit cupidus, & ab eo motivo initium faciendum, quod inclinationi dominanti reſpondet,* cumque pro varietate circumſtantiarum nunc magis interſit, ut quis famæ ſuæ conſulat, vel lucrum non negligat, vel animum lætum ac tranquillum conſervet, *quæ in urgendo motivo circumſtantiæ ſingulares ſuadent, ad ea inprimis attendendus eſt animus.*

Quæ

Quæ ſupra ſatis prolixe inculcavimus, cum oſtenderemus, quænam in odio ingignendo potiſſimum obſervanda ſint (*not.* §. 231.), eadem quoque hic tenenda ſunt, facile mutatis mutandis. Amor virtutis cum vitii odio una ingignitur, ſi quis vitio nondum fuerit deditus, multoque facilius, tum quod vitium nondum delectet, tum quod non ſit dediſcendum: aſt ubi quis vitio fuerit aſſuetus, cum id ante debellandum ſit, quam is ad virtutem adduci poſſit, odium vitii ante ingignendum, quam amor virtutis inſtilletur. Multa adhuc ſunt, quæ hic utiliter moneri poterant: aſt cum in generalibus nobis non liceat eſſe prolixioribus, ea tractationi ſpeciali reſervamus, præſertim cum ibidem majore luce radient.

§. 236.

Amor virtutis alitur, ſi in obſervando fuerimus aſſidui, quo- *De amore*
modo ea hominem ornet & quam laudem pariat, quantum det lucrum, *virtutis a-*
quanta voluptate animum perfundat & quam tranquillum eundem *lendo.*
conſervet, tum etiam quamnam deformitatem, quænam damna, quas-
nam moleſtias, quantum quoque metum mali arceat & avertat. Etenim ſi in obſervando fuerimus aſſidui, quomodo virtus hominem ornet, quamque laudem pariat, qantum det lucrum, quanta voluptate animum perfundat & quam tranquillum eundem conſervet, tum etiam quantam deformitatem, quænam damna, quasnam moleſtias, quantum metum mali arceat & avertat, ea, quibus amor virtutis inſtillatur (§. 234.), iterum atque iterum experimur, ut de eorum certitudine minus dubitemus (§. 567. *Log.*). Dum vero de virtute occaſio cogitandi incidit, imaginatio reproducit ideas omnium antea de eodem perceptorum, cum nulla adſit ratio, cur unam potius quam alteram reproducere debeat, eadem nimirum reproductionis cauſa quoad ſingulas exiſtente (§. 117. *Pſych. empir.*), easque vi memoriæ recognoſcimus (§. 175. *Pſych. empir.*). Quamobrem

obrem cum ideæ reproductæ a ſe invicem diſtingvi nequeant, confuſam quandam ideam efformant, voluptatis majoris genetricem, quam ſingulæ in ſe ſpectatæ producere poterant. Quoniam itaque amor virtutis major minorve eſt pro gradu voluptatis inde perceptæ (§. 654 *Pſych empir.*); ſi in iis obſervandis fuerimus aſſidui, quæ propoſitio commendat, amor virtutis continuo creſcit, ideoque hoc modo alitur.

Quæ ſupra annotavimus, cum de odio vitii alendo ageremus (*not.* §. 232), de vi imaginationis in averſationem ſenſitivam influente; ea etiam tenenda ſunt de influxu ejusdem in appetitum ſenſitivum, quo amor virtutis incrementa capit. Utiliter quoque releguntur ea, quæ de uſu exemplorum & experientiæ domeſticæ cum in genere, tum in ſpecie in philoſophia practica demonſtravimus (§. 258. *& ſeqq. pract. 2. Phil. pract. univ.*). Id præterea probe notandum, amorem virtutis atque odium vitii non ingigni in inſtanti, præſertim ſi conſtantia & perpetuitas deſideretur, ut ſcilicet affectus in quolibet caſu recurrente excitetur, nec ullis rationibus vinci poſſit, aſſiduus comes virtutis ac vitii, quoties de alterutro incidit cogitatio. Sicuti enim ſenſus certitudinis non adhæret aſſenſui, niſi ubi propoſitionem tibi familiarem reddideris & ſæpius iterata reproductione fit major; ita quoque amor virtuti & odium vitio indivulſo nexu non aſſociatur, niſi continuata diligentia affectum excitandi, & conſtantia atque perpetuitas iterata ſæpius reproductione firmior efficitur. Atque idem tenendum eſt de iis omnibus, quæ habitum participant.

§. 237.

Quænam ad urgenda modiva ad amorem virtutis

Qui in obſervando fuerit aſſiduus, quomodo virtus hominem ornet, quodnam lucrum afferat, quomodo animi tranquillitatem conſervet & quanam voluptate eundem perfundat, a quanam deformitate hominem immunem præſtet, quænam damna avertat, quasnam moleſtias

leſtias arceat, a quonam periculo hominem prohibeat; is multo diſertius urgere poterit motiva ad inſtillandum amorem virtutis apta. Et enim cum obſervator aſſiduus ad caſus ſingulares obvios, qui circumſtantiis variant (§. 180. *part. 2. Phil. pract. univ.*), animum attendat; non modo ea ipſi innoteſcunt, quæ ad urgenda motiva ad amorem virtutis inſtillandum apta faciunt, verum etiam luculentius eidem innoteſcit pulchritudo virtutis, ob quam ea nobis placet in aliis, innoteſcit lucrum, quod affert, tranquillitas animi, quæ conſervatur, atque voluptas, qua is perfunditur, & ubi ſimul animus attenditur ad ea, quæ de vitio virtuti oppoſito obſervantur, luculentius quoque agnoſcitur deformitas, a qua immunes nos præſtat virtus atque ſecuros adverſus meritas proborum exprobrationes, quænam damna, quænam pericula avertantur, quænam moleſtiæ arceantur. Quoniam itaque quivis facile largitur, quod motiva ad amorem inſtillandum apta multo diſertius urgere poſſit is, cui hæc perſpecta ſunt (§. 234.); qui in obſervandis iis, quæ in hypotheſi propoſitionis præſentis ſumuntur, fuerit aſſiduus, multo diſertius urgere poterit motiva ad amorem inſtillandum apta. *conciliandum apta conducant.*

Quæ ſupra annotavimus, cum de iis ageremus, quæ ad urgenda diſertius motiva ad odium ingignendum apta conducunt (*not.* §. 233.); ea quoque hic notanda veniunt. Ne quis vero in ſenſum perverſum trahat, quæ de motivis ad odium vitii ingignendum & amorem virtutis inſtillandum aptis dicuntur, quædam adhuc monenda ſunt. Motiva ſunt ratio ſufficiens volitionis ac nolitionis (§. 887. *Pſycb. empir.*), ideoque appetitus & averſationis rationalis (§. 880. 881 *Pſycb. empir.*), affectus vero ſunt actus vehementiores appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. 603. *Pſycb. empir.*), quibus itaque excitandis non convenire videntur motiva, per quæ appetitus rationalis & averſatio, ſeu voluntas & noluntas determinatur. Te-

nendum igitur eſt, dum per motiva voluntatem & noluntatem determinare ſtudemus, una ſuſcitari imaginationem, quæ influendo in appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam utramque facultatem in conſenſum cum appetitu & averſatione rationali, ſeu voluntate & noluntate trahit. Cum affectus oriantur ex confuſa (§. 605. *Pſycb. empir.*), voluntas & noluntas ex diſtincta repræſentatione boni & mali (§. 880. 881. *Pſycb. empir.*), bonum vero & malum in ſe unum idemque maneat, ſive notione diſtincta explicetur, ſive idea quadam confuſa repræſentetur, cum modus repræſentandi rem unam eandemque non mutet ipſam rem; facile hæc diſertius oſtendi poterant. Enimvero cum paulo poſt, quando de affectibus acturi ſumus, de hiſce diſertius dicendum ſit, plura in præſenti addere nolumus. Sane cum amor atque odium in affectuum numero ſint (§. 649. 677. *Pſycb. empir.*); quæ in ſequentibus de affectibus in genere, tum etiam de amore & odio rerum præſertim inanimatarum, in quarum numerum referendus amor virtutis, referendum odium vitii, demonſtrabuntur, uberiorem quoque lucem affundent modo inſtillandi amorem virtutis & ingignendi odium vitii. Sæpius jam diximus, facultates animæ ad determinationem certi cujusdam actus mirifice concurrere, cumque concurſus dependeat a determinationibus præteritis, quarum expreſſam memoriam non habemus, ut nobis parum conſciis influant in determinationes actus facultatis cujuslibet præſentes, eam vix ac ne vix quidem agnoſcimus, multo minus perfecta analyſi diſtincte exponere valemus. Si daretur biographia hominis, in quibus ſinguli actus a prima infantia continua ſerie deſcriberentur, tum receſſus & latebræ in animo ejusdem, quo referenda ſunt quæ in præſenti dicuntur, perfecta analyſi ad notionem adæquatam reducere poſſemus. Aſt iſtiusmodi biographia cum poteſtati noſtræ minime ſubjiciatur; nemo quoque defideret in caſu dato, quæ vires humanas longe tranſcendunt.

§. 238.

Digitized by Google

§. 238.

De incremento corruptionis.

Si quis diu vitio indulget, voluntas continuo magis magisque corrumpitur. Etenim si quid sæpius jam appetivimus, vel aversati fuimus; id denuo oblatum statim appetimus, vel aversamur, nulla ratione, cur idem appetamus, vel averſemur distincte expensa (§. 922. *Psych. empir.*), consequenter habitus acquiritur agendi ex determinatione præterita, quatenus scilicet motivorum confuse perceptorum memoriam habemus (§. 430. *Psych. empir.*), ac ideo, quo diutius vitio indulgemus, eo majora habitus iste capit incrementa (§ 431. *Psych. empir.*). Quoniam itaque hoc pacto voluntas continuo magis magisque determinabilis fit ad actiones malas committendas (§. 428. *Psych empir.*), ideoque proclivior ad malum (§. 10.), ac per consequens difficultas sese determinandi ad actionem bonam malæ contrariam committendam & negligentia in eadem committenda continuo augetur, ideoque voluntas segnis & iners efficitur ad bonum (§. *cit.*), in hac autem proclivitate ad malum & segnitie atque inertia ad bonum corruptio voluntatis consistit (§. *cit.*); si quis diu vitio indulget, voluntas continuo magis magisque corrumpitur.

Experientia abunde confirmat veritatem propositionis præsentis, ita ut de ea vix quisquam dubitet, nisi qui in observandis tam propriis, quam aliorum actionibus negligens fuerit. Ex demonstratione autem patet ratio continui incrementi corruptionis. Notandum vero, quænam sit vis imaginationis in facilitanda determinatione ad malum. Quoniam nihil appetimus, nisi quatenus ex eo voluptatem percipimus (§. 156.), qui actiones malas committit, is malo delectatur. Quodsi ergo animo recolamus ea, quæ de continuo incremento vis imaginationis in appetitum sensitivum & aversationem sensitivam annotavimus (*not.* §. 232. 236.); quod determinabilitas volun-

voluntatis ad malum continuo magis magisque facilitari debeat, quo diutius quis vitio indulget, intimius perſpiciemus. Non tribuendum hoc eſt corruptioni naturæ humanæ, ſed eidem proprium eſt, ut iteratis actionibus agendi facilitas contrahatur. Neque hoc in ſe malum eſt, cum nec habitus boni acquiri poſſent, ideoque nec virtutis capax eſſet homo (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), niſi ea eſſet ejus natura. Homo igitur ſe ipſum corrumpit, dum vitio indulget, quod recto uſu facultatum fugere poterat atque debebat, fit ita quod in vitium incidat culpa aliorum, qui in educatione officio ſuo deſunt, vel qui eundem quocunque modo ſeducunt: neque enim jam attendimus cauſam remotam, a qua initium ſumit vitium. Exempla ſceleſtorum manifeſto docent, quomodo malitiae, vel libidinis gradus continuo creverint. Et qui naturam animæ humanæ ex Pſychologia ſatis cognitam atque perſpectam habet, is ignorare minime poterit rationem tranſitus a gradu inferiori ad ſuperiorem, quamvis tranſiens ſibi ejusdem non ſit conſcius. Non dubito fore haud paucos, quibus noſtrum Ethicam tradendi ſtudium minime probabitur, propterea quod exiſtimaturi ſunt, philoſophiam moralem pertinere ad homines omnes, paucos vero eſſe inter ipſos eruditos, qui ad rationes perſcrutandas animum appellere velint. Aſt hi perpendant velim philoſophi eſſe, ut rationem reddat eorum, quæ fieri obſervamus, & cognitionem philoſophicam plurimum præſtare communi in ipſa etiam praxi, præſertim morali, prouti abunde conſtabit, ubi laborem, quem inchoavimus, exantlaverimus. Philoſophus non ſcribit vulgo, etſi qui didicit ea, quæ docet, vulgo etiam prodeſſe poſſit, immo eo fine diſcat, ut profit imperitis. Abſit itaque, ut exiſtimes, te inanem operam ſumere, ubi inſtructus iis, quæ docemus, in rationes inquiſiveris eorum, quæ exempla monſtrant fieri poſſe. Corruptionis continua incrementa, ſi quis in vitiorum tramite continuo pergit, nemo in dubium vocare poteſt: cum vero eadem rationem ſufficientem habeant, homini intellectus datus eſt, ut eandem ſcrutetur, & ubi eam

derexit,

Digitized by Google

detexit, rationalitas ejus augetur, quæ quo fit major, eo magis naturam humanam probat & ultra brutorum ſortem extollit: id quod paradoxum videri nequit, niſi ei, qui hominem a bruto ratione potiſſimum diſtingvi negare auſit, unde omnino ſequitur, ut tanto magis diſtingvatur, quantum ratione præſtat, ratione humanitatis menſura conſtituta. Hæc minime repugnant iis, quæ paulo ante de virtute annotavimus (*not.* §. 234.). Vita enim hominis virtute præditi legi naturali convenit (§. 121. *part. 1. Phil. pract. univ.*): vita autem legi naturæ conveniens eadem cum vita rationi conveniente (§. 57. *pract. 2. Philpract. univ.*). Natura homines omnes æquales ſunt, etiam ſi phyſice conſiderentur, quatenus easdem habent facultates: aſt pro diverſo facultatum uſu, quem acquirunt, utique efficiuntur inæquales, ut quoad ipſam humanitatem gradu differant.

§. 239.

Quoniam voluntas continuo magisque corrumpitur, ſi quis diu vitio indulget (§. 238.), conſequenter difficultas emendandi voluntatem augetur (§. 154.); ideo *tempeſtive emendationi voluntatis opera danda eſt*, & quoniam ejus animo, qui a vitio avocandus & ad virtutem adducendus, odium vitii ingignendum & amor virtutis eidem inſtillandus, *a primo actu, qui principium vitii eſt, abſtinendum, & contra eundem odio vitii, amore virtutis animus munieudus.* *De tempeſtiva voluntatis emendatione.*

Magnum, immo maximum contra vitium præſidium eſt ſibi ſollicite cavere ab actu primo. Etenim quamdiu nullo adhuc actu commaculatus eſt animus, pugnandum ſaltem contra invitamenta ad malum. Aſt ubi actu perpetrato voluptatem apparentem & nocuam, quam creat vitium, expertus fueris, accedunt irritamenta, & invitamenta acquirunt vim fortiorem ad ſtimulandum appetitum, continuo augendam, quo diutius vitio indulges, prouti ex demonſtrationibus anterioribus ſatis

ſuperque patet. Cui itaque ſeria eſt voluntas a vitio ſibi cavendi, ei curæ cordique maxime eſſe debet, ne in actum primum conſentiat, cum quo proclivitas ad malum, ideoque corruptio voluntatis incipit (§. 10.). Atque hinc etiam videmus, quantæ utilitatis, immo neceſſitatis ſit, ut in formandis moribus ratio habeatur eorum, quæ ad præcavendum corruptionem faciunt, utut voluntatem perficere nondum detur.

§. 240.

De emendatione hominis bonæ voluntatis, qui erroneis de actionibus opinionibus imbutus.

Si homo bonæ voluntatis & noluntatis committit actionem legi naturæ adverſam, quia putat eam eadem præceptam, vel non prohibitam, ſeu permiſſam eſſe; ejus voluntas emendatur, ſi erroris ſui convincitur & emendatio facilior, quam ſi voluntas nondum bona fuerit. Si quis enim bonæ fuerit voluntatis, ea generaliter determinata eſt ad actiones committendas, quæ legi naturæ conveniunt, aut voluntati divinæ conformes ſunt (§. 121.), &, ubi bona fuerit noluntas, ea generaliter determinata eſt ad non committendum actiones, quæ lege naturali prohibentur, vel voluntati divinæ repugnant (§. 127.). Quodſi ergo actionem legi naturæ adverſam committit, quia putat eam eadem præceptam, non ideo eam committit, quia mala eſt, aut malum ipſum delectat, ſed quia arbitratur, ſe facere quod facere obligatur, & quod Deus vult. Et, ubi committit actionem lege naturæ prohibitam, quia putat, eam prohibitam non eſſe, ſed permiſſam, non ideo eam committit, quia propoſiti ſui immemor eſt, aut bonam voluntatem vincit voluptas, quam vitium creat, ſed quia arbitratur, ſe frui voluptate licita, Deo minime repugnante. Quamobrem ſi convictus foret, actionem lege naturæ minime præcipi, ideoque voluntati divinæ convenire, aut eam lege naturali, ſeu a Deo prohibitam eſſe; neutram committere vellet. Quamobrem ſi erroris ſui convincitur, diſplicebit

cebit actio, quam vel præceptam, vel permiſſam judicabat, & ab ea ſeſe abſtinebit, conſequenter voluntas, dum perficitur (§. 133.), emendatur. (153.). *Quod erat unum.*

Enimvero cum in hypotheſi propoſitionis præſentis voluntas jam determinata ſit ad actionem contrariam committendam, modo conſtet, eam legi naturæ, ſeu voluntati divinæ conformem eſſe, *per demonſtrata n. 1.* conſequenter corruptio, quæ ab errore unice pendet, tollatur, eodem cognito; voluntas utique facilius emendatur, quam ſi quis parum curat, utrum actio legi naturæ aut voluntati divinæ conveniat, nec ne, conſequenter emendatio voluntatis in hypotheſi propoſitionis præſentis facilior. *Quod erat alterum.*

Si voluntas emendanda, & bona efficienda, & perficienda (§. 153.). Quodſi ergo jam bona exiſtit, ſed erronea de actione opinione ſaltem corrumpatur; tantummodo perficienda. Opera igitur, quæ impendenda erat, ut voluntas bona efficiatur, ceſſat. Minor autem labor eſt, quæ parti alterius æqualis (§. 352. *Ontol.*). Non eſt, quod objicias, difficile eſſe ut quis erroris ſui convincatur. Quamvis enim hoc ultro largiamur, eadem tamen difficultas ſemper adeſt, ubi voluntas emendanda, non modo quatenus perficienda, verum etiam quatenus bona efficienda. Voluntatis nimirum & nolutatis corruptio dependet a vitio intellectus (§. 15.), conſequenter ſemper nititur erroneis de actionibus opinionibus, quibus homo appetitum & averſationem corrumpit. Fieri equidem poteſt, ut voluntas hominis particulariter corrupta ſit, eadem ceteroquin bona exiſtente; ſed de hoc caſu in præſenti ſermo non eſt, cum ſumamus, actionem vi voluntatis bonæ committi, quia putatur, eam lege naturæ præceptam vel permiſſam eſſe. Corruptionem vero voluntatis cum bona voluntate atque noluntate conſiſtere poſſe, errore de actionibus le-

ge naturæ præceptis, vel permiſſis, illam contaminante, experientia docet & exempla in ſcriptis hiſtoricorum obvia confirmant.

§. 241.

Impedimentum emendationis voluntatis.

Quoniam voluntas hominis bonæ voluntatis & noluntatis emendatur, ſi erroneas de actionibus legi naturæ, ſeu voluntati divinæ convenientibus opiniones foveat, dum erroris ſui convincitur (§. 240.); *emendationem voluntatis impedit opinio, quod actionum bonarum & malorum exacta ſcientia ad eandem non requiratur, ſed generalia quædam de iis cognoſcere ſufficiat.*

Voluntas non ante emendata eſt, quam ſi fuerit & bona, & perfecta (§. 153.), ideoque eidem nocet omnis de actionibus bonis & malis error. Quamdiu quis erroneam de actione fovet opinionem, quaſi ſit præcepta, vel permiſſa lege naturæ, voluntas, quatenus bona eſt, proclivis eſt ad illam committendam, & noluntas nondum determinata eſt ad hanc fugiendam. Ipſi igitur voluntati & noluntati bonæ, quamdiu nondum perfecta, inhæret corruptio (§. 10.), ſi errat intellectus de actionibus legi naturæ, aut voluntati divinæ convenientibus. Neque hoc mirum videri debet, cum voluntatis & noluntatis corruptio a vitio intellectus dependeat (§. 15.). Exempla quoque ubivis obvia adeo manifeſto probant, quanta ſit corruptio voluntatis & noluntatis, quam error obſtetricante bona voluntate parit. Pertinent huc mala, quæ ſuperſtitio & religio hominibus perſuaſit, & plura animadvertere poterimus, ubi vitia particularia explicaverimus. Emendationi igitur voluntatis obſtaculum maximum opponunt, qui ſibi aliisque perſuadere conantur, ad virtutem non requiri multam ſcientiam, ſed ſufficere ut quis paucas quasdam easque confuſas actionum bonarum atque malarum habeat notiones, immo opinantur, ad cognitionem earundem non requiri, niſi ut quis vocabulis, quibus eædem ſignificantur, jungat notiones confuſas, quas ipſum docuit communis loquendi

di uſus. Condonandus videri poterat hic error, etſi maxime nocuus, hominibus, quorum miſeranda fors eſt, quod absque culpa ſua intellectum perficere minime potuerint: aſt cum hodie non deſint, qui cum Argo oculatiores videri velint & reformatorum partes ſibi arrogant, omnem morum doctrinam paucis quibusdam vocabulis, quibus noñiſi confuſæ ex communi ſermone hauriendæ notiones reſpondent, comprehenſam pro conſummata theoria morali aliis obtrudunt, eorum arrogantia excuſationem nullam meretur. Dolendum omnino eſt eos, qui literis operam navant, majorem operam collocare in librorum lectione, quam in perficiendo intellectu: unde enaſcitur monſtroſa illa multiſcientiæ opinio, arrogantiæ genetrix, de qua modo conqueſti ſumus. Cum ex iis, quæ ſuperius de differentia voluntatis bonæ atque perfectæ & illius inſufficientia demonſtrata ſunt (§. 131. *& ſeqq.*), jam pateat fons opinionis tam perverſæ, immo abſurdæ, & absque difficultate refellantur objectiones, quæ contra ſcientiam exactam mali & boni moveri ſolent; hiſce diutius immorari nolumus.

§. 242.

Quoniam emendationi voluntatis maxime obſtat opinio, quod ad eam actionum bonarum & malarum exacta ſcientia non requiratur, ſed generalia quædam de iis cognoſcere ſufficiat (§. 241.); ut impendimentum iſtud tollatur, *eradicanda eſt opinio iſta per exempla eorum, quibus evincitur, homines bonæ voluntatis ideo actiones malas committere, quia voluntas ipſorum bona eſt, ſi erroneis opinionibus occœcatam mentem poſſident; immo ipſam bonitatem voluntatis parere pertinax male agendi ſtudium.* *Quomodo impedimentum iſtud tollendum.*

Equidem facile a priori refellitur opinio iſta eodem prorſus modo, quo oſtendimus, ſi homo bonæ voluntatis erroneas foveat de actionibus bonis & malis opiniones, non obſtante bona voluntate eundem actiones malas committere, bonas fugere (§. 131.); conſultius tamen videtur, ut periculum,

cui homo bonæ voluntatis exponitur, ob defectum ſcientiæ boni & mali, exemplis doceatur (§. 269. 270. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Seligenda inprimis ſunt exempla, quæ produnt facta maxime deteſtanda, ad quæ determinata fuit voluntas, quia bona fuit, per opinionem erroneam, quamvis quoque non negligenda ſint talia, quibus probatur, voluntatis bonitatem non obſtitiſſe, quo minus vitio quodam eandem contaminaret error de actione lege naturali permiſſa. Ab opinione iſta abſurda immunis erit, qui facultates animæ earumque a ſe invicem depedentiam quoad uſum ex Pſychologia ſibi cognitam & perſpectam reddidit. Sola enim Pſychologiæ ignorantia illam peperit, & eadem ignorantia in cauſa eſt, ut homines, qui ſupra alios ſapere ſibi videntur, eandem opinionem amplectantur, nec abſurditatem manifeſtam, qua laborat, animadvertant. Non ignota ſunt exempla, quæ hic commendantur, opinionis abſurdæ defenſoribus; ſed quando de opinione ſua loquuntur, ad illa animum non attendunt, & quando de exemplis incidit cogitatio, opinio iſta animum ab eo avertit, quod bonitas voluntatis influat in determinationem actionis malæ.

CAPVT III.

De modo concitandi & ſedandi affectus.

§. 243.

De impoſſibilitate eradicandi affectus

Affectus eradicari nequeunt. Affectus enim oriuntur ex confuſa boni et mali repræſentatione (§. 605. *Pſych. empir.*). Enimvero bonum a ſenſu confuſe repræſentatur per voluptatem, quæ inde percipitur (§. 561. *Pſych. empir.*) & malum per tædium ſive moleſtiam, quæ nobis creatur (§. 573. *Pſych. empir.*), cumque nihil appetamus niſi quatenus volu-

voluptatem ex eo percipimus, nec quicquam averſemur, niſi quatenus moleſtiam creat (§. 156.), ideoque appetitus naturaliter determinatus ſit ad appetendum ea, quæ voluptatem creant, & averſatio determinata ſit ad averſandum ea, ex quibus moleſtia percipitur (§. 158.), quin appetitus & averſatio ſtimuletur, dum ſenſus per voluptatem bonum, per moleſtiam malum repræſentant, fieri nequit. Et quoniam ſi nobis rem tanquam bonam confuſe repræſentamus, ideam boni ingrediuntur voluptates quæcunque ex re iſta, vel cum eadem ſimul antea perceptæ (§. 593. *Pſych. empir.*), ſi vero tanquam malam, ideam mali ingrediuntur tædia quæcunque ex re iſta, vel cum eadem antea ſimul percepta (§. 594. *Pſych. empir.*), ſicque appetitus (§. 595. *Pſych. empir.*) & averſatio efficitur fortior (§. 596. *Pſych. empir.*), imaginatio vero antea cum re percepta reproducit, dum ea ſenſu percipitur (§ 117. *Pſych. empir.*); quin vi imaginationis appetitus & averſatio ad appetitum & averſationem, quos ſtimulat, fortius ſtimulentur, fieri nequit. Quamobrem cum affectus ſint actus appetitus ſenſentivi & averſationis ſenſitivæ, quorum ille confuſa boni (§. 580. *Pſych. empir.*), hæc autem confuſa mali repræſentatione oritur (§. 582. *Pſych. empir.*), vehementiores (§. 603. *Pſych. empir.*); ſi quis affectus eradicare deberet, efficiendum foret, ne objectum ſenſibile voluptatem crearet, quam creat, nec tædium, ſive moleſtiam, quam parit, ne imaginatio reproduceret ideas cum eodem antea ſimul perceptorum, & ne voluptate appetitus, moleſtia averſatio ſtimularetur. Quoniam itaque fieri nequit, ut in ſenſationibus quicquam immutemus (§. 78. *Pſych. empir.*), nec in poteſtate noſtra poſitum eſt, utrum ſentire velimus, nec ne, quando obiectum ſenſibile in organum ſenſorium

ſorium agit (§. 79. *Pſych. empir.*), in poteſtate quoque noſtra non eſt legem imaginationis, qua nititur cum obiecto ſenſibili antea perceptorum ideæ reproductio (§. 117. *Pſych. empir.*), & naturalem determinabilitatem appetitus per voluptatem atque averſationis per moleſtiam (§. 158.) pro lubitu immutare; affectus quoque eradicari nequeunt.

Oſtendimus alias, nos affectuum impetu abripi ad legem naturæ transgrediendum (§. 537. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & alia adhuc ratione impediri, quo minus legi naturæ convenienter agamus (§. 538. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Nemo igitur in dubium vocabit, fortiſſimum fore contra vitia quævis præſidium affectuum carentiam. Aſt qui ſibi hoc præſidium quærit, is profecto operam perdit. Qui affectus eradicare jubet, is hominem naturam humanam exuere debere vult. Ex demonſtratione enim manifeſtum eſt, quamdiu homo ſenſu, imaginatione & appetitu ſenſitivo atque averſatione ſenſitiva pollet, tamdiu quoque affectibus obnoxium eſſe animum eius. Deus affectibus caret, quia caret appetitu ſenſitivo & averſatione ſenſitiva, ſenſus atque imaginatione (§. 157. 1101. & ſeqq. *part. 1. Theol. nat.*). Quodſi homo ſimiliter affectibus carere deberet, nec ſenſu, nec imaginationem, nec appetitum ſenſitivum, neque etiam averſationem ſenſitivam habere deberet. Ecquis vero non videt niſi naturæ humanæ fuerit prorſus ignarus, affectus eradicare idem eſſe ac naturam humanam in aliam transmutare? Naturæ igitur humanæ valde imperitum ſe probaret, qui affectus eradicandos eſſe ſerio contenderet. Enimvero cum appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva ad conſenſum cum rationali reduci poſſint (§. 581. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ideoque etiam effici, ut affectus eo trahant, quo voluntas ducit, & ab eo retrahant, a quo noluntas reclinat; in Ethica in id inprimis inquirendum, quomodo ex affectibus nobis quæramus præſidium vitiis & adjumentum virtutibus. Quamobrem cum eo ſine opus ſit, vt affectus concitare & ſedare valeamus; primo omnino loco docendum, quomodo affectus concitandi & ſedandi.

dandi. Quoniam vero voluntas emendata nos ducit ad actiones legi naturæ conformes committendas, noluntas autem revocat ab actionibus eidem repugnantibus; ad voluntatis emendationem utique pertinet regimen affectuum, conſequenter oſtendendum quomodo poteſtati noſtræ ſubjiciantur, ut iisdem uti poſſimus ad virtutis culturam & vitiorum fugam, & nobis caveamus ab eorundem abuſu, quo a virtutis tramite retrahimur & ad vitia abripimur. Abſit ut exiſtimes affectus tribuendos eſſe naturæ humanæ corruptæ. Per naturam humanam appetitus & facultas averſandi ſaltem corruptibilis, & ubi hæ facultates corrumpuntur, affectus quoque in malam partem vertuntur.

§. 244.

Solo ſenſu concitatur affectus, ſi ſenſibile voluptatem vel moleſtiam acrem creat. Etenim ſi ſenſibile voluptatem vel moleſtiam acrem creat, ſenſibile repræſentatur tanquam valde bonum, vel malum (§. 612. 613. *Pſych empir.*). Quamobrem cum vehementius illud appetamus (591. *Pſych. empir.*), hoc averſemur (§. 592. *Pſych. empir.* pro gradu nimirum voluptatis, vel moleſtiæ perceptæ, actus vero appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ vehementiores affectus ſint (§. 603. *Pſych. empir.*); ſolo ſenſu concitatur affectus, ſi ſenſibile voluptatem, vel moleſtiam acrem creat. *Quando ſolo ſenſu concitetur affectus.*

Affectus ſolo ſenſu, imaginatione minime concurrente, concitari poſſe, videmus in infantibus, præſertim recens natis, veluti quando ploratu produnt triſtitiam, aut cupiditatem ſugendo ubera nutricis. Quoniam enim imaginatio non reproducit ideas rerum niſi antea perceptarum (§. 104. *Pſych. empir.*) &, ſi reproducere debet, res iſtæ vel ſæpius, vel diu ſimul percipiantur neceſſe eſt (§. 211. *Pſych. empir.*); in infantibus recens natis uſus quidem ſenſuum adeſt, aſt imagi-

nationis adhuc ceſſat. Quamobrem dubitandum non eſt, quin affectus, quos produnt infantes recens nati, ſolo ſenſu concitentur. Dantur equidem exempla quoque in adultis, qui uſu imaginationis jam pollent; quoniam tamen dijudicatu difficile eſt, utrum in ciendo affectu aliquæ fuerint imaginationis partes, nec ne, & quænam fuerint, cum pauciſſimorum ſit hoc acumen, quo quis in ſe ipſo id diſcernit, ad ea provocare nolumus. Hac ſane de cauſa facile mihi perſuadeo, plures fore in hac opinione, quod ſolo ſenſu affectus concitantur a ſenſibili ſunt, nec ullas imaginationis agnoſcunt.

§. 245.

Idem porro expenditur.

Quoniam ſolo ſenſu concitatur affectus, ſi ſenſibile voluptatem vel moleſtiam acrem creat (§. 244.), voluptas autem & moleſtia, quæ primum percipitur, nulla adhuc alia ante percepta, cum qua comparari poſſit, aut adeo inſolita, ut cum antea perceptis nihil prorſus affinitatis habeat, attentionem omnem in ſe trahat (§. 368. *Pſych. rat.*), ſatis acris apparet; *ſolo ſenſu concitatur affectus, ſi voluntatem aut moleſtiam quandam ſenſibile primum creat, nulla adhuc alia ante percepta, aut adeo inſolitam, ut cum antea perceptis nihil prorſus affinitatis habeat.*

Apparet hoc in infantibus ſolo adhuc ſenſuum uſu pollentibus, imaginatione adhuc langvente, aut quaſi quieſcente, quibus vel tenerrimus famis ſenſus adeo moleſtus accidit, ut triſtitiam & fugam exciret, quos affectus ploratu, vultu & geſtu produnt (§. 780. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Pertinet huc quoque dolor, cujus ſenſus fere nullus eſt in adultis, in infantibus vero ad affectum ciendum ſufficiens deprehenditur. In iis nullus adhuc locus eſt, aut ſaltem vix ac ne vix quidem ullus latebris atque receſſibus, quorum maxima vis eſt in adultis, ut ideo difficillime diſcernatur, quænam ſenſui, quænam

nam imaginationi ſint tribuenda, & in quibusnam imaginatio dependeat ab aliis facultatibus animæ. Quamobrem nihil facilius eſt, quam in infantibus obſervare, quid valeant ſenſus in concitandis affectibus, & quænam inclinationes ſint naturales, a quibus pendent primi impetus poteſtati humanæ minime ſubjecti, nullo modo præcavendi, ſed recto intellectus uſu ſaltem regendi: id quod noſſe non modo juvat in definienda imputatione, verum etiam in praxi morali. Satis ſuperque experimur ſenſibilia non ejusdem intenſitatis voluptatem ac moleſtiam parere in omnibus, ideoque in commovendis affectibus non eandem vim exerere. Atque inde dependet diverſitas inclinationum naturalium & procliuitatis in certos affectus. Aſt talia profundius ſcrutari in præſenti minime datur. Cum quoad ſenſationes corpus ſit interpres animæ (§. 959. *Pſych. empir.*); Phyſici potiſſimum eſt inquirere in rationem, cur ſenſus diverſimode afficiantur ab eodem ſenſibili in diverſis objectis.

§. 246.

Sola vi imaginationis concitatur affectus, ſi eadem producitur idea objecti voluptatem vel moleſtiam acrem creantis. Quodſi enim imaginatio producit ideam objecti voluptatem, vel moleſtiam acrem creantis, idem repræſentatur tanquam valde bonum, vel malum (§. 612. 613. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum vehementius illud appetamus (§. 591. *Pſych. empir.*), hoc averſemur (§. 592. *Pſych. empir.*), pro gradu nimirum voluptatis, vel moleſtiæ preceptæ, actus vero appetitus ſenſitivæ & averſationis ſeu ſenſitivæ vehementiores affectus ſint (§. 603. *Pſych. empir.*); ſola vi imaginationis concitatur affectus, ſi eadem producitur idea objecti voluptatem, vel moleſtiam acrem creantis.

Quando ſola vi imaginationis producantur affectus.

Ideæ imaginationis vi productæ & ſenſuales, ſeu perceptiones rerum ſenſibilium non differunt, niſi quod hæ repræſentent objectum præſens, illæ autem objectum abſens (§. 67. 92.

Pſycb. empir.). Quamobrem cum ideæ ſenſuales commovere poſſint appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam, quantum ſufficit ad concitandos affectus (§. 244.); nec mirum videri poteſt, phantaſmatis eandem vim ineſſe. Quamvis enim phantaſmata minus clara ſint ideis ſenſualibus (§. 96. *Pſycb. empir.*), quando tamen in ſe trahunt omnem attentionem ob voluptatem, vel moleſtiam inde perceptam (§. 371. *Pſycb. rat.*), animo a ſenſibili averſo & in phantaſma unice intento, perinde eſt, ac ſi ſenſationibus non coëxiſteret, ideoque clariora efficiuntur (§. 101. *Pſycb. empir.*), qui effectus attentionis eſt (§. 237. *Pſycb. empir.*). Poſſe autem affectus ſola vi imaginationis concitari, ſenſu immediate in appetitum, vel averſationem non influente, in nobismet ipſis experimur. Somnia imaginationi deberi conſtat (§. 122. *Pſycb. empir.*). Concitari vero etiam affectus in ſomniis vix puto quenquam eſſe, qui neſciat, modo non prorſus oblitus fuerit eorum, quæ ipſi ſubinde per ſomnium acciderunt. Sola igitur ſomnia veritatem propoſitionis præſentis confirmare poterant. Enimvero multo frequentius id contingit, quando vigilamus. Non deſunt caſus, in quibus objecta præſentia ſenſus hilarant. Quodſi vero contingat eorundem ope vi imaginationis produci ideam objecti valde moleſti, animus extemplo affectu moleſto perturbatur, in quo ideo ſenſus nullæ prorſus ſunt partes niſi quatenus ideæ ad affectum producendum aptæ anſam dedit, affectu ſoli imaginationi tribuendo. Nolumus cumulare caſus alios, quos unusquisque in ſe obſervare poterit, modo animum ad ea attendere velit. Diſcernendi autem ſunt caſus, in quibus imaginatio reproducit ideas rerum, quæ alias cum præſentes perciperentur certos quosdam affectus jam concitaverunt. In his enim ſenſus concurrit ad affectum ciendum, quatenus determinationes præteritæ influunt in determinationem actus præſentis qua talis. Acumine utique opus eſt, ſi quis caſus diverſos a ſe invicem diſcernere voluerit (§. 332. *Pſycb. empir.*), inprimis ſi

ideas

ideas confuſas ad diſtinctas revocare voluerit (§. 194. *Etb.*). Immo opus eſt acumine ſubtili, ſi differentia non fuerit ſatis manifeſta, non ſine multa ac ſingulari exercitatione comparando (§. 205. *part. 1. Etbe.*).

§. 247.

Si idea imaginationis vi reproducta objectum ut tale repræſentat quale repræſentabatur ſenſui obvium, cum affectus concitaretur: affectus vi imaginationis cietur, ſeu reſuſcitatur. Quoniam enim affectus oriuntur ex confuſa boni & mali repræſentatione (§. 605 *Pſych. empir.*); objectum aliquod præſens affectum quendam concitat, quatenus ut bonum, vel malum hoc vel alio modo repræſentatur, conſequenter ad hunc, vel alium affectum producendum aptum eſt. Enimvero ſi idea imaginationis vi reproducta objectum ut tale repræſentat, quale repræſentabatur ſenſui obvium, cum affectus concitaretur; idem ut bonum, vel malum eo modo repræſentare debet, quo ad affectum concitandum aptum eſt. Affectus igitur vi imaginationis reſuſcitatur, qui oriebatur, cum objectum præſens ſenſum afficeret.

De affectu vi imaginationis reſuſcitato.

E. gr. ſi quid in altero obſervamus, quod nobis placet, amor oritur (§. 649. *Pſych. empir.*). Quodſi vero recordamur ejus, quod nobis placet in altero, amor reſuſcitatur. Et tanta deprehenditur vis imaginationis in appetitum ſenſitivum, ut, ſi perſonæ ſaltem meminerimus & ejus ideæ ſaltem inhæret idea ejus, quod placet, ut cum illa in unam confundatur, quatenus hæc illi inexiſtit, quamvis ab eadem minime diſcreta, amorem reſuſcitet. Ex iis, quæ de ſpeciebus affectuum diximus in Pſychologia empirica, patet, non ſemper objectum ut tale repræſentari, quando imaginationis vi reproducitur idea ipſius, quale repræſentabatur, cum ſenſui præſens eſſet. Quamobrem nec fieri poteſt, ut imaginatio eodem

modo influat in appetitum, vel averſationem, quo influebat cum ſenſui obvium eſſet. Ita ſi ædes vicinas ardentes videmus, metus, vel timor oritur (§. 822. 823. *Pſych. empir.*) Enimvero quando incendium reſtinctum eſt, ædibus noſtris ſalvis, etiamſi poſthac periculi, quod iisdem imminebat, memineriimus, metus tamen, vel timor non reſuſcitatur. Cum enim incendium videremus, idem nobis repræſentabamus tanquam nobis periculoſum, quod fieri poſſe videbatur, ut incendium noſtras quoque ædes corriperet. Sed quando illius poſthac recordamur, etiamſi ædes vicinas ardentes una cum noſtris nobis repræſentemus, nullus tamen ideo metus oritur, Quoniam nimirum nobis ſatis conſcii ſumus, ideam hanc non eſſe rei præſentis, ſed præteritæ, omnis quoque cogitatio periculi noſtris ædibus imminens abeſt, quæ metum incutiebat. Atque hinc intelligitur, quid ſit objectum ad concitandum metum aptum ſibi vi imaginationis repræſentare ut tale, quale percipitur, dum metus animum invadit.

§. 248.

De modo ſuſcitandi affectum in alio.

Si quis affectum quendam concitare velit in alterius animo, neceſſe eſt, ut in eo ſuſcitet ideam, qua rem quandam ſibi repræſentat ut talem, qualis affectum iſtum ciere ſolet. Quoniam enim affectus ex confuſa boni & mali repræſentatione oriuntur (§. 605. *Pſych. empir.*), ratio ſufficiens affectus eſt idea rei, qua repræſentatur certo quodam modo ut bona, vel mala, & ex geneſi affectuum in ſpecie conſtat, ut hic vel ille oriatur, hoc vel alio modo illam repræſentari debere tanquam bonam, vel malam. Quamobrem cum poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt (§. 118. *Ontol.*); ſi quis affectum quendam concitare velit in animo alterius, neceſſe utique eſt, ut in eo ſuſcitet ideam, qua rem quandam ſibi repræſentat ut talem, qualis affectum iſtum ciere ſolet.

Qui

Digitized by Google

Qui definitiones reales affectuum, quas in Pſychologia empirica dedimus, cognitas atque perſpectas habet; ei in caſu particulari haud difficile erit dijudicare, quomodo repræſentari debeat objectum, ut affectus concitetur. Non tamen ex ſe de aliis ſtatuere debet, qui ſucceſſus ſpem certam ſibi ſpondere voluerit. Quoniam enim bonum, quatenus affectum ſuſcitare aptum eſt, æſtimatur ex voluptate, quam creat, aut moleſtia, quam depellit, & viciſſim malum ex moleſtia, quæ percipitur, aut ex voluptatis jactura, quæ fit, exploratum vero eſt, ſuam unumquemque trahere voluptatem, neque in omnibus eadem eſt delectationum ſenſualium, lucri atque honoris cupido, ac præterea requiritur, ut quis perſuaſus ſit, etſi non ad veritatem, ſaltem tamen opinione, certa eſſe quæ de re dicuntur; non eadem boni vel mali repræſentatio in quolibet ſubjecto eandem vim habet in commovendo appetitu ſenſitivo, vel averſatione ſenſitiva, ut idem concitetur affectus. Accedit, quod nec imaginatio in omnibus eodem modo influat in repræſentationem boni atque mali (§. 593. 594. *Pſych. empir.*), ut appetitus & averſatio evadat fortior (§. 595. 596. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum affectus ſint appetitiones & averſiones vehementiores (§. 603. *Pſych. empir.*); quæ in uno ratio ſufficiens affectus eſt, ea nondum ſufficiens eſt in alio. Notandum præterea, rationem quoque habendam eſſe influxus appetitus rationalis in ſenſitivum & averſationis rationalis in ſenſitivam, qui plurimum variat; attendenda eſſe impedimenta, quæ ſubinde objiciuntur, repræſentationi boni atque mali ad affectum concitandum alias ſufficienti vim ſuam detrahentia; conſideranda denique adjumenta, quæ caſuum diverſitas exigit, quo etiam refero præparationem ad affectum ſuſcitandum per affectum quendam alium præcedentem. De hiſce ſingulis dicendi ampliſſimus aperitur campus, ſed quem ingredi in præſenti prohibemur. Erit tamen nonnulla de his dicendi occaſio in ſequentibus, quando ſingulos affectus in ſpecie conſideraturi ſumus. Patebunt alia ex ſpeciali

ciali tractatione de virtutibus atque vitiis oppoſitis. Cum oratorum ſit concitare affectus, quæ hic annotantur, non pro ſubtilitatibus ſterilibus habenda, ſi vel maxime quis non proſpiciat uſum in formandis aliorum moribus, quidni & propriis? Uſus vero hic ex ſpeciali, quæ ſequitur, tractatione magis eluceſcet.

§. 249.

De aliis in affectum inducendis.

Ut quis alium in affectum inducat, plurimum conducit, ut ipſemet eundem effundat. Quando anima affectibus commovetur, ſangvis ac fluidum nerveum motu extraordinario agitatur, (§. 611. *Pſyſch. empir.*), unde pendet mutatio vultus, geſtus vocis & ſermonis pro affectuum varietate (§. 753. *part. 2. Phil. pract. univ.).* Actus hi externi cum incurrant in ſenſus ejus, qui in affectum inducendus, impreſſiones autem in ſenſus excitent motus fluidorum in corpore; motus quoque ſangvinis atque fluidi nervei in eo, qui ad affectum inducendus, extraordinarius oriri debet, aut ſaltem conatus ad eundem niſi adſint cauſæ ad eum cohibendum ſufficientes. Quamobrem cum conſtans ſit inter animam & corpus harmonia (§. 540. *Pſych. rat.*); ut quis alium in affectum inducat, plurimum omnino conducit, ut ipſemet eundem effundat.

Dudum hoc animadverſum eſt ab aliis. Inde ortum traxit pervulgatum iſtud: ſi vis alium flere, ipſe fleto. Facile autem intelligitur, affectus ejus, qui alios in affectum inducere vult, non ſimulatos, ſed ſinceros eſſe debere. Quodſi quis enim affectum ſimulet, actibus externis, quibus proditur, ineſt quidpiam contradictorii, quod diſplicet, etiamſi diſtincte non percipiatur, & affectum potius reprimit, quam eidem concitando conducit. Multa inſunt perceptionibus confuſis, quorum nobis conſcii non ſumus, ex quibus oritur

untur obſcuriores animæ conatus, qui inſunt appetitui & averſationi, ideoque a nobis minime animadvertuntur. Ac ideo contingit, ut longe plurima ſufficienter explicare non valeamus, etſi intelligibili modo ſint explicabilia. Tenendum præterea eſt, impreſſionem in organa ſenſoria ejus, qui in affectum inducendus, ſupponere quoque diſpoſitionem ad affectum, quo commoveri debet animus, qualis non minus in corpore, mechaniſmo nimirum cerebri & inde propagati ſyſtematis nervoſi, quam in facultatibus animæ latet, ut ideo fieri non poſſit, ut eundem in quolibet ſubjecto exſpectemus ſucceſſum. Diſtingvendus etiam eſt ab hypotheſi propoſitionis præſentis caſus alius, quo affectu noſtro alium inducere volumus in affectum alium, veluti ira in terrorem, vel metum. Multo acumine opus eſt in iis diſcernendis, quæ animam tangunt, ne diverſa confundantur.

§. 250.

Omnis appetitus tendit ad aliquid abſtinendum; averſatio vero ad aliquid depellendum. Etenim appetimus, quod nobis repræſentamus tanquam bonum & averſamur, quod nobis repræſentamus tanquam malum quoad nos (§. 904. 907. *Pſych. empir.*), quatenus ſcilicet ex illo voluptatem, ex hoc moleſtiam percipimus (§. 156.). Quamobrem appetitus tendit ad obtinendum id, quod voluptatem creat, averſatio vero ad id, quod moleſtiam parit. Omnis itaque appetitus tendit ad aliquid obtinendum, averſatio vero ad aliquid depellendum. *Quo tendat appetitus & averſatio.*

Dantur utique fines tam appetitus, quam averſationis. Finis generalis appetitus eſt fruitio voluptatis, ſeu felicitas (§. 636. *Pſych. empir.*), ad quam appetitus per naturam ſuam determinatus eſt (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); averſationis vero carentia moleſtiæ, ſeu evitatio infelicitatis (§. 637. *Pſych. empir.*), ad quam nauſeandum averſatio per naturam

ſuam determinata eſt §. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Ad finem iſtum cum referatur appetitus & averſatio; appetitus tendit ad ea obtinendum, quæ voluptatem creant, averſatio vero ad ea depellendu, quæ moleſtiam pariunt, ut ſimus felices, minime autem infelices. Quemadmodum itaque abſentia mali bonum eſt (§. 754. *Part. 1. Jur nat.*); ipſi averſioni cohæret quædam appetitio, quatenus infelicitatem averſamur, ut ſimus felices, ut ideo actus appetitus & averſationis arctiſſimo quodam vinculo connectantur, nec determinationes utriusque facultatis naturales ſibi invicem contrarientur, ſed in idem conſpirent. Natura igitur humana autore ſuo digna: id quod ex principiis Theologiæ naturalis luculenter demonſtrari poterat, ſiquidem talia demonſtrandi hic eſſet locus. Ex principiis quoque Theologiæ naturalis de ortu idearum rerum omnium in intellectu divino (§. 90. *& ſeqq. part. 2. Theol. nat.*) oſtendi poterat, quomodo determinationes illæ naturales tandem reſolvantur in prima poſſibilia ſeu realitates, quæ Deo inſunt (§. 87. *part. 2. Theol. nat.*): ſed ad tantas ambages jam deſcendere a præſente inſtituto alienum.

§. 251.

Idem ſpecialius expenditur.

Quoniam omnis appetitus tendit ad aliquid obtinendum, averſatio vero ad aliquid depellendum (§. 250.), voluptas vero voluptuoſi determinabilis per delectationes ſenſuales, noluntas per ea, quæ ſenſui ingrata ſunt & quæ dolorem cauſantur (§. 166.), voluntas lucri cupidi determinabilis per lucrum & noluntas per damnum (§. 173), voluntas honoris cupidi per honorem & laudem, noluntas per ea, quæ honori atque laudi quomodocunque adverſantur (§. 178.); *appetitus voluptuoſi tendit ad obtinendum ea, quæ ſenſum hilarant, lucri cupidi ad obtinendum ea, quibus locupletiores reddimur, honoris cupidi ad obtinendum ea, quæ honorem & laudem pariunt, averſatio vero voluptuoſi ad depellendum ea, quæ ſenſui ingrata*

Digitized by Google

ta ſunt, aut dolorem cauſantur, lucri cupidi ad avertendum damnum, honoris cupidi ad depellendum ea, quæ honori atque laudi quomodocunque adverſantur.

Quodſi quis animum attenderit ad ea, quæ ſuperius de bonorum & malorum differentia prolixe inculvavimus, fines quoque appetitus & averſationis diſtinctius cognoſcere poterit, & quomodo particulares tandem in generalem reſolvantur, pulchroque nexu omnia inter ſe cohæreant animadvertere. Etſi autem appetitus hominis generaliter determinatus ſit ad obtinendum id, quod bonum eſt reſpectu ſui, & averſatio generaliter determinata ſit ad depellendum id, quod malum eſt reſpectu ſui; id tamen minime obſtat, quod etiam ad motiva voluntatis referendum ſit bonum communicativum, quod facit ad perfectionum aliorum (§. 83.) & parit ſtudium inſerviendi aliis (§. 87.), ad motiva vero noluntatis referendum quoque ſit malum illatum, quod facit ad imperfectionem aliorum (§. 89.) & parit ſtudium eam impediendi, aut avertendi. Cum enim nil appetamus, niſi quatenus ex eo voluptatem percipimus, nec averſemur niſi quatenus id moleſtiam nobis creat (§. 156.); dum appetitus fertur in alienam perfectionem, ex ea voluptatem percipimus, dum averſatio abhorret ab aliena imperfectione, ex ea moleſtiam percipimus, conſequenter cum appetitus naturaliter determinatus ſit ad appetendum ea, quæ voluptatem creant, & averſatio determinata ad averſandum ea, ex quibus moleſtia percipitur (§. 158.); eo ipſo appetitus quoque determinabilis efficitur per bonum communicativum & tendit ad obtinendum ea, quæ alteri proſunt, & averſatio determinabilis per malum illatum & tendit ad depellendum ea, quæ aliis nocent. Probe omnia perpendenda ſunt, ut appareat, in anima nihil concipi poſſe, quod ſit prorſus diſcretum ab aliis, & ut origo corruptionis ex limitationibus originariis reſultantis, natura humana in ſe bona, quatenus ad autorem ipſius referenda, penitius inſpiciatur. Errant vulgo qui ſibi perſuadent, quaſi animæ humanæ

inditæ ſint determinationes nullo modo inter ſe connexæ. Et multo turpius errant, qui exiſtimant inditas ipſi eſſe determinationes prorſus contrarias: id quod revera idem eſt ac contradictoria admittere. Multa omnino ſunt præjudicia, quæ mentem humanam occœcare ſolent, quo minus ſeipſam cognoſcat, & niſi ea exuamus nec fieri poteſt, ut praxin moralem a priori addiſcamus.

§. 252.

Quo tendant affectus.

Quoniam appetitus tendit ad aliquid obtinendum, & averſatio ad aliquid depellendum (§. 250.), affectus vero ſunt actus vehementiores appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. 603. *Pſych. empir.*); *omnis* quoque *affectus tendit ad aliquid obtinendum, vel depellendum.*

Principium hoc maximi momenti eſt in moralibus. Ad affectus enim intimius perſpiciendos requiritur, ut probe expendatur, ad quid ſinguli tendant. Quemadmodum plures perceptiones, quibus bonum, vel malum repræſentatur, confunduntur in unam, ut ſingularum nobis concii non ſimus, ita etiam iisdem reſpondentes appetitiones & averſiones in unam quandam confunduntur, quæ quamvis tandem ad unum quid in genere ſpectatum tendant, id tamen, ad quod tendunt, nonniſi confuſe percipitur & quæ in unam confunduntur perceptiones obſcuræ ſunt. Atque hinc pendet perturbatio animi, quæ regnat in affectibus, & extraordinarius motus fluidorum, præſertim fluidi nervei, aut ipſa nervorum irritatio in corpore, mutationis vultus, vocis, geſtuum cauſa. Facile autem hinc intelligitur, quod perturbatio iſta & motus iſte fluidorum in corpore atque hinc pendentium geſtuum inprimis varietas in omnibus ſubjectis non prorſus eadem deprehendatur, variantibus præſertim latebris & receſſibus, qui dantur in animis hominum. Plura huc ſpectantia patebunt ex iis, quæ de affectibus in ſpecie

Digitized by Google

ſpecie mox demonſtraturi & annotaturi ſumus. Notari adhuc meretur, cum anima continuo producat ideam totius univerſi etiam quoad ſtatus futuros (§. 190. *Pſyeh. rat.*), eidem quoque ineſſe præſenſionem quandam futuri, quæ etſi obſcura ſit in appetitum & averſionem tamen influit, & appetitiones atque averſiones pro diverſitatem eorum, quæ præſentiuntur, obſcuras parit, ad ſpecificationem appetitionis & averſionis confuſæ, cujus nobis conſcii ſumus, facientes, quippe quæ perinde ac perceptiones confuſæ in ſimpliciores obſcuras continuo reſolubiles ſunt. Confuſa perceptio talis eſt, quia obſcuræ, in quas reſolubilis, tales ſunt, & ſimiliter confuſa appetitio, vel averſio talis eſt, quia appetitiones vel averſiones obſcuræ tales ſunt. Quamvis nullus dubitem fore, ut plurimi ſubtilitates haſce accuſent, parum tamen me movet eorum cenſura, qui in Pſychologia ſe hoſpites probant. Dent enim rationes ſufficientes eorum, quæ in anima contingere indies obſervant, absque iſtis ſubtilitatibus: nullus dubito fore, ut vel obmuteſcant, vel dent ſine mente ſonos, quibus ignorantiam ſuam palliare conantur. Sane non capiunt primum illud rationis humanæ principium, quod principium rationis ſufficientis appellari ſuevit & vi cujus omnia intelligibili modo ſunt explicabilia (§. 321. *Ontol.*), ſit ita quod non omnia intelligibili modo a nobis explicari poſſint. Qui ſubtilitatum, quas hic commemoramus, non fuerit ignarus, is in caſu dato rationem impotentiæ ſuæ reddere poterit, quæ unde veniat illarum ignarus non intelligit. Iisdem igitur perpenſis aut rationem ejus, quod in nobismet ipſis vel aliis obſervamus, reddere poterimus, aut oſtendere, cur id non ſit in noſtra poteſtate. Atque hoc ſufficit ad recte philoſophandum.

§. 253.

De diverſa proclivitate ad affectus.

Alii ad hos, alii ad alios affectus ſunt proclivieres. Sumimus hoc a poſteriori. Facile experimur, modo animum attendere velimus ad eos caſus, in quibus eadem poſita boni, vel mali repræſentatione ad affectum quendam concitandum apta non tamen idem in omnibus ponitur affectus, certo ſane indicio, dari quid in anima hominis, quod repreſentationi boni, vel mali ſuperaccedit, ut adſit ratio ſane ſufficiens ad concitandum affectum. Ita videmus non omnes eſſe æque meticuloſos, non omnes eadem facilitate induci in terrorem, non omnes eſſe æque iracundos.

Differentia hæc probe notanda eſt in praxi morali, quoties affectus vel ſunt concitandi, vel ſedandi. Ratio autem hujus differentiæ non adeo obvia, ut absque ambagibus in eandem inquirere poſſimus. In eadem tamen obſervanda acumine haud raro ſubtili opus eſt, præſertim ſi quod naturale eſt, id ab hoc diſcernere volueris, quod acquiſitum, quamvis in praxi morali perinde videri poterat, ſive proclivitas ad certum affectum naturalis ſit, ſive acquiſita. Quod vero eadem momentum afferat ad paxin moralem, inde intelligitur, quod naturale expelli minime poſſit, quod vero acquiſitum eſt exſtirpatu non ſit prorſus impoſſibile, aut ſaltem medelam quandam admittat, quatenus in caſu præſenti dantur proclivitatis gradus. Quod vero diximus in obſervanda proclivitatis hujus differentia in diverſis ſubjectis acumine opus eſſe, etiamſi id, quod naturale eſt, ab eo, quod acquiſitum, diſcernere nolueris, non una ratio eſt. Etenim ſollicite cavendum, ne a particulari, vel ſingulari argumenteris ad univerſale, cum in caſu priori attendenda ſit differentia inter inclinationes ad delectationes ſenſuales, lucrum & honorem atque laudem, quæ repræſen-

præſentationem boni, vel mali plurimum variant (§. 181.), in poſteriori in eandem influat imaginatio (§. 593. 594. *Pſych. empir.*). Conſideranda prætera eſt dependentia affectus unius ab altero, ubi proclivitas ab hoc in illum redundat, non tamen ſemper eodem gradu, quatenus nimirum repræſentatio boni vel mali ad concitandum dependentem apta uni non æque facilis, quam alteri. Neque etiam hic negligendum, quod affectus quidam imminuere, vel etiam augere poſſit proclivitatem ad alium, vel prorſus obſtare, quo minus is excitetur, ad quem quis alias proclivis eſt. Immo quoque tenendum, fieri ſubinde poſſe, ut affectus quidam cum alio concurrat, ut hic facilius concitetur, quam ſi ſolus fuerit, ſicque ad eandem proclivior quis videatur, quam revera eſt. Aſt hæc & alia plura iisdem gemina ex ſequente tractatione ſpeciali eluceſcent. Sufficit in præſenti notaſſe, multas dari rationes, ob quas adnodum circumſpectum eſſe debet de proclivitate ad affectum quendam judicium.

§. 254.

Cur habenda ſit ratio magnitudinis boni vel mali repræſentandæ in concitando affectu.

Quoniam alii ad hunc, alii ad alium affectum proclivores ſunt (§. 253.), atque proclivitas ſuos habet gradus, quod a poſteriori ſumere licet; *pro diverſo proclivitatis gradu in affectu concitando habenda eſt ratio magnitudinis boni vel mali repræſentandæ.*

Bonum & malum ſuos habere gradus, ideoque unum altero eſſe majus, noto notius eſt. Ex bono majore major percipitur voluptas (§. 612. *Pſych. empir.*), ex malo majore moleſtia major (§. 613. *Pſych. empir.*), ideoque bonum majus ſtimulat appetitum, malum majus averſationem, cum minus ſtimulare non poſſet (§. 156.). Quamobrem ſi minor fuerit proclivitatis gradus, ut affectus difficilius concitetur, magnitudo boni, vel mali exaggeranda, cum ex adverſo de eo parum ſolliciti eſſe debeamus, ſi quis fuerit ad affe-

affectum valde proclivis, ut is facile admodum excitetur. Quamvis forsitan, quæ modo diximus, ea nihil in recessu habere videantur, contrarium tamen experientur, qui in rationes eorum, quæ de affectibus observantur, inquisituri sunt. Videbunt enim haud pauca esse, quorum ratio inde reddenda.

§. 255.

Quomodo gaudium concitetur.

Si gaudium concitare velimus, necesse est alteri quidpiam dari quod insigne bonum ipsi videtur, aut persuadendum ipsi id, quod habet, bonum insigne esse. Etenim si quod nobis datur, vel quod habemus tanquam insigne bonum idea confusa nobis repræsentamus, gaudium in nobis oritur, & magnitudo ejus magnitudini boni, quæ nobis videtur, respondet (§. 616. *Psych. empir.*). Quodsi ergo gaudium concitare velimus, necesse est alteri quidpiam dari, quod insigne bonum ipsi videtur, aut ipsi persuadendum id, quod jam habet, insigne bonum esse.

Duo sunt casus, qui in gaudio concitando occurrunt. Etenim aut nondum habemus, quo gaudendum, aut jam habemus. Quodsi id nondum habeamus, necesse est, ut ejus compotes reddamur: quodsi jam habeamus, quantum vero bonum sit, non agnoscamus, necesse omnino est, ut ad agnitionem perducamur. Gaudium supponit opinionem boni præsentis, sine qua eidem locus esse nequit (§. 618. *Psych. empir.*), ut ideo quoque gaudium definiri soleat per affectum boni præsentis opinione conceptum. Quamobrem qui gaudere debet, sibi, quod habet, vel id cujus compos redditur, tanquam bonum repræsentare debet. Si per se id sibi repræsentare non potest, tum utique necesse est, ut ipsum bona sua agnoscere doceas. Ponamus te possidere gemmam pretiosam, quam talem esse ignoras. Quodsi certus reddaris de ejus pretio, non minus gaudebis, quam si quis

ſi quis tibi donaret gemmam, cujus pretioſitas tibi jam erat nota. Supponimus nimirum te gemmis delectari & pro bono inſigni habere, ut gemmam pretioſam poſſideas. Opinio enim boni non omnium eadem, neque omnes eandem rem bonam ſibi repræſentant ob eandem rationem. Ita alios gemmæ per ſe delectant, alios lucri cupidos propter pretium, quo veniunt, ambitioſos propter oſtentationem, cui inſerviunt, naturæ curioſos propter raritatem, atque ita porro. Unde facile patet, ſi dando gaudium concitare velis, tibi conſtare debere, quanam re quis delectetur, & ubi opinionem boni concipere debet, qui ſua bona non agnoſcit, te non ignorare debere, ob quamnam rationem is bonum quid reputet. Perpendenda hæc probe ſunt oratori, ſi affectus auditorum commovere velit. Cum enim omnis affectus boni & mali repræſentatione concitentur, quæ de gaudio dicuntur, facile ad alios affectus concitandos etiam transferuntur. Et re vera hoc jam in genere inculcavimus, cum oſtendimus, ſi quis affectum quendam concitare velit in alterius animo, neceſſe eſſe, ut in eo ſuſcetur id, quo rem quandam ſibi repræſentat ut talem, qualis affectum iſtum ciere ſolet (§. 248.). Videndum quoque, quod ibidem jam annotavimus in genere, hic autem exemplo quodam illuſtravimus.

§. 256.

Gradus affectus pendet a magnitudine boni vel mali, cujus opinione concitatur, ſeu quanto majus videtur bonum, vel malum, quod nobis repræſentamus, tanto major quoque eſt affectus, qui ejusdem repræſentatione concitatur. Etenim affectus oriuntur ex confuſa boni & mali repræſentatione (§. 605. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum nemo ſit, qui neſciat, bonum unum & malum non modo eſſe altero majus, verum etiam opinione hominum haberi; quo majus videtur bonum,

De gradu affectus a magnitudine boni vel mali pendente.

vel malum, quod nobis repræſentamus, eo major quoque eſſe debet affectus, qui ejus repræſentatione concitatur, ideoque gradus ejusdem pendet a magnitudine boni, vel mali, cujus opinione concitatur.

Oſtenditur etiam hoc modo. Homo nihil appetit, niſi quatenus voluptatem ex eo percipit, nec quicquam averſatur, niſi quatenus moleſtiam creat (§. 156.). Quoniam itaque voluptas major appetitum, moleſtia major averſationem magis ſtimulat, affectus vero ſunt actus vehementiores appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. 603. *Pſych. empir.*); affectus quoque vehementiores ſunt pro diverſo gradu voluptatis, vel moleſtiæ ex re perceptæ, Enimvero ſi qua ex re major percipitur voluptas, bonum majus nobis videtur (§. 612. *Pſych. empir.*), & ſi moleſtia major percipitur, malum videtur majus (§. 613. *Pſych. empir.*). Quanto igitur majus videtur bonum, vel malum, quod nobis repræſentamus, tanto major quoque eſſe debet affectus, qui ejusdem repræſentatione concitatur, ideoque gradus affectus dependet a magnitudine boni, vel mali, cujus opinione concitatur.

Poterat idem aliis adhuc modis demonſtrari; aſt non opus eſt, ut multis modis demonſtretur, quod indies obſervatur & tot exemplis atque domeſtica experientia confirmari poteſt. Conducit tamen, ut legantur, aut ad animum revocentur ea, quæ de influxu imaginationis in appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam, atque hinc pendente apparentia magnitudinis boni, vel mali, itemque gradibus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ demonſtravimus (§. 593. *& ſeqq. Pſych. emptr.*). Non eſt quod urgeas, habendam quoque eſſe rationem proclivitatis ad affectum, quam in omnibus ſubjectis eandem non eſſe conſtat (§. 253.). Cum enim appetitus voluptate, averſatio moleſtia ſtimuletur (§. 156. & ab initio homo bonum a malo

malo diſcernere nequeat niſi ex eo, quod voluptatem vel moleſtiam parit, aut a moleſtia liberat, vel voluptatem impedit (§. 4.); ipſa proclivitas ad affectum naturalis dependere debet a gradu voluptatis, vel moleſtiæ perceptæ, non minus quam acquiſita. Qui igitur ad affectum quendam proclivior eſt, ejus opinione quoque bonum, vel malum, cujus confuſa repræſentatione affectus concitantur (§. 605. *Pſych. empir.*), majus eſſe debet, quam opinione alterius, qui minus proclivis ad eundem eſt. Non licet nobis omnia a prima origine repetere. Qui in anterioribus atque iis omnibus, quæ in Ethica præſupponuntur, induſtriam ſuam deſiderari paſſus non eſt; facile per ſe talia animadvertet: ceteris fere ſurdis narratur fabula.

§. 257.

De eo, quod cupimus, obtento.

Si quis obtinet, quod cupit, in gaudium inducitur, & gradus gaudii reſpondet gradui cupiditatis. Si quid enim cupimus, id nobis repræſentamus tanquam valde bonum (§. 808. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo id obtinemus, bonum, quod erat abſens, jam ſit præſens. Quamobrem cum gaudium oriatur, ſi quis id obtinet vel habet, quod inſigne bonum ipſi videtur (§. 255.), ideoque opinione boni præſentis (§. 624. *Pſych. empir.*); ſi quis obtinet, quod cupit, in gaudium inducitur. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam gradus affectus pendet a magnitudine boni, cujus opinione concitatur (§. 256.); cupiditas quoque major, vel minor erit, prouti id, quod cupimus, majus, vel minus bonum videtur. Quando quod cupimus obtinemus, cupiditas in gaudium abit, eadem manente opinione magnitudinis boni *per demonſtrata n. 1.* Quamobrem neceſſe eſt, ut gradus gaudii reſpondeat gradui cupiditatis. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

Experientia utramque propoſitionis præſentis partem confirmat, ſi quis rariorem quendam librum vehementer habere cupit, & poſtquam diu multumque eundem fruſtra quæſivit, eundem tandem obtinet, totus in gaudium effunditur, & gaudii rationem reddit habendi cupiditatem, qua flagravit, & omne ſtudium, quod in eo obtinendo collocavit, commemorat & pro gradu cupiditatis exaggerat. Exemplo quoque ſunt illi, quibus diu in votis fuit, ut officio cuidam admoverentur, & tandem voti ſui compotes fiunt. Idem obſervamus in iis, qui officio vacanti admoveri cupiunt, quando ipſis nunciatur, quod idem in ipſos fuerit collatum.

§. 258.

De eo, quod cupimus ut habeat alter.

Quoniam in gaudium inducimur, ſi quid obtinetur, quod cupimus (§. 257.), qui vero alterum amat, eundem conſiderat tanquam ſeipſum (§. 659. *Pſych empir.*), ideoque ſi quid cupit, ut alter habeat, vel obtineat, perinde eſt ac ſi ipſe hoc habere, vel obtinere vellet; *qui alterum amat, in gaudium inducitur, ſi is obtinet, quod ut obtineat cupit.*

Perinde eſt, ſi id, quod cupimus, ipſimet habere velimus, ſive ut habeat alter, etſi in nos nulla inde redundet utilitas. Atque tunc amor influit in cupiditatem: id quod non fit, ſi quid ut alter obtineat cupiamus noſtri cauſa. Ac ideo caſum hunc particularem a generali propoſitionis præſentis diſtingvere debemus, cum hoc faciat ad latebras & receſſus in animo detegendum (§. 72. *part. I. Etb.*). Exempla caſus præſentis ſunt, ſi cui, quem amamus, officium quoddam confertur, vel ſi commendatione noſtra efficitur, ut uxorem divitem ducat. Gaudemus autem opinionem boni noſtram ſecuti. Quamobrem fieri poteſt, ut alter non gaudeat, opinione noſtra ab opinione ipſius differente, veluti ſi alter habere mallet officium pingvius, aut quod

quod minus negotii faceſſeret, vel uxorem pulchrioris formæ. Neceſſe non eſt, ut gaudium ſit commune: id quod ſupponit vel cupiditatem communem (§. 258.), vel eandem ſaltem boni opinionem (§. 255.). Caſus, qui ad appetitum & averſationem ſpectant, admodum perplexi ſunt, ut acute diſtingvendi ſint, ubi in rationem eorum inquirere volueris, quæ in anima contingunt.

§. 259.

Si quod cupimus ejus gratia, quem amamus, obtinetur, gradus gaudii variat pro gradu amoris. Etenim ſi quid cupimus ejus gratia, quem amamus, amor influit in cupiditatem (§. 652. 805. *Pſych. empir.*), conſequenter quo major fuerit amor, eo major quoque erit cupiditas, ceteris nimirum paribus, velut eadem boni opinione exiſtente, qua cupiditas concitatur. Quamobrem cum gradui cupiditatis reſpondeat gradus gaudii, in quod inducimur eo, quod cupimus, obtento (§. 257.); ſi quod cupimus ejus gratia, quem amamus, obtinetur, gradus gaudii reſpondet gradui amoris, ideoque variat pro gradu amoris.

De gradu gaudii, eo obtento, quod ejus gratia cupimus, quem amamus.

Si quid cupimus ejus gratia, quem amamus, ideo cupimus, quia eundem amamus. Quoniam itaque amor unica cupiditatis cauſa eſſe ſupponitur, ita ut ſi ille abeſſet hæc quoque locum non haberet; major utique cupiditas eſſe debet, ſi major fuerit amor, minor autem, ſi hic minor fuerit. Ne vero putemus, ejusdem gradus eſſe debere in omni caſu, ideo diximus, ceteris paribus, veluti eadem boni opinione exiſtente. Etenim cum gradus affectus pendeat a magnitudine boni, cujus opinione concitatur (§. 256.), cupiditas quoque non erit ejusdem gradus, variante boni magnitudine, etſi amor, a quo originem trahit, ejusdem gradus fuerit. Ideo contingere poteſt, ut magis gaudeamus, obtento bono minore, quod alterius gratia cupimus,

pimus, ſi eum impenſe amemus, quam obtento multo majore, ſi tantus non fuerit amor. Quando vero dicimus, ceteris paribus cupiditatem reſpondere gradui amoris, a quo eadem originem trahit, non modo attendenda eſt opinio boni, qua cupiditas excitatur; verum etiam in caſu particulari alia adhuc concurrere poſſunt, quæ cupiditatem vel augent, vel minuunt, manente licet amore invariato. Sed omnia iſta in præſenti diſcutere non licet. Cum in anima mirificus quidam nexus eorum detur, quæ in ea contingunt; præter Pſychologiam integram Ethicam intime cognitam & perſpectam habere debet, qui caſus particulares reſolvere voluerit. Nos itaque ſatisfeciſſe exiſtimamus præſenti inſtituto, ſi hinc inde excitemus aliorum attentionem ad ea, quæ in caſibus particularibus ſunt attendenda.

§. 260.

De eo, quo alteri voluptatem creare valemus.

Si quid obtinemus, quo alteri voluptatem creare valemus, gaudium, quod ideo oritur, concitat amor, ſi vel maxime alias eodem obtento non gauderemus. Etenim ſi aliquo obtento quo alteri voluptatem creare valemus, gaudium oritur, quo alias non gauderemus; ratio gaudii alia non eſt, quam quod ſic nobis detur occaſio voluptatem alteri creandi (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem neceſſe eſt ut voluptatem alterius appetamus, cum ad eam tendat gaudium (§. 252.). Enimvero qui voluptatem alterius appetit, eundem amat (§. 650. *Pſych. empir.*). Qui igitur gaudet, aliquo obtento, quo alteri voluptatem creare valet, alias non gaviſurus, eundem amat. Gaudium ideo, quod oritur, concitat amor.

Hoc probe notandum eſt, quando ex affectibus conjectandi ſunt aliorum mores, ne in repræſentatione boni dijudicanda aberremus. Id enim, quod in hypotheſi propoſitionis

ſitionis præſentis quis obtinet, non tantum exiſtimatur bonum reſpectu obtinentis, quod ad gaudium concitandum ſufficiat; ſed quia amato voluptatem creandi occaſionem nanciſcitur: uti deo gaudium ſit ſignum amoris, quo alterum proſequitur. Ponamus aliquem delectari nummis. Ponamus porro te eum impenſe amare, ideoque ex ipſius voluptate percipere voluptatem atque gaudere, quia ipſe gaudet (§. 640. *Pſych. empir.*). Ponamus denique tibi donari nummum non magni pretii, ſed quem is nondum habet. Gaudio oblectaberis eundem accipiens, quamvis nummo minime delecteris. Concitat igitur gaudium amor, quo abſente non oriretur. Amor nimirum gignit cupiditatem gaudia afferendi amico; obtento nummo cum afferre poſſis, bonum utique exiſtimabis te nummum aceipere, ac per conſequens opinio boni præſentis gignit gaudium (§. 624. *Pſych. empir.*). Aptitudo afferendi gaudia amico perfectio quædam in nobis eſt, conſequenter id bonum exiſtimatur, quod eam efficit. Multæ omnino perceptiones, tam reſpectu noſtri, quam reſpectu amici concurrunt & in unam confuſæ influunt in appetitum ſenſitivum, ut gaudium oriatur. Qui non modo in præſenti, verum etiam in quovis alio caſu id experiri voluerit, ut veritate clariſſime eluceſcente omnis ab aſſenſu procul removeatur hæſitatio; ei ſuademus, ut in caſibus particularibus probe expenſis omnibus circumſtantiis in concurſum iſtum inquirat. Hac nimirum caſuum reſolutione plurimum proficiet in cognitione latebrarum in animis hominum, & patebit aditus ad penetralia mentis humanæ. Per ſe autem patet, antequam hunc laborem aggrediaris, te in Pſychologia diligenter verſatum eſſe debere.

§. 261.

Si alterum in gaudium inducere volueris, neceſſe eſt ut cognoſcas, ex quibusnam rebus inſignem percipiat voluptatem, vel etiam, quæ-

Quænam de eo ante cognoſcenda,

quem in gaudium inducere velis.

quænam cupiat. Gaudium enim conſiſtit in prædominio voluptatum inſigni (§. 614. *Pſych. empir.*), conſequenter ea gaudium afferunt, ex quibus tanta voluptate perfundimur, ut tædium, ſi quod adeſſet, non appercipiatur (§. 529. *Pſych. empir.*). Quod ſi ergo quis in gaudium inducendus, neceſſe eſt ut adſint talia, ex quibus is inſignem percipiat voluptatem, vel cum gaudium etiam concitetur, ſi quid obtinet, quod cupit (§. 257.), neceſſe eſt ut obtineat, quod cupit. Quamobrem ſi alterum in gaudium inducere volueris, neceſſe eſt ut cognoſcas, ex quibusnam rebus inſignem percipiat voluptatem, vel etiam, quænam cupiat.

Non omnes iisdem rebus delectantur, nec delectantur eodem gradu. Quare nec eadem omnibus gaudium afferunt, nec qui iisdem rebus delectantur, æquali gaudio exultant. Gradus gaudii dependet a magnitudine boni, cujus opinione concitatur (§. 256.). De hoc autem non omnium eadem eſt opinio. Immo non deſunt rationes, cur quis ſubinde nunc magnum bonum exiſtimet, quod alio tempore tanti non faceret. Neque etiam quod uni bonum videtur, ideoque voluptatem creat (§. 558. *Pſych. empir.*), id etiam videtur alteri. Antequam igitur alterum in gaudium inducere conemur, conſtare utique debet, quænam ſint ea, quibus delectatur, vel quæ cupit, ne magno conatu nihil agamus & ſpe noſtra excidamus.

§. 262.

Si quis gaudio indulgere velit.

Si quis gaudio indulgere velit, animum convertere debet ad bona, quæ ſibi adſunt, & eorum magnitudinem reſpectu ſui expendere. Etenim ſi gaudium in nobis oriri debet, quod habemus, tanquam inſigne bonum nobis repræſentare debemus, & magnitudo gaudii reſpondet magnitudini boni, quæ nobis videtur (§. 616. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo

Digitized by Google

go quis gaudio indulgere velit, animum convertere debet ad bona, quæ ipſi adſunt, & earum magnitudinem reſpectu ſui expendere.

Gaudium requirit bonum præſens. Qui itaque gaudio indulgere vult animum convertere debet in bona præſentia, aut quæ præſentibus æquiparantur per ea, quæ mox oſtendemus. Nemo hominum eſt, cui non ſemper adſint bona, modo ea cognoſcere ſtuderet & magnitudinem æſtimare diſceret, ut ideo occaſio gaudendi nunquam deſit, & ſtatus quidam animi placidus conſervari poſſit. Diximus autem magnitudinem bonorum expendendam eſſe reſpectu ſui. Neque enim quod uni magnum bonum eſt, idem quoque tantum eſt alteri. Felicitati ſuæ plurimum nocent, qui ſua cum iis, quæ aliorum ſunt, comparant, ut ſenſum boni proprii deleant & opinioni infelicitatis locum faciant. Tum demum fruimur bonis noſtris, ſi nobis præbeant materiam ſemper gaudendi. Sanitas maximum omnino bonum eſt: qui tamen ea integra fruuntur, quantum ſit minime perpendunt, cum tamen ſola ad gaudendum ſufficeret, quemadmodum contingere ſolet, ſi quis diu, multumque morbo vexatus eidem reſtituitur. Non commemoro bona alia, quæ plurimum variant & quorum tanto major deprehenditur numerus, ſi ad ea quoque referatur, quemadmodum debet (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), malorum abſentia, modo quis veri boni notionem habuerit & unumquodque rite æſtimare didicerit. Plura huc ſpectantia dicemus, quando de praxi officiorum erga Deum acturi ſumus, quæ quatenus in praxin ceterorum influunt efficiunt, ut hiſce non ſine gaudio ſatisfaciamus, ſicque gaudium oriatur, quo virtuoſus actiones legi naturæ conformes committit (§. 348. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

§. 263.

De gaudio ex virtute percepto.

Gaudium, quod parit virtus, virtutis colendæ motivum eſt. Cum enim gaudium conſiſtat in prædominio voluptatis inſigni (§. 614. *Pſych. empir.*), felicitas vero ſtatus ſit, in quo voluptas vera perdurat (. 636. *Pſych. empir.*), qualem eſſe eam, quæ ex virtute percipitur, nemo dubitare poteſt, utpote oriundam ex vera perfectione (§. 514. *Pſych. empir.* & §. 330. *part. 1. Phil. pract. univ.*); gaudium, quod parit virtus, ad felicitatem hominis pertinet. Quoniam itaque; felicitas eſt motivum committendi actiones legi naturæ conformes (§. 326. *part. 2. phil. pract. univ.*), conſequenter virtutis colendæ (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*); gaudium, quod parit virtus, virtutis colendæ motivum eſt.

Facile apparet, motivum hoc vim ſuam tum demum exerere, ubi quis guudium ex actione legi naturæ conformi perceptum expertus fuerit. Quamvis enim utile ſit, ut convincatur veritatis eorum, quæ de modo conſequendi felicitatem & ejus neceſſario cum virtute nexu demonſtravimus (§. 396. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), quemadmodum alias me jam monuiſſe memini (*not.* §. 326. *part. 2. Phil. pract. univ.*); quoniam tamen gaudium ſedem ſuam habet in appetitu ſenſitivo (§. 603. *Pſych. empir.*), multum omnino intereſt, utrum gaudium ex actione legi naturæ conformi ipſimet experti fuerimus, nec ne. Ad animum revocentur ea, quæ de experientia domeſtica in moralibus demonſtravimus (§. 271. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Inprimis probe conſiderandum, quantum valeat experientia propria in cognitione viva (§. 273. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſine qua non concipitur motivum voluntatis (§. 244. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Ampliſſimus veritatum moralium nexus eſt, quem minime perſpicit, niſi qui noſtro modo philoſophatur, nec ſine eo cognito latebræ ac

recess-

receſſus in animis hominum agnoſcuntur, quantum ad praxin moralem requiritur.

§. 264.

Si virtus gaudium parere debet, neceſſe eſt ut expendatur perfectio ſui & ſtatus ſui aliorumque, ſimulque abſentia imperfectionis, a qua liberamur, vel quæ præcavetur. Virtute præditus committit actiones ad ſui aliorumque atque ſtatus ſui & aliorum perfectionem tendentes (§. 330. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo eadem expendatur, virtute præditus perfectionis hujus ſibi conſcius voluptate perfunditur (§. 511. *Pſych. empir.*), tanto quidem majore, quo major cenſetur perfectio (§. 516. *Pſych. empir.*). Magnitudo perfectionis cum magis eluceſcat, ubi ſimul animus attenditur ad imperfectionem, a qua liberamur, vel quæ præcavetur; ſi ejusdem abſentia ſimul expendatur, voluptas quoque majora incrementa capit. Quoniam itaque gaudium in prædominio voluptatum conſiſtit (§. 614. *Pſych. empir.*); ſi virtus gaudium parere debet, neceſſe eſt ut expendatur perfectio ſui & ſtatus ſui aliorumque, ſimulque abſentia imperfectionis, a qua liberamur, vel quæ præcavetur.

Quid faciendum ut virtus gaudium pariat.

Quæ hic in genere præcipiuntur, facem præferunt in tractatione ſpeciali, ut conſtet, quid te virtutibus ſingulis ſit inculcandum. Praxis moralis a fortunæ poreſtate unice pendet, quamdiu certis regulis deſtituitur, quibus ad uſum facultatum diſtincte cognitum adſtringitur & poteſtati noſtræ ſubjicitur: id quod a nobis in Ethica methodo ſcientifica ideo pertractanda intenditur. Nemo | eſt, qui non in votis habeat, ut ſemper gaudeat. Aſt quot, quæſo, ſunt, qui ſibi perſuaſiſſimum habent tenaci virtutis ſtudio hoc effici poſſe. Cur hoc non agnoſcant, ratio alia non eſt, quam quod non ſerio perpendant, quantis bo-

nis cumulentur & a quantis malis liberentur, aut quanta arceantur mala, ubi virtuti indulgent. Neglectus enim hic in causa est, ne gaudium ex virtute capiant, quod tamen eandem maxime commendat & confirmat.

§. 265.

Quomodo tristitia concitetur.

Si tristitiam concitare velimus, necesse est ut alteri repræsentetur malum, quod ipsi præsens est, & magnitudo ejus, quantum datur, exaggeranda. Etenim si quid nobis præsens tanquam ingens malum idea confusa repræsentamus, tristitia in nobis oritur & magnitudo ejus respondet magnitudini mali, quæ nobis videtur (§. 621. *Psych empir.*). Quodsi ergo tristitiam concitare velimus, necesse est ut alteri repræsentetur malum, quod ipsi præsens est, ut id agnoscat atque animum ad idem attendat, &, ut quantum sit persuadeatur, magnitudo ejus exaggeranda.

Equidem tristitia quoque cocitari potest, si alterum in malum conjicimus, aut quodcunque malum excitatur: quoniam tamen cavere debemus, ne alius quicunque in mala animi, corporis ac fortunæ incidat (§. 613. *part. 1. Jur. nat.*), modus iste concitandi tristitiam legi naturæ repugnat, consequenter ex Ethica proscribendus. Laborant autem homines multis malis, quæ non agnoscunt, aut a quibus animum revocant, nec ad eadem eundem attendunt. Cumque haud raro utile sit, ut quis contristetur, ad repræsentationem horum malorum est recurrendum. Tristitia tota nititur opinione mali præsentis, quæ cum omnium non sit eadem, ejus quoque in contristando habenda est ratio. Duo autem hic observanda sunt, quæ in ceteris quoque affectibus notanda. Nimirum malum existimari atque æstimari non debet opinione contristantis, sed contristandi. Et ut hoc fiat, constare debet, quænam huic accidant molesta

&

Digitized by Google

& quænam maxime moleſta ſint. Quod enim de bono diximus reſpectu gaudii concitandi (*not.* §. 255.), idem quoque tenendum eſt de malo reſpectu triſtitiæ concitandæ, quemadmodum jam ſupra monuimus (*not.* §. *cit.*).

§. 266.

Si quis non obtinet, quod cupit, contriſtatur, & gradus triſtitiæ reſpondet gradui cupiditatis. Si quid enim cupimus, id nobis repræſentamus tanquam valde bonum (808. *Pſych. empir.*), conſequenter carentia ejus tanto majus cenſetur malum, quanto majus bonum id videbatur. Quodſi ergo non obtinetur, quod cupimus, in malum incidere nobis videmur. Quamobrem cum triſtitia oriatur ex opinione mali præſentis (§. 623. *Pſych. empir.*); ſi quis non obtinet quod cupit, contriſtatur. *Quod erat unum.*

De eo, quod cupimus, non obtento.

Enimvero quoniam gradus affectus pendet a magnitudine boni vel mali, cujus opinione concitatur (§. 256.); cupiditas quoque major vel minor erit, prouti id, quod cupimus, majus, vel minus bonum videtur. Quando itaque quod cupimus non obtinetur, boni iſtius carentia tanto majus videtur malum, quanto major erat cupiditas. Quamobrem cum gradus triſtitiæ pendeat a magnitudine mali, cujus opinione concitatur (§. 256.); ſi quis contriſtatur, quia non obtinet quod cupit, *per demonſtrata n.* 1. gradus triſtitiæ reſpondet gradui cupiditatis. *Quod erat alterum.*

Experientia utramque propoſitionis præſentis partem confirmat. Si cui diu in votis fuit, ut officio cuidam admoveatur, ubi id ambiens repulſam fert, contriſtatur: tanto autem major eſt triſtitia, quanto magis eidem admoveri cupiebat.

ebat. Conſideramus vero hic triſtitiam, quatenus a ſola cupiditate dependet. Pro diverſitate enim circumſtantiarum alia concurrere poſſunt, quæ triſtitiam augent, quatenus opinione contriſtati malum propter eas cenſetur majus, veluti ſi quis famæ ſuæ noxium exiſtimet, quod repulſam tulerit, aut id in poſterum impedimento futurum putet, ſi alibi officium ambierit. Exemplo quoque eſſe poteſt matrimonium nullo ſucceſſu ambiens. Neque jam attenduntur affectus alii, qui triſtitiæ ſubinde aſſociantur, & in eandem ſimul influunt, ut gradus fiat major.

§. 267.

De eo non obtento, quod cupimus, ut habeat alter.

Quoniam contriſtamur, eo quod cupimus non obtento (§. 266.), qui vero alterum amat, eundem conſiderat tanquam ſeipſum (§. 659. *Pſych. empir.*), ideoque ſi quid cupit, ut habeat alter, perinde eſt, ac ſi ipſe hoc habere vellet, ac per conſequens ſi id non obtinetur, perinde eſt, ac ſi ipſe non obtineret quod cupit; *qui alterum amat, contriſtatur, ſi is non obtinet, quod ut obtineat ipſe cupit.*

Quæ in caſu ſimili de gaudio ſupra annotavimus (*not.* §. 258.), eadem quoque de triſtitia tenenda, ut ideo ſuperfluum exiſtemus ibidem dicta ad triſtitiam quoque transferre. Id autem inprimis eſt notandum, triſtitiam ex eo non obtento, quod ut alter obtineat cupimus, non ſemper communem eſſe. Rationes jam ſupra allegavimus, cum idem de gaudio in caſu oppoſito annotaremus. Tua cupiditas producere poteſt triſtitiam, etſi carentia ejus, quod cupitum, non ſufficiat ad contriſtandum alterum.

§. 268.

De gradu triſtitiæ eo non obtento,

Si quod cupimus ejus gratia, quem amamus, non obtinetur gradus triſtitiæ variat pro gradu amoris. Etenim ſi quid cupimus ejus gratia, quem amamus, amor influit in cupiditatem

tatem (§. 652. 805. *Pſych.empir.*), conſequenter quo major fuerit amor, eo major quoque erit cupiditas, ceteris paribus, veluti eadem boni opinione exiſtente, qua cupiditas excitatur. Quamobrem cum gradui cupiditatis reſpondeat gradus triſtitiæ eo non obtento, quod cupiebatur (§. 266.); ſi quod cupimus ejus gratia, quem amamus, non obtinetur, gradus triſtitiæ variat pro gradu amoris. *quod ejus gratia cupimus, quem amamus.*

Repetenda hic ſunt, quæ ſupra annotavimus, cum de gradu gaudii pro gradu amoris variante ageremus (*not.* §. 259.)

§. 269.

* *Si quod cupimus tam noſtri cauſa, quam alterius, quem amamus, non obtinetur; gradus triſtitiæ reſpondet & gradui cupiditatis, & amoris ſimul.* Etenim ſi quod cupimus noſtri cauſa non obtinetur, gradus triſtitiæ reſpondet gradui cupiditatis (§. 266.), & ſi quod cupimus alterius gratia, quem amamus, non obtinetur, gradus triſtitiæ variat pro gradu amoris (§. 268.). Quodſi ergo quod cupimus tam noſtri, quam alterius cauſa non obtinetur; gradus triſtitiæ ſimul reſpondet & gradui cupiditatis, & gradui amoris: *De eo non obtento, quod noſtri & alterius, quem amamus, cauſa cupimus.*

Influit in præſenti caſu in triſtitiam tam cupiditas, quam amor, ac ideo gradus triſtitiæ per utrumque affectum ſimul determinatur. Uterque cum gradu variare poſſit pro diverſitate circumſtantiarum, gradus quoque triſtitiæ in hypotheſi propoſitionis præſentis plurimum variat. Ponamus te ambire officium, tum ut rei tuæ familiari proſpectum ſit, tum quia patriæ, quam amas, plurimum prodeſſe potes & magis quam ceteri competitores. Gradus triſtitiæ, qui oritur, officio in alium collato, reſpondet & gradui cupiditatis, qua flagrabas, & gradui amoris, quo ardes. Simile exemplum eſt in eo, qui cupit ducere uxorem divitem, tum ne in pane lucrando tempus omne conſumere tenea-

teneatur, quod in ſcientiis collocare mallet, tum ut parentibus egenis benefacere poſſet; aſt præter ſpem ſuam inopem eſſe experitur, quam divitem eſſe putabat. Nemo non facile largietur, in utroque caſu triſtitiam fore majorem ob concurſum cupiditatis & amoris ſimul in triſtitiam influentis, quam ſi horum affectuum unus tantummodo animum obſideret, neque difficilius intelliget, pro diverſo gradu utriusque affectus variare quoque triſtitiæ gradum.

§. 270.

De eo obtento, quod tam noſtri, quam alterius cauſa, quem amamus, cupimus.

Si obtinetur quod cupimus tam noſtri cauſa, quam alterius gratia, quem amamus; gradus gaudii ſimul reſpondet & gradui cupiditatis, & gradui amoris. Etenim ſi quod noſtri cauſa cupimus obtinemus, gradus gaudii reſpondet gradui cupiditatis (§. 257.), & ſi quod cupimus alterius gratia obtinemus, gradus gaudii reſpondet gradui amoris (§. 259.). Quodſi ergo obtinemus quod cupimus tam noſtri, quam alterius cauſa, quem amamus; gradus gaudii reſpondet ſimul & gradui cupiditatis, & gradui amoris.

Quæ modo annotavimus de triſtitia (*not.* §. 269.), ea etiam tenenda ſunt de gaudio in hypotheſi propoſitionis præſentis, ad quam etiam facile accommodantur exempla, quibus propoſitionem præcedentem illuſtravimus, mutatis mutandis. In utroque autem caſu tam in cupiditatem, quam in amorem imaginatio præteritorum repræſentatrix multis modis influere ſolet nobis minime conſciis, cum conſtet actus præteritos influere in determinationem actus præſentis. Utraque propoſitio utilis eſt tam in concitando gaudio, quam triſtitia, quatenus in repræſentando eo, quod alterius cauſa cupimus, ſimul inquirimus, quomodo idem nobis proſit, & vice verſa ſi quid noſtri cauſa cupimus, ſimul inquirimus, quomodo eo ipſo prodeſſe poſſimus aliis, vel

Digitized by Google

vel quos amamus, vel quos amare debemus. Etenim vix ac ne vix quidem dabitur caſus ullus, in quo aliis inſerviendo non proſimus nobismetipſis vel quod bonum eſt reſpectu noſtri, non etiam bonum ſit reſpectu aliorum, quos amamus, vel amare ſaltem debemus. Præterea quoque notandum eſt, propoſitionem utramque uſui eſſe poſſe ſimul, ſive gaudium concitare velis, ſive triſtitiam, quatenus carentia mali bonum eſt (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter depulſio triſtitiæ in gaudium influit, carentia autem boni malum eſt (754. *Part. 1. Jur nat.*), conſequenter privatio gaudii in triſtitiam influit. Atque hoc in genere maximi momenti eſt in omni motivorum doctrina, quemadmodum ſuo loco eluceſcet.

§. 271.

Si quid nobis accidat, quod alteri moleſtiam creare valet, eodem non contriſtaremur. Etenim ſi quid nobis accidat, quod alteri moleſtiam creare valet, ideoque contriſtemur, cum alias non contriſtaremur, ratio triſtitiæ alia non eſt, quam quod ſic detur occaſio alteri moleſtiam creandi (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem neceſſe eſt, ut tædium ſive moleſtiam alterius averſemur, cum ad hanc depellendam tendat triſtitia (§. 252.). Enimvero ſi quis ex tædio ſive moleſtia alterius moleſtiam percipit, ideoque eandem averſatur (§. 156.), eundem amat (§. 643. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quis contriſtatur ex eo, quod ſibi accidit, quia alteri moleſtiam creat, cum alias non contriſtaretur; eundem amat. Triſtitiam itaque, qua is affligitur, amor concitat.

Si quid nobis triſtitiam, quæ ideo oritur, excitat amor, ſi vel maxime alias ex contingat,

moleſtiam creare valet.

Uſui hoc eſt in conjectandis aliorum moribus ex affectibus, quemadmodum in caſu non prorſus abſimili de gaudio idem obſervavimus (*not.* §. 260.). Exemplo ſunt li-

beri, qui, cum parentes ſuos imponſe amant, extremis medullis querelas proferunt, quod caſus ſibi infeſtus parentes lachrymis ac triſtitiæ ſit traditurus.

§. 272.

Si noſtri & aliorum cauſa ſimul contriſtemur.

Si ex eadem re ipſimet contriſtemur, contriſtentur vero etiam alii, quos amamus; gradus triſtitiæ major eſt, quam ſi noſtri ſaltem cauſa contriſtaremur. Etenim ſi noſtri et alterius cauſa contriſtemur, uterque affectus determinatum habet gradum, quod ex natura affectuum patet (§. 603, 599. *Pſych. empir.*) et experientia quotidie obvia confirmatur. Quodſi ergo noſtri et alterius cauſa ſimul contriſtemur, cum utraque triſtitia gradum ſuum retineat, utroque gradu in unum coaleſcente major utique efficitur. Quamobrem ſi ex eadem re ipſimet contriſtemur, contriſtentur vero etiam alii, quos amamus, ideoque etiam amor triſtitiam excitet (§. 271.); gradus triſtitiæ major eſt, quam ſi noſtri ſaltem cauſa contriſtaremur.

Triſtitia duplici concurrente majorem fieri triſtitiæ gradum, nemo facile in dubium vocabit. Hinc ſane enatum eſt pervulgatum iſtud, afflicto non eſſe addendam afflictionem, ne ſcilicet augeatur triſtitia, qua torquetur animus. Concurrit duplex triſtitia, ſi duplex extiterit ejus cauſa, quatenus nimirum duo diverſa ſunt mala, ad quæ animus attenditur, quorum unumquodque per ſe nos triſtitiæ tradit. Id obtinere in caſu propoſitionis præſentis manifeſtum eſt. Haud difficulter intelligitur, idem etiam valere de affectibus aliis. Fieri autem poteſt, ut plures diverſæ cauſæ, quarum unaquæque per ſe affectum eundem concitat, concurrant. Concurſus itaque iſte probe perpendendus, ſi gradus affectus æſtimandus. Omnibus particularibus univerſalia, aut, ſi mavis, ſpecialibus generalia inſunt, quæ ut acute

Digitized by Google

acute abſtrahat operam dare debet, qui in ſcientia plurimum proficere vult. Sane ſi theoriam omnibus numeris abſolutam in diſciplinis haberemus, multæ tamen adhuc relinquerentur partes acumini in notionibus univerſalibus ſeu generalibus abſtrahendis, ut, dum memoria minus oneratur, ipſa tamen ſcientia latius diffundatur. Talia vero ad artem inveniendi pertinent, cujus ſubinde ſemina ſpargere conſtituimus.

§. 273.

Si alterum in triſtitiam inducere volueris, neceſſe eſt ut cognoſcas, ex quibusnam rebus inſignem percipiat moleſtiam, vel etiam quæ cupit. Triſtitia enim conſiſtit in prædominio tædii, ſive moleſtiæ inſigni (§. 619. *Pſych. empir.*), conſequenter ex iis contriſtamur, quæ tantam nobis moleſtiam creant, ut voluptas, ſi qua adeſſet, non appercipiatur (§. 529. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo quis in triſtitiam inducendus, neceſſe eſt ut adſint talia, ex quibus is inſignem moleſtiam percipit, vel, cum triſtitiæ quoque tradamur, eo, quod cupimus, non obtento (§. 266.), ut talia adſint, quæ obſtant, quo minus quod cupimus obtineamus. Quamobrem ſi alterum in triſtitiam inducere volueris, neceſſe eſt ut cognoſcas, ex quibusnam rebus inſignem percipiat moleſtiam, vel etiam quæ cupiat.

Quænam de quem in triſtitiam induere velis.

gnoſcenda,

Non omnibus omnia moleſtiam creant, nec creant eodem gradu. Quare nec eadem omnibus triſtitiam afferunt, nec qui ex eadem re moleſtiam percipiunt, æquali triſtitia afficiuntur. Gradus triſtitiæ dependet a magnitudine mali, cujus opinione concitatur (§. 256.). De hoc autem non omnium eadem eſt opinio. Immo non deſunt rationes, ob quas ſubinde malum quoddam majus habetur, quam tempore alio, ubi illæ ceſſant. De his igitur omnibus an-

te conſtare debet, quam eum in triſtitiam inducere conemur, ne omni tandem conatu noſtro nihil agamus. Cum triſtitia affectus ſit (§. 623. *Pſych. empir.*), isque moleſtus, qui in averſando conſiſtit (§. 609. *Pſych. empir.*), et affectus pariter moleſtus quemadmodum omnis averſatio (§. 893. *Pſych. empir.*), oriatur ex repræſentatione mali (§. 605. *Pſych. empir.*); quæ hic de triſtitia dicuntur, de aliis etiam affectibus concitandis et averſatione ſtimulanda valent, atque ad motiva nolitionis urgenda quoque faciunt (§. 890. *Pſych. empir.*).

§. 374.

De triſtitia ex vitiis orta

Triſtitia, quam vitium parit, vitii fugiendi motivum eſt

Cum enim triſtitia conſiſtat in prædominio tædii ſive moleſtiæ inſigni (§. 619. *Pſych. empir.*), quicquid vero homini moleſtiam creat, ad infelicitatem ejus quidpiam conferat (§. 639. *Pſych. empir.*); triſtitia, quam parit vitium, ad infelicitatem hominis pertinet. Quoniam itaque infelicitas eſt motivum omittendi actiones legi naturæ contrarias (§. 327. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter vitii fugiendi (§. 321. *part 1. Phil. pract. univ.*); triſtitia, quam parit vitium, vitii fugiendi motivum eſt.

Quod ſupra annotavimus de gaudio ex virtute oriundo virtutis motivo (*not.* §. 263.); idem quoque tenendum eſt de triſtitia ex vitio oriunda vitii fugiendi motivo, nimirum quod motivum hoc vim ſuam tum demum exerat, ſi quis triſtitiam ex actione legi naturæ contraria ortam expertus fuerit. Id tamen probe notandum eſt, operam dandam eſſe, ut ex alieno caſu diſcamus, quæ infelicitatis vitandæ cauſa fugere debeamus, etſi in caſu oppoſito conſultius ſit, ut gaudium, quod parit virtus, innobismet ipſis experiamur. Ratio diverſitatis minime obſcura. Felicitatem enim homines omnes per naturam ſuam appetunt (§. 324. *part. 2. Phil.*

Digitized by Google

2. *Phil. pract. univ.*), infelicitatem averſantur (§. 325. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*), et ipſa lege naturali obligamur ad felicitatem conſequedam & infelicitatem fugiendam (§. 280. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quamobrem homo natura fertur ad gaudium ex virtute percipiendum & eo ducit eundem naturalis obligatio: aſt idem natura retrahitur a triſtitia, quam parit vitium, & eo tendit naturalis obligatio, ut eandem evitet. Quoniam tamen contingit, ut homines, dum voluptate nocua delectantur, ad triſtitiam contorqueantur; ubi eam in ſeipſis experti fuerint, eadem motivum fortius eſſe poterit vitii fugiendi. Non ſunt facienda mala, ut inde eveniant bona: aſt ubi facta fuerunt, dirigenda ſunt in bonum finem. Factum infectum fieri nequit; proderit tamen, ne denuo facias. Ethica felicitatis privatæ, politica publicæ promovendæ ſcientia eſt. Omnia igitur motiva virtutis colendæ, vitii fugiendi tandem in motivum generale culturæ virtutis felicitatem (§. 328. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*) & motivum vitii fugiendi infelicitatem reſolvuntur (§. 329. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Qui ſemper gaudere vult, ejus gaudium nunquam triſtitia interrumpendum. Dum igitur operam damus, ut ſemper gaudeamus, opera quoque danda eſt, ut triſtitiam evitemus. Non eſt quod objicias homines contriſtari caſibus funeſtis, quos evitare in poteſtate ipſorum non eſt. Videbimus enim ſuo loco, calamitates non poſſe delere gaudium, quod ex virtute & beneficiorum divinorum conſideratione oritur. Exemplo eſſe poſſunt Apoſtoli & martyres, quæ cum in vulgus nota ſint, ut ea prolixe urgeamus opus minime videtur, præſertim cum alio in loco de iis rectius dicatur.

§. 275.

Si vitium triſtitiam parere debet, neceſſe eſt ut expendatur Quid faciendum, ut vitio noxium reddit, ſimulque carentia perfectionis, qua vitium hominem imperfectio ſui & ſtatus ſui aliorumque, cui vitium hominem ob- triſtitiam pri- pariat.

privat. Qui vitio deditus eſt, actiones eas committit, quæ tendunt ad ſui aliorumque ac ſtatus ſui & aliorum imperfectionem (§. 354. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo eadem expendantur, vitio deditus imperfectionis hujus ſibi conſcius moleſtiam percipit (§. 518. *Pſych. empir.*), tanto quidem majorem, quo major cenſetur imperfectio (§. 521. *Pſych. empir.*). Magnitudo imperfectionis cum magis eluceſcat, ubi ſimul animus attenditur ad perfectionem, qua privamur vitiis indulgentes; ſi ejusdem carentia ſimul expendatur, triſtitia quoque majora capiet incrementa. Quoniam itaqe triſtitia in prædominio tædiorum ſive moleſtiarum conſiſtit (§. 619. *Pſych. empir.*); ſi vitium triſtitiam parere debet, neceſſe eſt ut expendatur imperfectio ſui & ſtatus ſui aliorumque, cui vitium hominem obnoxium reddit, ſimulque carentia perfectionis, qua vitium hominem privat.

Quae ſupra de modo efficiendi, ut virtus gaudium pariat, annotavimus (*not.* §. 264.); ea etiam de modo efficiendi, ut vitium triſtitiam pariat, tenenda ſunt. Quemadmodum nemo eſt, qui non in votis habeat, ut ſemper gaudeat; ita quoque nemo eſt, qui non ab omni triſtitia animum immunem ſervare deſideret. Aſt quo, quæſo, ſunt, qui ſibi perſuaſiſſimum habeant, ſevero vitii fugiendi ſtudio triſtitiam arceri. Cur hoc minime agnoſcant, ratio alia non eſt, quam quod animum non ſerio attendant ad mala, quæ ex vitiis propullulant, & quot ac quantis bonis ſe privet qui vitiis indulget. Clarius hæc omnia eluceſcent, quando de vitiis in ſpecie acturi ſumus. Fortunæ adverſæ tam propriæ, quem alienæ fabri efficiuntur homines, dum a virtutis tramite deflectentes ad vitia dilabuntur, & mala phyſica evitatu impoſſibilia intolerabilia efficiunt vitia hominum, quæ tolerabilia efficeret virtus. Calamitates publicæ vitio ſum-

ſummorum imperantium debentur, qui bene regere Remp. nunc neſciunt, nunc nolunt, et mala phyſica publica, quæ prudentia nulla præcaveri poſſunt, vitia male imperantium ſubditis intolerabilia efficiunt. Perennes ſunt hominum de miſeria humana querelæ; de fonte tamen miſeriæ obturando vix eſt qui cogiter.

§. 276.

De modo voluptatem & moleſtiam concitandi.

Eodem, quo gaudium, modo excitatur voluptas, & eodem, quo triſtitia, moleſtia, niſi quod opinione ejus, cujus animus voluptate demulcendus, in caſu priori bonum, ejus autem opinione, cui moleſtia creanda, in caſu poſteriori malum minus videatur, quam quod ad gaudium, vel triſtitiam concitandum ſufficit. Etenim gaudium concitatur opinione boni inſignis (§. 255.) et gradus ejus pendet a magnitudine boni, cujus opinione concitatur (§. 256.), Quamobrem cum ex opinione boni naſcatur voluptas (§. 558. *Pſych. empir.*); bonum, quod voluptatem minorem parit, quam quæ ad gaudium concitandum ſufficit, minus videatur neceſſe eſt eo, cujus repræſentatione gaudium affertur. Voluptas igitur eodem modo, quo gaudium, concitatur, niſi quod opinione ejus, cujus animus voluptate demulcendus, minus videatur, quam quod ad gaudium concitandum ſufficit. *Quod erat unum.*

Similiter triſtitia concitatur opinione mali gravis (§. 265.), & gradus ejus pendet a magnitudine mali, cujus opinione concitatur (§. 256.). Quamobrem cum ex opinione mali naſcatur tædium ſive moleſtia (§. 569. *Pſych. empir.*); malum, quod moleſtiam minorem parit, quam quod ad triſtitiam concitandam ſufficit, minus videatur neceſſe eſt eo, cujus opinione triſtitiæ tradimur. Moleſtia igitur eodem, quo triſtitia modo concitatur, niſi quod opinio-

opinione ejus, cui moleſtia creanda, malum minus videatur, quam quod ad triſtitiam concitandam ſufficit. *Quod erat alterum.*

Voluptas & gaudium nonniſi gradu differunt (§. 614. *Pſycb. empir.*), gradus autem voluptatis pendet a gradu boni, nec in eo æſtimando attenditur veritas, ſed opinio æſtimantis (§. 612. *Pſycb. empir.*). Atque inde eſt, quod nonnulli voluptatem in numerum affectuum retulerint, & cum gaudio in unum confuderint. Similiter tædium ſive moleſtia & triſtitia nonniſi gradu differunt (§. 619.), gradus autem moleſtiæ pendet a gradu mali, nec in eo æſtimando veritas attenditur, ſed opinio æſtimantis (§. 612. *Pſycb. empir.*). Atque inde eſt, quod nonnulli moleſtiam in numerum affectuum retulerint, & cum triſtitia in unum confuderint. Quoniam tamen actus vehementiores appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ affectus appellamus (§. 603. *Pſycb. empir.*) idque uſui loquendi conformiter (§. 604. *Pſycb. empir.*), & præſertim in mutatione, quæ in corpore contingit, dum animus gaudio exultat, vel triſtitia afficitur, gaudium a voluptate minore, & a moleſtia minore triſtitia diſcernitur; evitandæ confuſionis cauſa non voluptatem quamlibet & moleſtiam quamlibet minoris gradus ad affectus referre volumus. Et quamvis in voluptate & gaudio concitandis eodem modo ſit procedendum, ſicuti etiam in moleſtia atque triſtitia; obſervanda tamen etiam hic eſt quædam differentia, quatenus in affectu concitando magnitudo boni vel mali urgenda, id quod minime requiritur, ſi ſaltem voluptas, vel moleſtia creanda. In praxi autem morali plurimum intereſt, utrum ſaltem voluptatem, vel moleſtiam creare, an vero gaudium, vel triſtitiam concitare poſſis.

§. 277.

Digitized by Google

§. 277.

Quoniam voluptas & moleſtia eodem modo excitatur, quo gaudium & triſtitia, niſi quod variet opinio de magnitudine boni, vel mali (§. 276.), de ea autem non eadem omnium opinio eſt, quod in vulgus notum; *repræſentatio boni præſentis, quæ uni gaudium affert, alteri nonniſi voluptatem quandam eamque levem creat, & ex adverſo repræſentatio mali præſentis, qua unus contriſtatur, alteri nonniſi moleſtiam quandam eamque levem creat,* conſequenter *ubi repræſentatio boni vel mali non ſufficit ad gaudium vel triſtitiam concitandum, omni animi contentione id agendum, ut bonum vel malum exaggeretur.*

Cur eadem repræſentatione boni & mali uni gaudium vel triſtitia, alteri voluptas quædam aut moleſtia crecitur.

Oratorum eſt concitare affectus. Experientia autem docet, eandem boni & mali repræſentationem non eandem vim exerere in animos auditorum. Videbis enim alios gaudio exultare, dum alii leni ſaltem quaſi voluptate perfunduntur, ac inprimis alios inſigniter contriſtari, ita ut ſe totos triſtitiæ atque lachrymis tradant, cum ex adverſo alii aliquid ſaltem moleſtiæ percipiunt. Cum Orator magnitudinem boni & mali eodem modo repræſentet ſingulis, quos ad ipſius verba animum attendere ſupponimus; ratio diverſitatis alia non eſt, quam quod de magnitudine boni & mali non eadem eſt omnium opinio. Idem obſeruare licet in comœdiis & tragœdiis, immo in ipſa quoque vita communi haud infrequentes ſunt caſus, quibus idem experiri datur. Non jam inquirimus, undenam ſit opinionis hominum de magnitudine boni, vel mali diverſitas: hæc enim diſquiſitio in præſenti loco nos nimis procul a ſcopo noſtro abduceret. Qui ea expendit, quæ de diverſitate bonorum & malorum ſupra demonſtravimus, & quæ de facultatum animæ mutua a ſe invicem dependentia dudum oſtendimus; is ex circumſtantiis datis facile colliget,

quomodo inſerviendum ſit opinioni. Cavendum vero eſt, ne cum eo caſu, in quo repræſentatio mali præſentis moleſtiam creat, confundantur alii, in quibus imaginatione in appetitum vel averſationem influente moleſtiæ iſti aſſociantur affectus alii pro diverſitate circumſtantiarum ac inprimis ſubjectorum plurimum variantes. Latebræ & receſſus in animis hominum obſervationes perplexas reddunt, ut admodum circumſpectus eſſe debeat, ſi quis omnem errorem cavere velit. Illis ſi nullus eſſet locus, id quod in præſenti tractatione ſupponitur, ubi affectus ſingulos in ſe ſpectamus, niſi expreſſe aliud dicatur, absque ulla difficultate experiri poteramus ea, quæ hic demonſtrantur. Quod vero de affectibus annotamus, idem extendi quoque poteſt ac debet ad alia in anima obſervabilia.

§. 278.

De differentia voluptatis & moleſtiæ a gaudio & triſtitia.

Voluptas ex opinione boni præſentis orta, quæ ad gaudium nondum ſufficit, gaudium naſcens eſt, ac ſimiliter moleſtia ex opinione mali præſentis orta, quæ ad contriſtandum nondum ſufficit, triſtitia naſcens eſt. Cum enim gaudium in prædominio voluptatis inſigni conſiſtat (§. 614. *Pſych. empir.*); a voluptate, quæ ad gaudendum nondum ſufficit, nonniſi gradu differt. Quoniam itaque natura a gradu minori ſucceſſive progreditur ad majorem, quod ſumitur, ideoque quando gaudium gignitur, ante pervenitur ad eum gradum, qui ad gaudendum nondum ſufficit, quam ad eum, in quo ſiſtitur, gaudio nato; voluptas ex opinione boni præſentis orta, quæ ad gaudium nondum ſufficit, gaudium naſcens eſt. *Quod erat unum.*

Similiter cum triſtitia in prædominio tædii ſive moleſtiæ inſigni conſiſtat (§. 569. *Pſych. empir.*); moleſtia ex opinione mali præſentis orta, quæ ad contriſtandum nondum

dum ſufficit, a triſtitia nonniſi gradu differt. Unde porro eodem, quo ante *n.* 1. modo oſtenditur, moleſtiam ex opinione mali præſentis ortam, quæ ad contriſtandum nondum ſufficit, triſtitiam naſcentem eſſe. *Quod erat alterum.*

Notiſſimum hodie eſt, naturam non facere ſaltum, hoc eſt, ab extremo uno ad alterum non progredi niſi ſucceſſive per gradus intermedios: id quod non modo in mundo materiali obſervatur, verum etiam in anima locum habet. Quod vero non ubivis obſervari poſſit, niſi intellectus ſuppleat, quæ ſenſum effugiunt, vel etiam attentionem ad ea, quæ nobis conſciis in anima contingunt; id quidem inde eſt, quod tempuscula obſervabilia in multa inobſervabilia adhuc diſtingvantur, in quibus mutationes minime obſervabiles aut ſenſu diſcernibiles contingunt. Quemadmodum itaque incendium ſucceſſive oritur, nec uno impetu in flammam vehementem erumpit, & ipſa flamma ignis quocunque procellæ impetu impulſa tecta ſtraminea nonniſi ſucceſſive percurrit tempuſculo vix obſervabili; ſic etiam affectus non uno impetu erumpit, ſed ſucceſſive oritur & ad eum gradum, in quo terminarur, pervenit. Prouti ergo incendium naſcens diſtingvitur ab eo, quod jam ortum eſt & vires acquiſivit; ita etiam affectus naſcens ab eo, qui jam ortus eſt & vires acquiſivit, diſcernendus. Et ſicuti incendium naſcens vires acquirere nequit, deficiente pabulo; ita etiam affectus naſcens non acquirit vires niſi ea adſit magnitudinis boni vel mali opinio, quæ ad eum alendum ſufficit. Atque ideo bonum vel malum, cujus opinione ſuſcitatur voluptas vel tædium, exaggerandum, ut illa in gaudium, hoc in triſtitiam degeneret (§. 277.), ſicuti incendio naſcenti pabulum adjiciendum, ut vires acquirat.

§. 279.

Gaudium tendit ad conſervandum felicitatem; triſtitia vero ad depellendum infelicitatem. Cum gaudium in prædominio *Quo gaudium & triſtivo-tia tendant.*

voluptatis insigni consistat (§. 614. *Psych. empir.*), quicquid vero homini voluptatem creat, id ad felicitatem ejus quidpiam conferat, aut saltem conferre videatur (§. 638. *Psych. empir.*); quicquid gaudium creat, id hominem reddit felicem, aut saltem reddere videtur, prouti scilicet opinio boni præsentis vel vera fuerit, vel falsa. Quoniam itaque homo per naturam suam appetit felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), consequenter etiam id, quod felicitatem parit; ad conservationem quoque ejus, quod gaudium ipsi affert, appetitus (§. 150.) ideoque ad felicitatem conservandum tendit (§. 157.). *Quod erat unum.*

Similiter cum tristitia in prædominio tædii sive molestiæ insigni consistat (§. 619. *Psych. empir.*), quicquid vero homini molestiam creat, id ad infelicitatem ejus quidpiam conferat, aut saltem conferre videatur, (§. 639. *Psych. empir.*); quicquid tristitiam creat, id hominem reddit infelicem, aut saltem reddere videtur, prouti scilicet opinio mali præsentis vel vera fuerit, vel falsa. Quoniam itaque homo per naturam suam aversatur infelicitatem (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), consequenter etiam id, quod infelicitatem parit, aversatio vero tendit ad aliquid depellendum (§. 250.); tristitia tendit ad depellendum infelicitatem (§. 157). *Quod erat alterum.*

Nemo est, qui dubitet, semper gaudere idem esse ac continua felicitate frui. Appetitus hominis dum fertur in felicitatem, tendit ad fruendum gaudio. Quodsi ergo actu gaudeamus, fieri haud quaquam potest, quin idem tendat ad conservationem ejus status, in quo gaudemus, consequenter ad felicitatem conservandum (§. 636. *Psych. empir.*). Similiter nemo est qui dubitet, quin infelix sit, qui tristitia & mœrore continuo angitur. Dum homo aversatur infeli-

felicitatem, ad triſtitiam depellendam tendit. Quodſi ergo actu contriſtetur, fieri haud quaquam poteſt quin tendat ad immutandum eum ſtatum, in quo contriſtatur, conſequenter ad infelicitatem depellendam. Qui re quadam delectatur, eam conſervare ſtudet, & videmus ipſos infantes pati nolle, ut ſibi eripiatur id quo delectantur. Neque alia ratio eſt, cur rebus nonnullis ſtatuatur pretium affectionis, cujus quantitas æſtimari ſolet ex voluptate, quam ex eadem percipimus. Ac ideo jactura iſtiusmodi rei majorem moleſtiam creat, quam rerum aliarum longe pretioſiorum, aut ſummæ pecuniæ pretium illius verum longe excedentis. Immo ubi hanc dudum oblivioni tradidimus, illius memoriam adhuc conſervamus. Et quando recordatio hujus nos amplius non movet, illius tamen recordatio ſemper moleſtiam excitat, conjuncta cupiditate habendi quod amiſſum, etſi nunquam explenda. Aperte id loquuntur verba de jactura conquerentium, quoties de eadem ſermo incidit.

§. 280.

De bono & malo certo venturo.

Opinione boni certo venturi, ſeu obtinendi gaudium: opinione autem mali certo venturi triſtitia concitatur. Bonum enim, quod certo nos obtenturos eſſe perſuaſi ſumus, præſenti æquiparatur, cum perinde ſit ac ſi idem jam haberemus. Quoniam itaque opinione boni præſentis gaudium concitatur (§. 624. *Pſych. empir.*); idem quoque concitari debet opinione boni certo venturi ſeu obtinendi. *Quod erat unum.*

Similiter malum, quod certo venturum eſſe perſuaſi ſumus, præſenti æquiparatur, cum perinde ſit ac ſi eodem jam affligeremur. Quamobrem cum triſtitia opinione mali præſentis concitetur (§. 623. *Pſych. empir.*); eadem quoque concitari debet opinione mali certo venturi. *Quod erat alterum.*

Digitized by Google

Experientia utramque propoſitionis partem confirmat. Ecquis enim eſt, qui neſciat, quantum lætentur homines, ſi norint, adventurum diem, quo certam quandam voluptatem ſunt habituri. Obſervamus hoc in ipſis pueris, quibus certo tempore quid datur, aut permittitur, quo delectantur. Loquuntur idem exempla martyrum, qui inter exquiſitiſſima tormenta lætati ſunt, cum eſſent perſuaſiſſimi de bonis æternis a morte conſequendis. Triſtitiæ exemplum præbent conjuges & libeti de convaleſcentia conjugis & parentis deſperantes. Exemplo quoque ſunt ob crimina ad ſupplicium ultimum condemnati. Ceterum vix eſt ut moneam, quando in doctrina affectuum boni atque mali mentio fit, ſemper intelligi, quod bonum & malum opinione ejus, qui de eo cogitat, tantum ſit, quantum ad affectum concitandum ſufficit, ut ſuperfluum videatur ſemper adjici determinationem, quæ ex ſubſtrata materia ſubintelligitur vi notionis affectus in genere: id quod in aliis caſibus quoque notandum & ad quod ducit recta interpretatio. Propoſitionis autem præſentis inſignem prorſus eſſe uſum in ipſa praxi morali, vel exempla in medium allata docent.

§. 281.

Quando bonum venturum majus concitet gaudium quam obtentum.

Quoniam opinione boni venturi ſeu certo obtinendi gaudium concitatur (§. 280.), perinde ac boni actu præſentis (§. 624. *Pſych. empir.*); bonum autem, quod nondum habemus, majus videri poteſt, quam ubi idem actu obtinetur & quale revera ſit experimur; ideo *contingere poteſt, ut gaudium opinione boni venturi ſeu obtinendi concitatum majus ſit gaudio, quod percipitur, eodem obtento, immo ut eodem obtento prorſus non gaudeamus*, conſequenter *quoties opinione boni venturi ſeu obtinendi gaudium concitatur, circum-*

cumſpecti admodum eſſe debemus, omni ſollicitudine inquirentes, quale revera ſit, ne ſcilicet vana ſpecie deludamur.

Variat admodum hominum opinio de bono, quod nondum habent, & de eodem obtento. Antequam enim eodem potiantur, multa ſupponuntur, quæ non ſunt, & ex adverſo multa ignorantur, quæ ſunt, quorum tamen omnium in æſtimanda quantitate boni habenda erat ratio. Accedit, quod variæ ſint pro diverſitate circumſtantiarum rationes, quæ cupiditatem habendi accendunt, ut eadem accedente gaudium efficiatur majus, quam ſola opinio boni in ſe ſpectati concitare poterat (§. 257.). Et ipſa hæc cupiditas in cauſa eſt, ut in inquirendis aut perpendendis iis, quæ in æſtimando bono attendenda ſunt, ſimus oſcitantes, præſertim ſi adhuc alia ad oſcitantiam ducant ob latebras & receſſus in animis hominum in caſu dato nunquam non attendendos. Obtinet hoc inprimis, quando ſtatum præſentem cum alio commutare debemus. Propoſitio igitur præſens probe tenenda, ne circumſpectionem in nobis deſiderari patiamur, quando circumſpectiſſimi eſſe debebamus. Circumſpecti autem hominis eſt bonum recte æſtimare, prout ſcilicet vel animum, vel corpus, vel ſtatum externum perficit (§. 554. *Pſych. empir.*). Ut vero recte æſtimetur, quænam conſideranda ſint, in memoriam facile revocabunt ea, quæ ſuperius de bonorum differentia demonſtravimus. Multa plerumque diſquiſitione opus eſt, ne a veri tramite deflectas.

§. 282.

Similiter quia opinione mali certo venturi triſtitia concitatur (§. 287.), perinde ac mali actu præſentis (§. 623. *Pſych. empir.*), malum autem, quod nondum præſens eſt, majus videri poteſt, quam ubi idem actu præſens eſt & quale revera ſit experimur, ideo *contingere poteſt, ut triſtitiam, quam*

Quando malum venturum concitat triſtitiam, quam præſens.

ſtitia opinione mali certo venturi concitata major ſit triſtitia, quæ percipitur malo præſente, immo ut eodem præſente prorſus non contriſtemur, conſequenter *quoties opinione mali venturi triſtitia concitatur, circumſpecti admodum eſſe debemus omni ſollicitudine inquirentes, quale revera ſit*, ne ſcilicet vanis angoribus nos dedamus.

Variant de malo perinde ac de bono hominum opiniones, quando nondum præſens eſt, & quando idem actu experiuntur, ob easdem rationes, quas paulo ante allegavimus (*not.* §. 281.). Accedit, quod variæ quoque ſint pro diverſitate circumſtantiarum rationes, quæ fugam mali concitant, qua accedente triſtitia efficitur major, quam ſola opinio mali in ſe ſpectati concitare poterat (§. 266.), & fuga oſcitantiæ in inquirendiis iis cauſa eſt, quæ in malo recte æſtimando attendenda ſunt. Quodſi igitur angores vanos evitare velimus, in æſtimando malo venturo circumſpecti eſſe debemus, & in caſu dubio ſperanda ſunt meliora. Ad malum autem recte æſtimandum ducunt non modo notio mali in genere, verum etiam ea, quæ ſupra de malorum differentia demonſtravimus.

§. 283.

Quando triſtes lachrymis ſe tradant.

Qui contriſtantur lachrymis ſe tradunt, quando malum depellere, aut medelam eidem afferre nequeunt. Triſtitia enim tendit ad depellendum malum, cujus opinione concitatur (§. 279.). Quodſi ergo quis neſcit, quomodo malum depelli poſſit, aut, ubi tale fuerit, ut depelli non poſſit, quomodo medela eidem afferri debeat; appetitus tendit ad auxilium aliorum impetrandum, conſequenter ad commiſerationem concitandam (§. 697. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque datur harmonia mentis & corporis (§. 540. *Pſych. rat.*), ideoque appetitioni huic etiam reſpondere debet

Digitized by Google

bet aliqua mutatio in corpore (§. 509. *Pſych. rat.*); quando qui contriſtantur malum depellere, aut medelam eidem afferre neſciunt, lachrymis ſe dant.

Lachrymas eſſe triſtitiæ ſignum, nemo eſt qui neſciat. Quoniam vero non omnes, qui contriſtantur, lachrymis ſe dant; ideo neceſſe eſt, ut, quando triſtitiam comitantur lachrymæ, peculiaris quædam ratio ſubſit. Cum vero triſtitia concitetur opinione mali præſentis (§. 623. *Pſych. empir.*); quando triſtitia lachrymas movet, repræſentationi mali aliquid ineſſe debet, quod in caſu oppoſito abeſt. Malum vero præſens aliter repræſentari nequit, quam quod vel depelli, aut medela quædam eidem afferri poſſit, vel quod neutrum appareat, quomodo fieri poſſit. In caſu poſteriori effundi lachrymas, experientia docet, modo mentem erigamus & docentem attendamus. Omnium facillime hoc obſervatur in infantibus, qui quamprimum quidpiam moleſti ipſis accidit lachrymantur & plorant. Satis enim apparet appetitum eorum tendere ad depellendum id, quod moleſtum eſt, nec minus conſtat, eos ignorare, quomodo id fieri debeat. Videmus idem in pueris, qui lachrymas effundunt & ploratum edunt, quando pugnis cæduntur a fortioribus, quibus reſiſtere nequeunt, mox riſuri, ſi quis hos ipſorum cauſa viciſſim verberaverit, manifeſto ſane indicio, lachrymas prodere appetitum medelam afferendi malo præſenti, cui ipſimet medelam afferre non poterant. Poteramus quoque provocare ad luctum liberorum, parentibus mortuis, & parentum, mortuis liberis. Atque inde eſt, quod præſertim fœminæ in ipſis lachrymis ſibi invenire videntur medelam mali, quod depelli aut non poteſt, aut quod depellere neſciunt, vel cui alio modo mederi nequeunt. Liberationem a malo homo per naturam ſuam appetit, quippe quæ ſpeciem boni habet (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem fieri nequit, quin appetitus in eandem feratur, quoties malum præſens triſtitiam movet (§. 589. *Pſych.*

Pſych. empir.). Dari vero mala, quæ tolli nequeunt, ſatis exploratum eſt. Atque tum appetitus fertur ſaltem in medelam mali. Quemadmodum vero non in cujuslibet poteſtate eſt tollere malum, quod tolli poteſt; ita quoque non in cujuslibet poteſtate eſt eidem afferre medelam, ſi quam admittit. Quemadmodum vero jam ſæpius monuimus, id quod nunquam ſatis inculcari poteſt, in caſibus datis multa influere in actus humanos, quæ mutationem quandam afferunt; ita idem quoque tenendum eſt in præſenti, ne parum attentus incerta efficiat, quæ in ſe ſatis certa ſunt. Quodſi ergo quis in Pſychologia & in Ethica, qualem nos tradimus, ſatis fuerit verſatus, ei ſuademus, ut caſus, quos experientia in quolibet genere ſuggerit, reſolvat, ſedulo inquirens in rationes eorum omnium, quæ acute diſtingvuntur. Me vero vel tacente patet, ſi quis in hanc arenam deſcendere velit, eum ante operam dare debere, ut virtutibus intellectualibus, quas materiales dicimus, excellat, ſeu, quod perinde eſt, intellectum cum ceteris facultatibus cognoſcendi ſufficienter perficiat.

§. 284.

De ſigno triſtitiæ & triſtitia cum gaudio mixta.

Quoniam qui contriſtantur lachrymis ſe tradunt, quando malum depellere, aut medelam eidem afferre neſciunt (§. 283.); *lachrymæ triſtitiæ ſignum ſunt*, conſequenter *ſi gaudia fuerint lachrymoſa*, *triſtitia cum gaudio miſcetur.*

In vulgus notum eſt lachrymas indicare triſtitiam, quamvis triſtitia non ſemper ſit lachrymoſa, & mulieres inprimis lachrymas effundere ſolent, quando contriſtantur, ut ideo lachrymari muliebre dicatur. Nec minus exploratum eſt, ſubinde etiam lachrymas affundi ab eo, qui gaudet. Exemplo eſt pater reditu filii diu abſentis in patriam gaudens. Aſt non omnes agnoſcunt, triſtitiam cum gaudio permiſceri. Experimur tamen gaudium lachrymoſum differre a non lachry-

lachrymoſo, ita ut & vultus, & geſtus, & vox, & ipſe quoque ſermo diverſitatem ſatis aperte loquantur. Quemadmodum enim ex mixtione diverſarum materiarum prodit mixtum, cujus confuſa perceptio differt a perceptione eorum, quæ permiſcentur; ita quoque triſtitia cum gaudio permixta hujus perceptionem confuſam & eidem reſpondentes in corpore mutationes alterat.

§. 285.

Quia cum gaudio triſtitia miſcetur, ſi id fuerit lachrymoſum (§. 284.), gaudium vero opinione boni (§. 624. *Pſych. empir.*), triſtitia opinione mali præſentis concitatur (§. 623. *Pſych. empir.*); *ſi gaudium fuerit lachrymoſum, neceſſe eſt ut cum bono, cujus opinione concitatur, ſimul repræſentetur aliquod malum cum eodem quomodocunque connexum*, veluti *ſi obtinemus bonum, quod valde cupiebamus, de quo tamen obtinendo dubitabamus, aut quod malo præſenti affert medelam quandam inopinatam & quod fore non ſperaſſemus.* *Quando gaudium ſit lachrymoſum.*

Gaudium & triſtitia ſimul poni nequeunt, niſi utriusque ratio ſufficiens ſimul adſit (§. 70. n8. *ntol.*). Neceſſe igitur eſt, ut, dum de bono præſente cogitatur, animum quoque ſubeat cogitatio mali. Exempla reddunt manifeſtum, quod obſcurum videri poterat. Ponamus filium, quem pater ſenex aut non firma ſatis valetudine utens valde amat, peregre abeſſe. Ponamus porro eundem maxime in votis habere, ut filium ſalvum ac incolumem redeuntem videat, valde autem vereri, ne non eveniat quod optat. Nemo eſt, qui dubitet, quin reditus filii gaudium ſit concitaturum (§. 257.). Enimvero dum reditum filii ſibi repræſentat tanquam bonum (§. 624. *Pſych. empir.*), memoriam quoque ſubit cogitatio de jactura hujus boni, quam metuebat (§. 117. *Pſych. empir.*), conſequenter malum quoddam ſibi repræſentat, quod loco boni jam præſens eſſe poterat, & quod

evitare in poteſtate ſua non deprehendit. Quando igitur gaudens in lachrymas effunditur, bonum cum malo ſimul ſibi repræſentat. Quamvis enim malum non actu præſens ſit, quippe quod in abſentia boni præſentis conſiſtit (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*); in perceptionibus tamen confuſis, in quibus minime omnia diſcernuntur, quæ diſtingvenda ſunt, per modum præſentis ſpectatur, quatenus conſideratur tanquam quod nunc exiſtere poterat, & de luctu ſimul animum ſubit cogitatio, quem experturus erat, dum nunc gaudet, ſi extitiſſet. Si animum attendamus ad verba, quæ profert non ſine lachrymis gaudens; abunde docemur, quænam perceptionibus confuſis inſint, dum a loquente in eas, quæ confunduntur, reſolvuntur. Hoc notaſſe utile eſt etiam in aliis. Aſt demus adhuc exemplum aliud. Ponamus hominem egenum ægrotare, nec quicquam habere cibi potusque, quo animetur. Ponamus porro præter omnem ſpem mitti ab aliquo cibum vel potum, quem expetebat, ſed minime expectabat. Quodſi jam gaudens in lachrymas reſolvitur; ecquis dubitet, quin ſibi repræſentet ſtatum ſuum tanquam malum & ſimul cibum vel potum tanquam bonum, quo malo medela quædam affertur. Produnt perinde ac ante verba, quod in perceptionibus gaudii atque triſtitiæ ſimultaneæ cauſis latet. Non nego, præter ea, de quibus diximus, influere poſſe adhuc perceptiones & appetitiones atque averſiones alias, quæ triſtitiam cum gaudio permixtam modificant, immo impediunt, ne gaudium ſit lachrymoſum, quod alias tale foret. Sed talia diſcutienda ſunt, quando caſus dati reſolvendi, & eo fine jam in anterioribus commendavimus latebrarum & receſſuum in animis hominum ſtudium, quo neglecto quæ certiſſima ſunt in dubitationem adducuntur. Poteramus in medium afferre exempla alia; ſed cum in eas ambages deſcendere nobis in præſenti non permittatur ut removeamus ea, quæ propoſitioni cujus confirmandæ cauſa adduci debebant, contrariari videntur, ab iis abſtinere conſultius videtur. Id ſaltem

Digitized by Google

tem adhuc notamus, cum affectuum magnitudo variet in præſenti quoque caſu, quando gaudium & triſtitia permiſcentur, nunc gradum gaudii ſuperare poſſe gradum triſtitiæ, nunc triſtitiæ gradum majorem eſſe: unde in mutationibus, quæ in corpore affectibus reſpondet, multa eſt diverſitas ſolerti obſervatori ſatis manifeſta. Quoniam ex iis, quæ diximus, patet, rationem gaudii & triſtitiæ cum re eadem una poni poſſe; mirum videri minime debet, duobus contrariis affectibus, dum de eadem re cogitatur, ſimul in anima eſſe locum.

§. 286.

De amore alterius ſibi conciliando

Si quis alterius amorem ſibi conciliare velit, neceſſe eſt, ut ipſi placere ſtudeat: ejus tamen gratia nil faciendum, quod legi naturæ repugnat. Etenim ſi quod nobis placet in altero obſervamus, amor oritur (§. 645. *Pſych. empir.*), conſequenter ſi quis nos amare debet, neceſſe eſt ut quid in nobis deprehendat, quod ipſi placet. Quamobrem ſi amorem alterius nobis conciliare velimus, neceſſe eſt ut ipſi placere ſtudeamus. *Quod erat unum.*

Enimvero cum obligatio, quæ a lege naturæ venit, immutabilis ſit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); nulla prorſus datur ratio, cur unquam facere liceat, quod eidem repugnat (§. 118. *part. 1. Phil. pract. univ.* & §. 291. *Ontol.*). Quamobrem nec quicquam faciendum, quod legi naturæ repugnat, ut alterius amorem tibi concilies. *Quod erat alterum.*

Media, quibus utimur ad finem quendam conſequendum, duplici modo conſiderari poſſunt, vel phyſice tantum, vel moraliter. Si phyſice ſaltem conſiderentur, ſufficit ut iisdem finis obtineatur: aſt ſi moralitas ſimul ſpectetur, neceſſe eſt ut non ſint illicita, conſequenter ne legi naturæ

repugnent (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Idem tenendum de modo, quo alterius amorem nobis conciliare possumus. Si is physice saltem spectetur, sufficit ut alteri quacunque de causa placeamus: quodsi vero moralitatis quoque habenda ratio, præterea requiritur, ut quod alteri in nobis placet non sit malum. In hoc autem rite dijudicando haud raro acumine opus est. Fieri nimirum potest, ut quid sit illicitum respectu ejus, cujus amorem tibi conciliare vis, idem tamen sit licitum respectu tui, veluti si hominis lucri cupidi benevolentiam donis captes ad promovendum a te bonum requisitam, qua absque donis te complecti debebat: dona nimirum dare subinde licitum, quando ea accipere illicitum. Sed de his in præsenti dicendi locus non est. Quæ vero jam de amore conciliando diximus, ea quoque tenenda sunt de affectu quocunque concitando.

§. 287.

Idem specialius expenditur.

Quoniam amorem alterius nobis conciliamus, si operam demus ut ipsi placeamus (§. 286.), id vero placet, ex quo voluptas percipitur (§. 542. *Psych. empir.*); *si amorem alterius tibi conciliare velis necesse est, ut quid facias, ex quo voluptatem percipit, aut ut eidem persuadeas, tale quid tibi esse, vel inesse, quo ipse delectatur.* Facile autem intelligitur, *quod eodem modo alicui amorem tertii concilies, quo eundem concilias tibi ipsi.* Et quoniam bonis placent virtutes intellectuales & morales; *ut bonorum amorem tibi concilies, opera danda est, ut virtutibus intellectualibus & moralibus studeas.*

Placere bonis in nostra potestate est & eo ducit naturalis obligatio; ast placere aliis non semper in nostra potestate est, quia non omnes virtutibus intellectualibus & moralibus delectantur, sed haud raro iis, quæ legi naturæ repugnant: quæ ipsa tamen non sunt facienda, ut placeas (§. 286).

§. 288.

Digitized by Google

§. 288.

Similiter quia amorem alterius nobis conciliamus, ſi operam demus, ut ipſi placeamus (286.) placent autem voluptuſo, quæ ſenſum hilarant (§. 166.), lucri cupido lucrum (§. 173.), honoris cupido honores & laudes (§. 178.); *qui amorem voluptuoſi ſibi conciliare vult, facere debet, quæ ſenſus ejus hilarant; qui lucri cupidi amorem affectat, lucrum ejus quomodocunque promovere; qui denique honoris cupidum in amorem ſui inducere vult, ei honorem exhibere & laudes contribuere, vel conciliare debet.* *Quomodo amor voluptuoſi, lucri vel honoris cupidi conquilietur.*

Brevitatis cauſa hic ſaltem provocamus ad definitiones voluptuoſi & lucri atque honoris cupidi. Etſi enim ſuperius dixerimus, eorum voluntatem eſſe determinabilem per delectationes ſenſuales, lucrum & honorem ac laudem; hinc tamen facile intelligitur appetitum ferri in delectationes ſenſuales, lucrum & honorem ac laudem, conſequenter voluptuoſum ex iis, quæ ſenſus delectant, lucri cupidum ex lucro, honoris cupidum ex honore ac laude voluptatem percipere (§. 156.), ideoque voluptuoſo placere, quæ ſenſus hilarant, lucri cupido lucrum, honoris cupido honorem ac laudem (§. 542. *Pſycb. empir.*). Oſtendimus in ſuperioribus determinabilitatem voluntatis per delectationes ſenſuales (§. 167.) & per lucrum in ſe malam non eſſe (172.). Quamvis itaque amoris conciliandi cauſa fieri non debeat, quod malum eſt, ſeu legi naturæ repugnat (§. 286.); id tamen non obſtat, quo minus in conciliando amore voluptuoſi & lucri cupidi rationem habeas harum inclinationum, modo recti limites non tranſcendas. Et quamvis determinabilitas voluntatis per honorem & laudem in ſe mala ſit (§. 177.); non tamen propterea voluptas ex honore ac laude percepta omnis illicita eſt. Et quoniam unusquisque alteri honorem exhibere debet, quem meretur, tantumque tribuere laudis, quantum meretur (§. 648. *part. I. Jur. nat.*); ut in conciliando amore honoris cupidi hujus quoque inclinationis ratio habeatur, illicitum

illicitum non eſt. Præterea hic etiam attendenda ſunt, quæ paulo ante annotavimus de eo, quod reſpectu tui licitum, etiamſi illicitum ſit reſpectu alterius, cujus conciliandus eſt amor (*not.* §. 286.).

§. 289.

Quomodo amor rerum inanimatarum & animalium concitetur.

Si amorem animalis bruti, vel rei inanimatæ in aliquo concitare velis; oſtendendum eſt eidem ineſſe quidpiam, unde voluptatem multam percipere poteſt. Etenim rem inanimatam, vel animal brutum amamus, ſi in illa, vel in hoc quidpiam deprehendimus, quod nobis multam affert voluptatem (§. 654. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo velis, ut quis rem inanimatam, aut brutum quoddam amet, oſtendendum utique eſt tale quid eidem ineſſe, unde voluptatem multam percipere poteſt.

Propoſitionis hujus uſus latiſſime patet, cum ſub rebus inanimatis comprehendantur non modo ſubſtantiæ materiales, verum etiam accidentia tam corporum quam animæ, conſequenter in eundem cenſum quoque referendæ ſunt omnes artes, omnia ſcientiarum genera, omnis eruditio. Conſtat vero, quantum valeat amor in addiſcendis artibus & diſciplinis, immo in ipſo quoque virtutis ſtudio, & quam neceſſarius ſit ſcientiarum, artium & eruditionis promotoribus.

§. 290.

Quænam eo fine præcognoſcenda.

Quoniam amor animalis bruti, vel rei etiam inanimatæ concitatur, ſi oſtendatur eidem quidpiam ineſſe, unde voluptatem percipere poteſt (§. 289.), ſatis autem exploratum eſt, non eadem re delectari omnes, ſed ſuam quemque trahere voluptatem; *qui amorem animalis bruti, vel rei inanimatæ in aliquo concitare voluerit, ante inquirere tenetur, qualia*

qualia ea ſint, ex quibus is voluptatem percipit, immo etiam ſubinde, qualia eſſe debeant, ut majorem percipiat.

Solent vulgo homines in caſu dubio alios ex ſuo genio judicare. Quamobrem cum nonniſi caſu verum eſſe poſſit eorum judicium; ideo ſæpiſſime fallit, atque ideo omni conatu nihil agitur. Sequuntur affectus opinionem ejus, cujus animum invadunt; minime autem opinionem hujus, qui eos in altero concitare ſtudet. Quando aliis res commendamus, amorem earum in ipſis excitare intendimus. Quamobrem neceſſe eſt, ut talia proferantur, quæ voluptatem ipſis creant, aut efficiatur ut voluptatem inde percipiendam prævideant, aut ubi id fieri nequit ſaltem perſuadeantur, quantum ſufficit, ut dictis fidem habeant. Voluptas enim amoris procreatrix haud raro talis eſt, ut non cadat niſi in expertos, qualis eſt, quæ percipitur ex arte inveniendi vel etiam ex ſcientia, ſeu ſolida rerum cognitione, immo etiam ex iis, quæ guſtu probantur. Multa hic concurrunt, quæ fide rem commendantis pro veris ſumenda, antequam ea vera eſſe experitur, qui perſuadendus. Videmus itaque in omnibus fere, quæ in Ethica traduntur, ampliſſimum aperiri campum, ſi ad particularia deſcendendum. Talia ideo monemus, ut attentionem eorum excitemus, quibus ſcientias amplificandi animus eſt, & ut discant ſcioli, tempus, quod frivolis cenſuris perdunt, utilius collocari poſſe ulterius progrediendo. Ceterum cum ad res inanimatas etiam referenda ſit virtus; vide, quæ ſuperius de amore virtutis inſtillando & alendo demonſtravimus & uberius annotavimus (§. 234. *& ſeqq.*).

§. 291.

De amore limitato.

Si qua ratio particularis amorem movet, appetitio voluptatis & averſio moleſtiæ alterius non extenditur ultra quam ratio exigit. Etenim ſi qua ratio particularis amorem movet, cum

cum ea posita ponatur amor (§. 118. *Ontol.*), alterum non amamus, nisi quatenus hoc quod ipsi inest, vel adest, nobis placet (§. 648. *Psych. empir.*). Amor igitur per hanc rationem particularem restringitur ad ea, quæ cum hoc connexa sunt, quod nobis placet. Quamvis itaque amans appetat voluptatem amati (§. 650. *Psych. empir.*), & tædium ejus aversetur (§. 651. *Psych. empir.*); appetitio tamen voluptatis & aversio molestiæ non extenditur ultra quam ratio, quæ amorem movet, exigit.

Propositio hæc utilissima est, cum inde dijudicandum, quid tribuendum sit amori. Quoniam vero plurimæ omnino sunt rationes particulares amoris eadem quoque ambitu suo multa admodum comprehendit. Sed demus exemplum. Si quem amamus, quia ad convivas hilarandos discursibus suis plurimum conferre potest; voluptatem ejus non appetimus nisi quæ ipsi affertur, dum conviviis, aut compotationibus interesse datur, aut si forsan mittitur, quod gustum hilarat. Absit, ut amorem, qui particularem istiusmodi rationem habet, confundas cum amore universali omnium erga omnes, quem lex naturæ urget (§. 619. *part. I. Jur. nat.*), & de eodem prædices ea omnia, quæ ex notione amoris illimitati, aut, si mavis, minime restricti fluunt. Sicuti enim hic consistit in dispositione animi ex felicitate alterius voluptatem percipiendi (§. 633. *Psych. empir.*), consequenter ex voluptate quacunque alterius (§. 638. *Psych. empir.*); ita ille terminatur in dispositione animi ex certa saltem alterius voluptate voluptatem percipiendi. Ratio amoris particularis in casu dato si recte expendatur, qualis hæc sit voluptas & quousque extendatur deprehendet, qui satis fuerit acutus ad talia rimanda.

§. 292.

Quo tendat amor. *Amor tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius.* Etenim qui alterum amat, is voluptatem

tem ejus appetit (§. 650. *Pſych. empir.*), moleſtiam vero averſatur (§. 651. *Pſych. empir.*), & illam ipſi creare (§. 651. *Pſych. empir.*), hanc vero ab eo avertere ſtudet (§. 652. *Pſych. empir.*). Enimvero quicquid voluptatem veram homini creat, id ad felicitatem ejus quidpiam confert & quod voluptatem apparentem creat, ad eandem quid conferre videtur (§. 638. *Pſych. empir.*): quicquid vero tædium ſive moleſtiam creat, id ad infelicitatem ejus quid confert, aut ſaltem conferre videtur (§. 639. *Pſych. empir.*). Amor itaque tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius.

Amor ſtimulus eſt ad inſerviendum & benefaciendum aliis. Eodem ideo utitur natura ad educationem prolis (§. 72. & mediante eo generationem cum educatione copulavit (§. 262. *part. 7. Jur. nat.*). Nimirum appetitus ſenſitivus excitatur æſtu venereo ad generandum prolem (§. 72.), quando prolem in lucem editam conſpiciunt parentes, ex multiplicatione ſui voluptatem percipiunt, cumque ideo ipſis placeat proles, quod per eam multiplicentur & in eis conſerventur, dum ipſimet in ſe conſervari nequeunt in perpetuum (§. 542. *Pſych. empir.*), amor iſte naturalis, quem στοργήν appellant Græci (§. 259. *part. 7. Jur. nat.*) concitatur (§. 645. *Pſych. empir.*). Aptitudo ſeſe multiplicandi cum ſit perfectio, hujus ſibi conſcius ex ea utique voluptatem percipere debet (§. 511. *Pſych. empir.*). Ea, quæ hic dicuntur, obſervare poſſumus tam in hominibus, quam in brutis, etſi utrobique occurrant, quæ non ſatis acutos in dubitationem adducere poſſunt, quatenus nimirum non attenditur ad differentiam actuum ad educationem prolis pro diverſitate animalium requiſitorum, nec ad ea, quæ pro diverſitate circumſtantiarum & latebrarum ac receſſuum in animis hominum amorem naturalem prolis vel ſupprimere, vel vincere, vel imminuere poſſunt. Notandum præterea eſt, cum in brutis appetitus pendeat a notionibus

confuſis, ea, quæ iisdem inſunt, ex notionibus diſtinctis, quæ hominibus intellectu utentibus ſunt, haurienda eſſe. Alias jam obſervavimus, canes maſculos averſari prolem ſuam (*not.* §. 260. *part.* 7. *Jur. nat.*). Deficit in iis amor naturalis, propterea quod ignorant hanc eſſe prolem ſuam, quia coitus cum cane fœmina minime ſibi conſcii ſunt, utpote ſtatuum præteritorum non recordantes, contrario obtinente in avibus, quæ conjunctim incubando fœtus ex ovis excludunt & excluſos calore ſuo fovent ciboque paſcunt ſpeciei propagandæ cauſa conſociatæ. Veram eſſe rationem, quam dedimus, quod canis maſculus non agnoſcat prolem ſuam, quia ſcilicet ſtatuum præteritorum non recordatur, ea, quæ in præſenti percipit, ſtatim oblivioni tradens non modo probant exempla hominum inter bruta educatorum & brutorum deinde more viventium (§. 461. *Pſych. rat.*), verum etiam inde intelligitur, quod canis fœmina averſetur prolem ſuam per aliquot dies ab ipſa remotam, utpote non amplius agnoſcens eam eſſe ſuam. Contra naturam eſt infanticidium, quod cum amore prolis naturali conſiſtere minime poſſe videtur. Enimvero ſtudium ignominiam evitandi, vel cogitatio de ſumtibus, qui educationis cauſa faciendi ſunt, deficientibus, vel repræſentatio aliorum, a quibus ſibi metuit fœmina, ſi palam fiat ſe peperiſſe, amorem naturalem vel ſupprimunt, vel ſaltem vincunt, immo ſubinde in odium vertunt, quia coitum infœcundum voluptatis cauſa appetens culpam ſibi imputandam in prolem transfert.

§. 293.

Quo tendat amor particularis.

Quoniam amor tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius (§. 292.), amor autem, quem movet ratio particularis, appetitionem voluptatis & averſionem alterius non extendit ultra quam ratio exigit (§. 291); *ſi ratio particularis movet amorem, is non tendit*

tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius ultra quam ratio iſta exigit.

Ita ſi quis alterum amat, quia ejus conſortio delectatur, is ea ipſi præſtat, quæ eundem ad id permovere poſſunt. Sicut enim voluptatem, ita etiam felicitatem opinione ſua æſtimant homines (§. 638. *Pſych. empir.*). Similiter ſi ſtudioſus dives amat pauperem, propterea quod ipſi explicare poteſt, quæ in collegio non ſatis intellexit; eidem librum, quem interpretatur docens, donat & honorarium pro ipſo ſolvit. Idem facit is, cui placet, quod ſtudioſus pauper in certis diſciplinis addiſcendis operam collocare velit. Pertinent huc dona, quæ dant amaſii puellis, quas ob pulchritudinem eximiam amant. Notandum nimirum, non attendendam eſſe moralitatem, quando de amore agitur, quem ratio quædam peculiaris movet. Uſui tamen quoque eſt in Moralibus, ut hunce amorem cognitum atque perſpectum habeamus. Sicuti omnium affectuum, ita inprimis amoris quoque datur abuſus, qui frequentior eſſe ſolet uſu. Cumque nobis negotium ſit cum hominibus, qui abuſu affectuum a virtutis tramite ſeducuntur, qui ab eodem recedere non vult, abuſum quoque iſtum ignorare minime debet. Abſit itaque ut exiſtimes in Ethica doceri ea, quæ ad abuſum ſpectant, & a quibus animum habere debemus maxime alienum, ut ea faciamus.

§. 294.

Amor rerum inanimatarum tendit ad eas conſervandas, aut ſi perfici, augmentari, vel ornari poſſunt, ad eas perficiendas, augmentandas, ornandas. Cum enim amor rerum inanimatarum conſiſtat in diſpoſitione animæ ad voluptatem ex ipſis percipiendam (§. 657. *Pſych. empir.*) & appetitus hominis per naturam ſuam feratur in felicitatem (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter ad conſervandum eum ſtatum, in quo voluptate conſtante fruimur (§. 636. *Pſych. empir.*)

Quo tendat amor rerum inanimatarum.

empir.). Quodſi ergo rem inanimatam amamus, amor tendit ad eam conſervandam. *Quod erat primum.*

Quoniam vero res, qua delectamur, tanto majorem voluptatem nobis creat, quo fuerit perfectior (§. 516. *Pſych. empir.*), nec quicquam appetitur, niſi quatenus voluptatem nobis creat (§. 156.); amor, qui tendit ad conſervandum eum ſtatum, in quo voluptate fruimur, *per demonſtrata*, tendit quoque ad obtinendum eum ſtatum, in quo voluptas major percipitur, ſi obtentu poſſibilem cognoſcat. Quodſi ergo res, quæ amatur, magis perfici poſſit; amor tendit ad eam perficiendam. *Quod erat ſecundum.*

Cum eodem modo intelligatur voluptatem eſſe debere majorem, quæ ex re percipitur, ſi ea augmentetur, intenſitatis gradu augmento proportionali exiſtente; patet, ut ante *n.* 2. ſi res, quæ augmentari poteſt, ametur, amorem tendere ad eam augmentandam. *Quod erat tertium.*

Denique quia res, quæ ornatur, propter ornatum cenſetur perfectior, ideoque ex ipſo ornatu voluptas percipitur (§. 511. *Pſych. empir.*), amor vero tendit ad rem perficiendam, ſi perfici poſſit, *per demonſtrata n.* 2. idem quoque tendit ad eam ornandam, ſi qui eam amat eandem amare poteſt. *Quod erat quartum.*

Ubivis proſtant exempla eorum, quæ hic demonſtrantur. Qui nummum aureum amat, quem a Rege quodam, vel Principe, aut argenteum, quem ab amico accepit; eundem omni diligentia cuſtodit, ne ejus jacturam faciat. Immo eadem diligentia ſervantur literæ, quas quis ſibi honorificas a viro magnæ autoritatis accepit. Et huc pertinent res omnes, quibus pretium aliquod affectionis quacunque de cauſa ſtatuitur: variat enim cauſa tum de pretio ſtatuendo, tum de

de quantitate ejus determinanda pro diverſitate opinionum. Qui ſcientiam amat, eam augere ac perficere ſtudet. Idem obſervamus de iis, qui artem quandam amant. Et hinc quoque intelligitur, cur indefeſſum ſit virtutis ſtudium, ſi ea ametur. Pertinet huc quoque amor parentum, qui nullis ſumtibus parcunt, ut liberi, quantum fieri poteſt, perficiantur. Qui pecuniam amat, non modo eam ſervare ſtudet, verum etiam curæ habet, ut, quantum datur, fiat locupletior. Qui librum quendam amat & ingens pretium affectionis eidem ſtatuit, eum ornate ſplendideque a bibliopego concinnari curat.

§. 295.

Quoniam, ſi quid amamus, quod perſonæ inhæret, non perſonam ipſam, amor revera eſt rei inanimatæ, amor vero rei inanimatæ tendit ad eam conſervandam, aut, ſi perfici, augmentari, vel ornari poſſit, ad eam perficiendam, augmentandam vel ornandam (§ 294.); *amor quoque ejus, quod perſonæ inhæret, tendit ad id conſervandum, aut, ſi perfici, augmentari vel ornari poſſit, ad id perficiendum, augmentandum vel ornandum.* *De amore ejus, quod perſonæ inhæret.*

Fieri equidem poteſt, ut etiam perſonam amemus propter id, quod in ipſa amamus; id tamen non ſemper contingit & quando contingit, amor tamen perſonæ ab amore ejus, quod ipſi inhæret, diſtingvendus: id quod uſum ſuum habet in moralibus, ubi nunquam ſatis diſtingvi poſſunt, quæ utcunque diverſa ſunt, nec unquam nimia in diſtingvendo accuſari poteſt ſubtilitas. Sed demus exempla. Si quis amat ardorem diſcendi in aliquo, dum amor tendit ad eum conſervandum & augendum, eum omni animi ſollicitudine inflammare ſtudet, immo etiam ardore flagrantem conſiliis & ſubſidiis juvat, ut in diſcendo utiliter operam ſuam collocet. Si quis amat pulchritudinem uxoris, ornatum mulie-

muliebrem ipſi abunde proſpicit, etſi forma eandem non admodum commendet,

§. 296.

Quo tendat amor animantium brutorum.

Quoniam animantia bruta æquiparentur rebus inanimatis, quatenus ea non conſiderantur tanquam voluptatis capacia, ſed tanquam res, unde voluptas percipi poteſt (§. 657. *Pſych. empir.*), amor autem rerum inanimatarum tendit ad eas conſervandas, aut, ſi perfici, vel ornari poſſint, ad eas perficiendas, vel ornandas (§. 294.); *amor* quoque *animantium brutorum, ſi rebus inanimatis æquiparantur, tendit ad ea conſervanda, aut, ſi perfici poſſint, ad ea perficienda vel ornanda.* Quoniam vero animantia bruta etiam æquiparantur ſubinde hominibus, quatenus ſcilicet ſpectantur tanquam voluptatis capacia, cum tunc eorum amor idem ſit, qui hominum (§. 657. *Pſych. empir.*); *ſi animantia bruta hominibus æquiparantur, amor eorum eodem tendit, quo amor hominum* (§. 292.).

Qui exempla deſiderat, is animum ſaltem attendat ad facta hominum animantia bruta amantium. Ex iis enim, quæ faciunt amore impulſi, intelligitur, quo tendat appetitus, quod ſubinde etiam verba ſatis produnt.

§. 297.

De amore ob ſimilitudinem ſui.

Si quis quadam in re, qua delectatur, alterum ſibi ſimilem agnoſcit; eundem amat, niſi ratio quædam adſit, quæ amorem impedit. Etenim ſi quis quadam in re, qua delectatur, alterum ſibi ſimilem agnoſcit; is in eodem deprehendit quidpiam, ex quo voluptatem percipit (§. 192. 195. *Ontol.*), conſequenter quod ſibi placet (§. 542. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque amor oritur, ſi quod nobis placet in altero obſer-

Digitized by Google

obſervamus (§. 645. *Pſych. empir.*); alterum quoque amamus, ſi qua in re, qua delectamur, ſimilem nobis cognoſcimus. *Quod erat unum.*

Quodſi vero contingat adeſſe rationem quandam, quæ amorem impedit; amor alias extiturus minime exiſtit (§. 726. *Ontol.*). Quamobrem ſi amor alterius in nobis concitandus, propterea quod quadam in re, qua delectamur, eum nobis ſimilem agnoſcimus; neceſſe eſt, ne ratio quædam adſit, quæ amorem impedit.

Vulgo dici ſolet: ſimilis ſimili gaudet. Patrio ſermone dicimus: Gleich und gleich geſellet ſich gerne, hoc eſt, ſimilem ſimili plerumque aſſociari. Determinans voluptatis eſt in quo ſimilitudo conſiſtit, determinatum voluptas (§. 114. *Ontol.*). Quamobrem cum idem ſit determinans, nimirum id, in quo ſimilitudo conſiſtit, determinatum quoque idem eſſe debet (§. 192. *Ontol.*), conſequenter ſi id in nobis voluptatem creat, quatenus ejusdem de nobis conſcii ſumus, idem quoque voluptate animum noſtrum perfundit, ſi id in altero agnoſcimus. Nimirum id, in quo ſimilitudo conſiſtit, hic ſpectatur, quale in ſe eſt, citra omnem reſpectum ad alia, quæ ideæ illius aſſociari poſſunt atque ſolent. Quodſi enim ideæ aſſocientur alia, determinans non amplius erit idem (§. 181. *Ontol.*). Hoc maximi momenti eſt, ideoque probe notandum non modo in caſu præſenti, verum etiam in aliis innumeris. Alias enim non ſatis determinata videbuntur atque exceptionibus obnoxia, quæ talia non ſunt, licet non modo utile, ſed prorſus neceſſarium ſit in diſciplinis, ut res ſpectentur primum in ſe, & quid de iis prædicandum ſit quæratur, deinde vero conſideretur quid obtineat, ſi aliæ determinationes notioni ejus ſuperaccedant. Conſona hæc ſunt principiis logicis de differentia propoſitionum, quæ in Matheſi a Ma-

thematicis tite obſervantur, vulgo autem ab aliis non attenduntur, qui nimis abjecte de præceptis Logicæ ſentiunt, quaſi puerorum exercitiis ſaltem conveniant, non vero iis, qui ſe viros præſtare volunt, etſi turpiter ac pueriliter errent, dum in illa impingunt. Quod ad præſentem propoſitionem attinet, non nego, fieri perinde poſſe ut determinationes notionem ſubjecti abſolute ſpectati ingredientes tam amori promovendo & alterando, quam eidem impediendo ſerviant: aſt cum hic non agatur de gradu amoris ob ſimilitudinem amantis & amati, neque de diverſitate hujus amoris in diverſis caſibus, ideo ſaltem mentionem eorum facere libuit, quæ amorem impediunt. Dari autem revera talia, ſatis manifeſtum eſt, ſiquidem inquiramus in rationem, cur ſimilis ſimilem non amet. Ita videmus ſimilem non amari, ſi qua datur alia cauſa odii, quo eum proſequimur, & odium ſuperat amorem, qui concitandus erat. Similiter faſtoſus, qui ſibi parem ferre nequit, multoque minus ſe ſuperiorem (§. 583. *part. 1. Jur. nat.*), non amat ſimilem. Exempla ſimilium ſimilibus gaudentium adeo obvia ſunt, ut quædam commemorari ſuperfluum exiſtimemus.

§. 298.

De amore ob cujusdam ſimilitudinem cumeo, quem amamus.

Quoniam eum amamus, quem nobis ſimilem quadam in re agnoſcimus (§. 297.), eodem autem modo alteri concitatur amor quo noſter; *ſi quis amat quendam quacunque de cauſa, ejus quoque amorem tertio conciliabis, ſi eidem perſuaſeris, eum ipſi ea in re ſimilem eſſe, ob quam amatur.* Facile autem intelligitur, *idem valere de rebus inanimatis atque animantibus brutis.*

Si quendam ames ob rerum mathematicarum ſcientiam; in amorem quoque alterius induceris, ſi perſuadearis, eum rerum mathematicarum ſcientia excellere. Similiter ſi rem quan-

quandam amas ob raritatem, amor rei quoque alterius concitabitur, ſi oſtendatur non minorem eſſe ejus raritatem. Ita ſi ſcientiam quandam ames propter utilitatem in Rep. alterius generis ſcientiam itidem amabis, ubi cognoveris, eam non minoris utilitatis eſſe. Habent hæc uſum eximium in eligendis motivis, quæ ab amore multum roboris acquirunt. Quæ de affectibus hic demonſtrantur, non alio fine proponuntur, quam ut iisdem utamur in praxi morali. Indiſpenſabilem enim habent uſum in arduo illo negotio, quo appetitus ſenſitivus cum averſatione ſenſitiva in conſenſum cum rationali reducendus & pugna inter appetitum & averſationem rationalem atque inter appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam in favorem virtutis finienda.

§. 299.

Qui alterum amat, is ea facere ſtudet, quæ amato placent, ſibi cavet, ne faciat, quæ diſplicent. Etenim qui alterum amat, is voluptatem eidem creare, tædium vero ab eo averſtere ſtudet (§. 651. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum id placeat, ex quo voluptas percipitur, diſpliceat vero id, ex quo percipitur tædium (§. 542. *Pſych. empir.*); qui alterum amat ea facere ſtudet, quæ amato placent, & ſibi cavet, ne faciat, quæ diſplicent.

De ſtudio placendi amato in agendo.

Cura itaque ac ſollicitudo faciendi nonniſi quod placet amato neceſſarius amoris effectus eſt. Vidimus in ſuperioribus medium amorem alterius ſibi conciliandi eſſe ſtudium eidem placendi (§. 286.); medium tamen hoc latius patet effectu, de quo jam ſermo eſt. Etenim in præſenti tantummodo ſpectantur facta amantis, quatenus intereſſe videtur amati, ut quid potius fiat, vel non fiat, aut contra. Aſt placere etiam alteri poſſunt facta, quæ ad ipſum nullum reſpectum habent, placere quoque alia, quæ in facto non

conſiſtunt, & quæ conciliando amori inſerviunt (§. 287.). Præterea aliud omnino eſt faciendi quidpiam amoris alterius captandi cauſa, aliud vero eſt facere id, ad quod amor impellit. Differt omnino in utroque caſu intentio agendi, cum in illo caſu quod intenditur nos reſpiciat, in hoc autem quod intenditur reſpiciat alterum. In priori caſu facimus quod alteri placet noſtri cauſa; in poſteriori autem cauſa alterius. Immo haud raro effectus hujus gratia alterius amorem nobis conciliamus, ut ſcilicet faciat, quod nobis placet.

§. 300.

De actionibus ad opinionem amati referendis.

Quoniam qui alterum amat, is ea facere ſtudet, quæ amato placent, conſequenter quæ ipſi voluptatem creant (§. 542. *Pſych. empir.*), & ſibi cavet, ne faciat quod displicet (§. 299.), conſequenter quod tædium vel moleſtiam ipſi parit (§. 542. *Pſych. empir.*), ſua autem unumquemque trahit voluptas, ideoque nec omnia promiſcue cuivis moleſta accidunt; *qui alterum amat actiones ſuas ad alterius opinionem referre tenetur, quas committi vel non committi ejus quodammodo intereſſe putat.* Quoniam tamen ob indiſpenſabilem obligationis naturalis, quæ a lege naturæ venit, neceſſitatem in gratiam alterius facere non licet, quod legi naturæ repugnat (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); in agendo non attendenda eſt opinio amati, ſi ea non fuerit legi naturæ adverſa.

Quo major fuerit amor, eo quoque facilius de actionibus committendis & omittendis ex opinione amati ſtatuere ſolent homines. Ideo ſæpiſſime contingit, ut pravas committant actiones, bonas vero omittant, in gratiam amati, etſi alias ab illis committendis, hiſce autem omittendis alienum haberent animum. Enimvero tum amor alterius eos ſeducit a virtutis tramite ad vitia. Lex naturæ actionum norma

norma eſt, non amor aliorum. Ipſe hic amor eadem lege regitur, nec caret vitio, ſi ad actiones iſti contrarias nos impellit. Tendit amor ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius (§. 292.), ac inde quoque originem ſuam deducit ſtudium placendi amato (§. 638. 542. *Pſych. empir.*). Novimus vero felicitatis veræ medium non dari aliud præter cuſtodiam legis naturæ (§. 396. 398. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Actiones, quæ huic adverſantur, quamvis voluptatem creent amato, ad veram tamen felicitatem ipſius non conferunt, quin potius ea referenda in cenſum voluptatum nocuarum, infelicitatis procreatricium (§. 383. *pract. 1. Phil. pract. univ.* & §. 639. *Pſych. empir.*). Quamobrem qui in gratiam amati facit quod legi repugnat naturali, eum revera non amat (§. 633. *Pſych. empir.*), ſed odium amoris ſpeciem induit, utut animus ab illo ſit alienus (661. *Pſych. empir.*). In caſibus particularibus hoc adeo manifeſtum eſt, ut facillime oſtendi poſſit. Atque inde petendæ ſunt rationes, quibus perſuadeas amato, actionem tuam ipſi diſplicere minime debere.

§. 301.

De unione animorum.

Similiter cum qui alterum amat facere ſtudeat, quæ ipſi placent, & ſibi caveat, ne faciat quæ diſplicent (§. 299.); *ſe mutuo amantes unam quaſi voluntatem habent.* Atque *in conſenſu in actiones ſuas mutuo conſiſtit unio animorum* (§. 658. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

Amor itaque certiſſimum vinculum eſt, quo animi hominum uniuntur. Atque hæc unio facilis eſt, ſiquidem uterque amantium in cuſtodienda lege naturali fuerit tenax, cum uterque tum actiones ſuas determinet juxta eandem normam, neque ideo fieri poſſit, ut quis facere velit quod non vult alter, aut ut facere nolit, quod vult alter. Enimvero ſi voluptate omnia metiuntur, cum ſua unumquemque

voluptas, unio iſta difficilior eſt, quia non utriusque de actione eadem idem ſemper eſt judicium. Singulares vero eſſe debent rationes, cur quis alterius potius, quam ſuam in agendo ſequatur opinionem, ſi ſua ab opinione alterius differt. Accedit, quod amati opinio non ſit attendenda, ſi ea fuerit legi naturæ adverſa. Monuimus jam alias, eſſe nonnullos, qui in animorum unione amorem conſiſtere arbitrantur (*not.* §. 660. *Pſych. empir.*): aſt quam oppido fallantur quoque oſtendimus. Confundunt effectum amoris mutui cum ipſo amore, qui nec ſemper locum habere poteſt vi eorum, quæ modo diximus. Accedit, quod effectus amoris mutui tribui nequeat amori non mutuo, quando ſcilicet unus amat alterum, ſed hic non viciſſim illum amat. Dari autem caſus, quo amor mutuus non eſt, ecquis eſt qui dubitet? Ipſa ſane lex naturæ minime ſuſpendit amorem noſtrum a reciproco amore alterius (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 302.

De vitando odio alterius. *Si quis odium alterius evitare velit, is ſibi cavere debet, ne ipſi diſpliceat: odii tamen evitandi cauſa nil faciendum, quod legi naturæ repugnat.* Etenim ſi quod nobis diſplicet, vel unde tædium percipimus, in altero obſervamus, odium oritur (§. 674. *Pſych. empir.*), conſequenter ſi quis nos odiſſe non debet, neceſſe eſt ut in nobis nil deprehendat, quod ſibi diſplicet. Quodſi ergo odium alterius evitare velimus, neceſſe eſt ut nobis caveamus, ne ipſi diſpliceamus. *Quod erat unum.*

Quod vero odii evitandi gratia nil faciendum, quod legi naturæ repugnat, eodem prorſus modo demonſtratur, quo ſupra oſtendimus amoris conciliandi cauſa nil eſſe faciendum, quod legi naturæ repugnat (286.). *Quod erat alterum.*

Quæ

Quæ ſupra de amore conciliando annotavimus (*not.* §. 286.); ea quoque de evitando odio tenenda ſunt. Cum qui alterum odit, tædium ejus, ſeu ea, quæ ipſi moleſta ſunt, appetat (§. 669. *Pſycb. empir.*), voluptatem vero averſetur (§. 670. *Pſycb. empir.*), eidemque tædia creare & quo minus voluptate perfundatur impedire ſtudeat (§. 671. *Pſycb. empir.*), nihil vero appetamus, niſi quatenus voluptatem ex eo percipimus (§. 156.); & averſatio actu determinetur per moleſtiam in caſu dato (§. 101.); nemo odium alterius appetit, ſed potius averſatur, conſequenter opus non eſt ut doceamus, quomodo alterius odium in nos convertere debeamus, ſed oſtendendum potius erat, quomodo id propulſandum ſit. Non eſt quod objicias, diſplicere etiam in nobis alteri poſſe, quæ a nobis mutari minime poſſunt, alterius tamen odium in nos concitant, veluti ſi quis alterum odit ob deformitatem corporis, aut vocem muliebrem, vel extra modum abſonam atque abſurdam: tunc enim odium alterius depellere in poteſtate noſtra non eſt. Quando nos quis odit propter ea, quæ quin effugere cupiat nemo eſt; nos odit ſine cauſa, perinde ac ſi quis nos odit propterea, quod ipſius cauſa facere nolimus, quæ legi naturæ adverſantur.

§. 303.

Quoniam odium alterius evitaturus ſibi cavere debet, ne ipſi diſpliceat (§. 302.), bonis autem diſplicent vitia, ideoque actus legi naturæ adverſi (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*); *odium bonorum evitaturus ſibi cavere debet, ne vitiis contaminetur, & ab actionibus legi naturæ repugnantibus ſeſe abſtinere.* *De vitando odio bonorum.*

Facile patet, nos hic, quemadmodum ſupra (§. 287.), per bonos intelligere eos, quibus bona eſt voluntas & noluntas, conſequenter generaliter determinata ad actiones bonas

nas committendas (§. 119.), malas vero non committendas (§. 125.), quo fere eodem ſenſu vir bonus dicitur (§. 967. *part. 5. Jur. nat.*). Unde nullo negotio colligitur, bonis diſplicere vitia & omnes actus legi naturæ adverſos. Sicuti vero vix quisquam perfecte bonus eſt, ita ut ipſi diſpliceat omnis actus legi naturæ quomodocunque adverſus; ita etiam non omnis actus legi naturæ adverſus cuilibet diſplicet, aut non diſplicet tantum, quantum ſufficit ad odium concitandum. Quamobrem non eſt quod miremur, dari homines qui certas amant virtutes & odio proſequuntur vitiis contrariis deditos, qui tamen in alios aliis vitiis deditos nullum odium habent. Quamobrem qui in alterius odium incurrere non vult, is potiſſimum ſibi cavere debet ab iis vitiis, quibus maxime infenſus eſt. Equidem quilibet ſeſe abſtinere debet ab omni actione legi naturæ contraria, ideoque vitium omne fugere; non tamen ideo inutile cenſendum, ſi talia in Ethica paſſim inculcentur, quæ ſingularem quandam curam ſeſe abſtinendi a certis vitiis, & actionibus pravis commendant. Dantur nimirum caſus, in quibus plurimum intereſt, ut inde petantur motiva.

§. 304.

Modus vitandi odium alterius ſpecialius expenditur.

Similiter quia odium alterius evitaturus ſibi cavere debet, ne ipſi diſpliceat (§. 302.), id vero diſplicet, ex quo tædium percipitur, ſive moleſtia (§. 542. *Pſych. empir.*); *ſi odium alterius evitare velis, neceſſe eſt ne quid facias, quod ipſi moleſtiam creat, aut ut ipſi perſuadeas falſam eſſe opinionem, quam de eo concepit, quod ipſi moleſtiam creat.*

Non diſplicere bonis in poteſtate noſtra eſt & eo ducit naturalis obligatio: aſt non diſplicere aliis non ſemper in poteſtate noſtra eſt, quia non omnibus ſaltem vitia moleſtiam creant, ſed haud raro etiam ea, quæ legi naturæ conveniunt

veniunt ideoque non omittenda, diſplicent (§. 302.). Quædam huc ſpectantia etiam jam ante annotavimus (*not.* §. 303.).

§. 305.

De odio voluptuoſi, lucri, aut honoris ac laudis cupidi.

Porro quia odium alterius evitaturus facere non debet, quæ ipſi moleſtiam creant (§. 304.), voluptuoſus autem ea, quæ ſenſibus ingrata accidunt, ideo averſatur quia ſenſui ingrata ſunt (§. 162.), immo privatio delectationum ſenſualium eidem moleſtiam creat (§. 754. *part. 1. Jur. nat.* & §. 560. *Pſych. empir.*), lucri cupidus id averſatur, quod damnum affert (§. 171.), & per conſequens omne factum, quo lucrum ejus intervertitur, honoris autem cupido moleſta accidunt, quæ honori ac laudi ejus officiunt (§. 178.); *ne quis incurrat in odium voluptuoſi, vel lucri, aut honoris atque laudis cupidi, ſibi cavere debet, ne alterum delectatione ſenſuali, qua frui poterat, privet, neve dolorem excitet, vel ne ipſi damnum det, aut lucrum ejus intervertat, vel ne honori ac laudi ejus officiat neve in ignominiam eum adducat.*

Quando in evitando odio attenditur animus ad ea quæ voluptuoſo, vel lucri aut honoris ac laudis cupido moleſtiam creant, eamque tantam, quanta ad odium concitandum ſufficit, actiones noſtras ad aliorum opinionem referimus & ex ea malum metimur. Qui enim odium concipit, is ſuam, non noſtram ſequitur opinionem. Quamobrem qua cautione in genere opus eſt, quando in determinandis actionibus noſtris opinionis alterius rationem habemus, ea quoque in evitando odio alterius adhibenda, ſcilicet ne quicquam committatur ex parte noſtri, quod quomodocunque legi naturæ repugnat, quemadmodum jam ante demonſtravimus (§. 302.). Conſideranda ſunt omnia mala tam poſitiva, quam privativa ex opinione ejus, in cu-

jus odium incurrere nolumus, & quæ hinc non facienda reſultant exigenda ad normam legis naturæ, ſeu quod perinde eſt, cum officiis comparanda: quod notaſſe uſui eſt in ceteris quoque affectibus omnibus concitandis, vel præcavendis. Relegenda quoque hic ſunt, quæ ſupra in caſu ſimili de amore annotavimus (*not.* §. 288).

§. 306.

Quomodo odium rerum inanimatarum & animalium concitetur.

Si odium animalis bruti, vel rei inanimatæ in aliquo concitare velis; oſtendendum eſt eidem quidpiam ineſſe, unde moleſtiam multam percipere poteſt. Etenim animal brutum, vel rem inanimatam odimus, ſi in illo, vel in hac quidpiam deprehendimus, quod nobis tædium creat, ſeu unde tædium, ſive moleſtiam percipimus (§. 679. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo velis in aliquo incendere odium animalis cujusdam bruti, vel rei inanimatæ, oſtendendum utique eſt eidem quidpiam ineſſe, unde moleſtiam multam percipere poteſt.

Latiſſime patet uſus propoſitionis præſentis ob eandem rationem, quam ſupra de amore rerum inanimatarum atque animalium brutorum dedimus (*not.* §. 289.). Quamvis enim hominem nullum odiſſe debemus (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*); vitia tamen eorum & facta legi naturæ adverſa odio habenda ſunt. Unde ad eadem quoque extendenda, quæ de odio rerum inanimatarum hic demonſtrantur. Hoc nimirum non tendit ad aliorum nocumentum ac læſionem, ſed potius ad promovendum non uno modo, quod bonum atque rectum eſt, prouti ſuo loco clarius eluceſcet. Abſit itaque ut exiſtimes, propoſitionem præſentem minime convenire praxi morali!

§. 307.

Digitized by Google

§. 307.

Quoniam odium animalis bruti, vel rei etiam inanimatæ concitatur, ſi oſtendatur eidem quidpiam ineſſe, unde moleſtia percipi poteſt (§. 306.), ſatis autem exploratum eſt, non ex eadem re moleſtiam percipere omnes, ſed prouti variat hominum opinio, uni moleſtum accidere, quod alteri moleſtiam nullam creat, aut ſaltem non tantam, quanta odio exitando ſufficit; *qui odium animalis cujusdam bruti, vel rei inanimatæ in aliquo incendere voluerit, ante inquirere tenetur, qualia ea ſint, ex quibus moleſtiam percipit, immo etiam ſubinde, qualia eſſe debeant, ut majorem percipiat.* *Quænam eo fine præcognoſcenda.*

Quæ ſupra annotavimus, cum de præcognoſcendis ageremus, antequam amor rei inanimatæ vel animalis bruti concitare ſtudeamus (*not.* §. 290.); ea etiam hic tenenda ſunt. Alium nimirum judicare non debes ex tuo genio. Cumque ad res inanimatas etiam referenda ſint vitia, quæ de odio vitiorum ingignendo & alendo demonſtravimus & annotavimus (§. 230. & *ſeqq.*), legenda.

§. 308.

Odium tendit ad promovendam infelicitatem & impediendam vel depellendam felicitatem alterius. Qui enim alterum odit, is tædium ejus appetit (§. 669. *Pſych. empir.*), voluptatem vero averſatur (§. 670. *Pſych. empir.*), & illud ipſi creare, hac vero quo minus perfundatur impedire ſtudet (§. 671. *Pſych. empir.*). Enimvero quod tædium homini creat, id ad infelicitatem ejus quid confert (§. 639. *Pſych. empir.*), & quicquid voluptatem creat, id ad felicitatem ejus quid confert, aut ſaltem conferre videtur (§. 638. *Pſych. empir.*); odium itaque tendit ad promovendam infelicitatem & impediendam ac depellendam felicitatem. *Quo tendat odium alterius.*

Odium ſtimulus eſt ad lædendum alios tam poſitive, quam privative, læſione extenſa ad omnes illos actus tam poſitivos, quam negativos, ad quos eandem alias extendimus (§. 730. *& ſqq. part. 1. Jur. nat.*). Atque hinc patet turpitudo naturalis odii lege naturali prohibiti (§. 624. *Part. 1. Jur. nat.*). Odio tolluntur omnia officia hominis erga alios, ipſumque hominem homini lupum facit odium, ut cum homine nihil utilius ſit homini, mutata ſcena homini nihil ſit magis nocuum homine. Immo idem odium inficit labe ſua etiam eos hominum actus, qui ad defenſionem ſui & juris ſui liciti ſunt, eosque non ſolum ultra limites juſtos producit, verum etiam haud raro jus in crudelitatem vertit. Effectus itaque odii probe perpendendus in praxi morali.

§. 309.

De odio limitato.

Si qua ratio particularis odium movet, appetitio moleſtiæ & averſio voluptatis alterius non extenditur ultra quam ratio exigit. Etenim ſi qua ratio particularis odium movet, cum ea poſita ponatur odium (§. 118. *Ontol.*), alterum odio non habemus, niſi quatenus quod ipſi ineſt, vel adeſt, nobis diſplicet (§. 674. *Pſych. empir.*). Odium igitur per hanc rationem particularem reſtringitur ad ea, quæ cum hoc connexa ſunt, quod nobis diſplicet. Quamvis itaque qui alterum odio habet tædium ejus appetat (§. 669. *Pſych. empir.*), voluptatem vero averſetur (§. 670. *Pſych. empir.*); appetito tamen tædii, ſive moleſtiæ, aut averſio voluptatis alterius non extenditur ultra quam ratio, quæ odium movet, exigit.

Cum affectus omnes conſiſtant in appetitionibus & averſionibus vehementioribus (§. 603. *Pſych. empir.*); ratio odii eſt ratio appetitionum & averſionum, quæ eidem inſunt, & hac

hac poſitâ ponuntur. Quamobrem appetitio moleſtiæ & averſio voluptatis alterius non promiſcue ad quamlibet moleſtiam & voluptatem quamlibet extenditur, ſed utraque talis eſſe debet, quæ per rationem iſtam intelligitur cur adſit, & quoniam actus iſti animæ præſupponunt notionem ejus, quod alteri moleſtiam, quod voluptatem creat; perceptiones præteritæ pro diverſitate circumſtantiarum plurimum variantes in præſentem perceptionem ejus, quod alteri moleſtiam, vel voluptatem creare valet, influunt. Accedit quod imaginatio occaſione eorum, quæ in præſenti percipiuntur, in memoriam revocet grata & ingrata ſive nobis, ſive aliis, quæ perceptionem confuſam præſentem ingrediuntur, prouti de notionibus confuſis boni atque mali jam olim oſtendimus (§. 593. 594. *Pſych. empir.*). Unde non modo conſequens eſt, ut moleſtiam, vel voluptatem creaturi ei, quem odimus, quæ moleſtiam, vel voluptatem pariunt, opinione noſtra cenſeamus; verum etiam in utroque creanda imitemur alios. Haud obſcure talia obſervantur, ubi odio concitato verbis produnt homines, quid in votis habeant. Quæ hic annotantur, de aliis quoque affectibus intelliguntur. Patet autem inde, cur difficile admodum ſit, immo plerumque impoſſibile, ut confuſa perceptio, unde pendent appetitiones & averſiones, in quibus in unum actum confuſis affectus conſiſtit, evolvatur in diſtinctam. Cum de latebris ac receſſibus in animis hominum, quo referenda ſunt quæ hic dicuntur (§. 72. *part. 1. Ethic.*), altum hactenus ſilentium fuerit in philoſophia, nec ultra confeſſionem ignorantiæ progrediantur, qui inſcrutabilem appetitum humanum pronunciant, Carteſiani autem infelici præjudicio non agnoſcant in anima, niſi ea, quorum ſibi conſcii ſunt; non eſt quod miremur, quod tanta caligo inducatur menti, quando de iis cogitatur, quæ ad actus animæ determinandos faciunt. Ceterum propoſitio præſens utiliſſima eſt, cum inde dijudicandum, quid metuendum ab odio alterius,

Quoniam vero plurimæ omnino ſunt rationes particulares odii; eadem quoque ambitu ſuo multa admodum comprehendit. Abſit autem, ut odium generale confundatur cum eo, quod rationem quandam particularem habet, & de illo prædices ea omnia, quæ ex notione odii nullo modo illimitati, ſeu, ſi mavis, prorſus reſtricti fluunt. Sicuti enim odium generale, ſeu nullo modo reſtricti conſiſtit in diſpoſitione animi ad voluptatem percipiendam ex infelicitate alterius (§. 661. *Pſycb. empir.*), conſequenter ex moleſtia, qua is afficitur, quacunque (§. 637. *Pſycb. empir.*); ita odium, quod nonniſi particularem quandam rationem habet, terminatur in diſpoſitione animi ex certa ſaltem moleſtia alterius voluptatem percipiendi. Quodſi ratio particularis odii concitati expendatur, quænam ſit hæc moleſtia & quousque extendatur appetitio creandi moleſtiam conſtabit, modo ſatis acutus fueris ad talia rimanda.

§. 310.

Quo tendat odium particulare.

Quoniam odium tendit ad promovendam infelicitatem & impediendam, aut depellendam felicitatem alterius (§. 308.), odium autem, quod movet ratio quædam particularis, appetitionem moleſtiarum & averſionem voluptatis alterius non extendit ultra quam ratio iſta exigit (§. 309.); *ſi ratio quædam particularis movet odium, id non tendit ad promovendam infelicitatem & impediendam, aut depellendam felicitatem alterius ultra quam ratio exigit.*

Odium generale multo magis metuendum, quam particulare. Ac ideo plurimum refert hoc ab illo diſtingvi, cum plurimi dentur caſus, in quibus circumſpectione opus eſt, ne nobis noceat, qui odium in nos habet.

§. 311.

Quo tendat odium rerum

Odium rerum inanimatarum tendit ad eas deſtruendas, aut conſpectu noſtro removendas, vel etiam, ſi qua imperfectio opinione

ne

ne noſtra in eas cadit, ad imperfectionem earum promovendam. Cum enim odium rerum inanimatarum conſiſtat in diſpoſitione animæ ad tædium ſive moleſtiam percipiendum ex iisdem (§. 682. *Pſych. empir.*), & homo per naturam ſuam averſetur infelicitatem (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*) conſequenter ad vitandum eum ſtatum, in quo tædia, ſive moleſtiæ perdurant (§. 637. *Pſych. empir.*); ſi rem inanimatam odio habemus, odium tendit ad eam deſtruendam, aut ſaltem e conſpectu noſtro removendam. *Quod erat unum.* *inanimatarum*

Enimvero cum ad imperfectionem rei inanimatæ, quam odimus, promovendam proni ſimus, ſiquidem ea opinione noſtra impertectionis cujusdam fuerit capax (§. 680. *Pſych. empir.*); quin ubi rem deſtruere, aut e conſpectu noſtro removere aut non poſſumus, aut nolumus, ad ejus imperfectionem promovendam odium tendat, dubitandum non eſt. *Quod erat alterum.*

Non deſunt exempla eorum, qui odio permoti fragilia frangunt, vel etiam alio modo deſtruunt, quæ deſtrui poſſunt. Variant pro varietate circumſtantiarum, quæ ipſæ etjam, ſi attente conſiderentur, odium fractionis & deſtructionis cauſam produnt. Non confundenda tamen cum his ſunt exempla illorum, qui ira commoti idem faciunt: qua de cauſa diximus, circumſtantias probe perpendendas eſſe. Pertinet huc, ſi quis librum profanum, in quo religionis & moralitatis fundamenta ſubvertuntur, Vulcano tradit, quia libros profanos odit, aut carmen laſcivum dilacerat laſciviæ oſor. Huc etiam referendum, ſi quis picturam perdit, quia prototypon ſuum male exprimit. Cum non una eſſe poſſit ratio, cur res, quam odio habemus, deſtrui non poſſit ſive ex parte rei, ſive ex parte ejus, qui eam odio habet; eam e conſpectu noſtro removeri curamus. Exemplo eſſe poſſunt qui certos cibos faſtidiunt, & artis periti, qui

qui nauſeant minus recte facta. Exemplum odii ad imperfectionem rei inanimatæ tendentis habemus in eo, qui librum ſplendide impreſſum maculat, aut a bibliopego inelegantер concinnari curat, ſignificandi contemtus ex odio profecti cauſa. Nemo deſideret, ea, quæ odio rerum inanimatarum fiunt, rationi ſemper conformia eſſe: haud raro enim odio flagrantes inſaniunt, maxime omnium ſi neſciunt, quomodo odium explere, aut indicare debeant. Accidit idem in aliis quoque affectibus, utpote non ſemper, quidni rariſſime ſuadentes, quæ rationi conformia ſunt.

§. 312.

Quo tendat odium animalium brutorum.

Quoniam animantia bruta æquiparantur rebus inanimatis, quatenus ea non conſideramus tanquam moleſtiæ capacia, ſed tanquam res, unde moleſtia percipi poteſt (§. 682. *Pſych. empir.*), odium autem rerum inanimatarum tendit ad eas deſtruendas, aut e conſpectu noſtro removendas, vel etiam, ſi qua imperfectio opinione noſtra in eas cadit, ad imperfectionem ipſarum promovendam (§. 311.); *odium* quoque *animalium brutorum, ſi rebus inanimatis æquiparantur, tendit ad ea perdenda, aut e conſpectu noſtro removenda, aut, quando opinione noſtra imperfectioni cuidam obnoxia fieri poſſunt, ad imperfectionem eorum promovendam.* Quoniam vero animantia bruta ſubinde hominibus quoque æquiparantur, quatenus ſcilicet ſpectantur tanquam moleſtiæ capacia, cum tunc odium eorum idem ſit, quod hominum (682. *Pſych. empir.*); *ſi animantia bruta hominibus æquiparantur, odium eorum tendit eodem, quo odium hominum* (§. 308.), *nimirum ad dolorem faciendum, vel inurendum, aut ad depellendum voluptatem,* (§. 636. & *ſeqq. Pſych. empir.*)

Qui

Qui exempla deſiderat animum ſaltem attendat ad facta hominum animantia bruta odio habentium. Ex iis enim, quæ faciunt odio commoti, intelligitur, quo tendat averſatio & ab eadem pendens appetitus, quod ſubinde etjam ipſorum verba ſatis manifeſto produnt. Nemo eſt qui neſciat, vulgo homines de actionibus brutorum eodem modo loqui quo de humanis, & eorum cum hominibus ſimilitudinem, quæ ad notionem generis ſufficit, ultra eam extendere, quaſi nulla ſit inter ipſa atque homines differentia, ut nec vereantur ipſis tribuere rationem, immo cum *Rorario* contendant, animalia, quæ bruta dicimus, ratione rectius uti hominibus. Quamobrem paradoxum videri nequit, quod in amore ac odio eadem hominibus æquiparent, quaſi felicitatis atque infelicitatis capacia eſſent perinde ac homines. Immo nec abſonum atque abſurdum eſt, ſi admittamus fictionem, qua homines res inanimatas per modum rerum animatarum ſibi repræſentant, præſertim dum affectus mentem obnubilant. Iſtiusmodi autem fictionem non temere fingi, ex iis, quæ faciunt homines haud raro amore vel odio in res inanimatas incenſi, patet.

§. 313.

Odium aliorum in tertium concitatur, ſi oſtenditur, ipſi ineſſe, vel adeſſe, quæ diſplicent aliis. Etenim ſi quid nobis diſplicet in altero obſervamus, odium oritur (§. 674. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quibusdam perſuadeamus, ineſſe vel adeſſe alicui, quæ ipſis diſplicent; eorum in hunc odium concitatur. *De odio aliorum tertio concitando.*

Equidem cum nemo alterum odio habere debeat (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*); nemo quoque in alium aliorum odia concitare debet (§. 711. *part. 1. Jur. nat.*). Indies tamen contingit, ut nonnulli aliorum odia in eos convertant, quos ipſi oderunt. Exemplo ſunt Theologi, qui philoſophos

loſophos atheismi, alios ſui ordinis hæreſeos inſimulant, ut ceterorum Theologorum odia in eos concitent, cumulantes alia, quæ argumentum ab invidia ductum ſuggerit (§. 1050. *Log.*). Exempla in medium afferri opus non eſt: ſunt enim notis notiora, & utinam minus nota eſſent. Quamvis itaque propoſitio præſens non doceatur, ut aliorum odium in alios concitare diſcamus; eandem tamen noſſe non uno in caſu utile, veluti ut nobis caveamus tanto ſollicitius, ne in odium eorum incurramus, qui aliorum odia in eos, quos ipſi oderunt, concitare ſolent.

§. 314.

De odio ob ſimilitudinem cum perſona vel re alia concitato.

Si quis perſonam vel rem quandam odit, odium in aliam concitatur, ſi perſuadetur eam eſſe illi ſimilem quoad hoc, ob quod ipſam odit. Quoniam enim odium tam perſonæ (§. 674. *Pſych. empir.*), quam rei inanimatæ & animatæ, ſive animalis bruti oritur, ſi quid in ea obſervamus, quod nobis diſplicet, vel unde tædium percipimus (§. 679. *Pſych empir.*); ſi res quædam vel perſona quoad hoc, ob quod alium odimus, fuerit ſimilis, id quod diſplicet, vel unde tædium percipitur, etiam in eadem deprehenditur. Quodſi ergo hoc alteri perſuaſeris, cum jam ratio ſufficiens odii ponatur, *per demonſtrata*, odium quoque ponatur neceſſe eſt (§. 118. *Ontol.*). Quamobrem ſi quis perſonam, vel rem quandam odit, odium in aliam concitatur, ſi perſuadetur eam eſſe illi ſimilem quoad hoc, ob quod ipſam odit.

Nimirum determinantia eadem ſunt, ideoque etiam determinatum idem eſſe debet (§. 192. *Ontol.*). Quodſi igitur adſint præterea alia, quæ odium impediunt, veluti quæ amorem concitant dominantem; odium non concitabitur. Tum enim amplius non ſunt eadem, quæ ſtatum animæ præſen-

præſentem determinant. Hinc videas haud raro vitium quoddam in uno odio haberi, quod fertur in alio, vel etiam vitium aliquod odium incendere, quia detrimentum affert, quamvis aliud, quod non minus detrimentum affert, odium minime inferat. In omni praxi morali difficultates haud raro inſuperabiles objiciuntur, quia hominum opiniones de eo, quod ipſis prodeſt, vel obeſt, plurimum variant, nec de eo, quod in dato caſu alteri præferendum, conſentientes ſunt, & præterea in determinationem ſtatus præſentis plurima influunt, quæ in diverſis ſubjectis minime eadem ſunt. Quamobrem admodum circumſpectus eſſe debet, qui præcipitantiam in afferendis inſtantiis cavere voluerit. Tanta autem circumſpectio, quanta hic requiritur, vix ac ne vix quidem cadit in ſciolos, qui ad carpendum, quam diſcendum ſunt proniores, quorum ideo puerilis audacia merito contemnenda. Probe hæc notanda ſunt, cum uſum ampliſſimum habeant etiam in aliis. Nihil magis naturale eſt, nihil rationi magis conforme, quam ut idem determinetur, ſi ratio determinans eadem fuerit. Ratio determinans prædicatum in propoſitione continetur in hypotheſi, ſeu in eo conſiſtit, quod de ſubjecto ſumitur. Quamdiu itaque in eadem nihil immutatur, prædicatum quoque idem manet. Quamobrem cum veritas propoſitionis conſiſtat in determinabilitate prædicati per notionem ſubjecti (§. 513. *Log.*); ad demonſtrationem animum ſatis attendere debemus, ut intelligatur num prædicatum per ea, quæ de ſubjecto ſumuntur, determinetur. Atque ita cavere poterimus præcipitantiam iſtam, quam atro calculo modo notavimus, & ubi inſtantia quædam affertur, quæ veritatem propoſitionis, aut ejus univerſalitatem infringere videtur, acumen noſtrum ſuſcitabit in inquirendis iis, quæ hypotheſin propoſitionis immutant, ut ea ad præſentem caſum applicari nequeat. Equidem hæc ſatis nota ſunt ei, qui verioris Logicæ fuerit peritus, nec notionibus ontologicis

vacuum poſſidet animum: aſt quot quæſo ſunt, qui Logicæ verioris ſunt periti & notiones ontologicas diſtinctas habent? Et ſi qui vel maxime Logicæ veriori addiſcendæ operam navarunt, quot quæſo ſunt, qui in addiſcendis diſciplinis ceteris & in praxi vitæ præceptorum ejus uſum faciunt? Nonne plerique Logicam addiſcunt in ſpem futuræ oblivionis? Nonne ſibi ſupra alios ſapere videntur, qui Logicæ præcepta puerorum luſibus convenire, non autem attentionem ullam eorum mereri alto ſupercilio pronunciant, qui ſe viros præſtare geſtiunt? Quanta ſit vis præjudiciorum, præſertim ſi confirmentur autoritate eorum, quorum plurimum valet apud alios autoritas, nemo eſt qui ignorat. Quamobrem non inconſultum exiſtimamus, data occaſione talia moneri, quæ ad eradicanda iſtiusmodi præjudicia faciunt.

§. 315.

An odium & amor ſimulari poſſint ſi alterum amamus vel odimus.

Qui alterum odit, amorem ſimulare poteſt & contra. Etenim qui ex tædio, vel moleſtia alterius voluptatem percipit, eundem odit (§. 665. *Pſych. empir.*). Enimvero quamvis ex tædio alterius voluptatem percipit, hoc tamem non obſtat, quo minus verbis aut etiam factis declaret, ſe ex tædio alterius tædium percipere, conſequenter eundem amare (§. 643. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque tunc actiones externæ ab interna diſſentiunt, in hoc autem diſſenſu ſimulatio conſiſtit (§. 716. *part. 2. Phil. pract. univ.*); qui alterum odit, amorem ſimulare poteſt. *Quod erat unum.*

Similiter ſi quis ex tædio alterius tædium percipit, eundem amat (§. 643. *Pſych. empir.*). Enimvero quamvis ex tædio alterius tædium percipiat, hoc tamen non obſtat, quo minus verbis, aut etiam factis declaret, ſe ex tædio alterius voluptatem percipere, conſequenter eundem odio

odio habere (§. 665. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque denuo actiones externæ ab interna diſſentiunt, in hoc autem diſſenſu ſimulatio conſiſtit (§. 716. *part. 2. phil. pract. univ.*); qui alterum amat eum odio habere poteſt. *Quod erat alterum.*

Plurimum refert odium & amorem ſimulatum a vero & ſincero diſcernere, ut intelligas, quid tibi ab alio ſit metuendum quid ſperandum. Etenim ad quod odium (§. 308. 310.), ad quod amor tendit (§. 292. 293.), id non intelligendum niſi de vero, minime autem de ſimulato. Immo prudentia haud raro exigit, ut conſtet, num odium in te habeat, qui amorem ſimulat, & num te amet, qui odium ſimulat. Quamobrem hæc, ne nimis credulus decipiaris, probe tenenda. Non eſt quod exiſtimes, ſuperfluum eſſe, ut talia moneantur. Ecquis enim eſt qui neſciat, quam facile in præſenti caſu credulitaten addicant ſimulantibus non ſine certo detrimento, quod utique majus eſſe ſolet, ſi putes te amari ab eo, qui odit, quam ſi amor ſimpliciter ſimuletur, nec odium eodem occludatur.

§. 316.

De amore & odio ſimulato detegendo.

Quoniam qui alterum odit, amorem; qui amat, odium ſimulare poteſt (§. 315.); ne decipiaris, *odium & amorem ſimulatum a vero & ſincero ut diſcernas, opera danda eſt, ſollicite nimirum inter ſe comparando vultum, geſtum, vocem & ſermonem*, quibus proditur affectus (§. 752. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *num inter eos aliqua appareat contrarietas, quæ ſimulationem prodit* (§. 852. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *ſubinde etiam perpendendo circumſtantias, quæ ſimulationem ſuadent*, ut ſcilicet odium amore, vel amor odio occuldatur.

Ars detegendi ſimulationem nondum ſatis exculta eſt: inprimis differentia vultus, geſtuum & vocis in diverſis affe-

ctibus ad notiones distinctas easque universales revocata non est. Affectus quidem simulare difficilius est, quam alios actus animæ internos, qui tantam & tam subitam mutationem in vultu, gestu & voce minime causantur; id tamen magis obtinet in affectibus impetuosis quam in lenioribus. Negari tamen non potest, experientiam confusis saltem notionibus suffultam in detegendis simulationibus vim habere, modo quis in observando fuerit sedulus, nec attentionem suam desiderari patiatur. Cumque in simulatione affectuum locum etiam habeant latebræ & recessus; non parum adjumenti ad detegendam simulationem conferunt signa virtutum & vitiorum etiam in affectibus. Neque ars detegendi simulationes certis regulis adstringi poterit, antequam Ethica satis fuerit exculta: quod quomodo fieri debeat, hactenus parum expensum, ideoque scientia generi humano utilissima deserta atque neglecta hucusque jacuit. Absit autem ut existimes, unius esse hominis opus tam arduum perficere & ad id fastigium extollere, ad quod perduci potest! Qui imbecillior fuerit, quam ut convincatur, exemplo Mathematicorum modernorum id persuaderi poterit, si dociles fuerint. Quamvis autem in disciplinis nondum tradi possunt, quæ scitu apprime utilia forent; non tamen inutile est, ut quæ adhuc desiderantur sedulo inculcentur excitandi aliorum de scientia præclare merendi studium causa. Quamobrem si desiderata diligenter annotarentur; confici inde poterat desideratorum liber ingeniis excelsis plurimum profuturus. Incitamento nimirum opus est, si in rem aliquam omnem cogitationem convertere debes, in quam per te non venis & incidis.

§. 317.

De simulatione voluptatis & gaudii.

Quoniam opera danda, ut odium & amorem simulatum a vero & sincero discernas (§. 316.), alterum vero amat, qui ex voluptate alterius voluptatem percipit, vel

vel ideo gaudet, quod alter gaudet (§. 641. *Pſych. empir.*), & alterum odit, qui ex voluptate alterius tædium percipit, ac ideo contriſtatur, quod gaudet alter (§. 668. *Pſych. empir.*); *ſimulationem odii & amoris detecturus, triſtitiam & moleſtiam, lætitiam & voluptatem ſimulatam ut a vera atque ſincera diſcernere norit opus eſt.* *dii, odii & triſtitiæ.*

Qui amorem ſimulat, gaudium vel voluptatem ſe percipere ſimulat ex eo, quod alteri gaudium vel voluptatem creat, & qui odium ſimulat, ex eo, quod alteri voluptat vel gaudium creat, tædium ſive moleſtiam, vel triſtitiam ſe percipere ſimulat. Quamobrem ut ſimulationem amoris ac odii detegas, opera danda eſt, ut ante ſimulatam triſtitiam & moleſtiam, lætitiam & voluptatem a vera atque ſincera diſcernere diſcas. Revera omnes affectus cum inſigni voluptatis ac tædii gradu conjunguntur (§. 606. *Pſych. empir.*), quamvis pro diverſitate eorundem diverſimode modificetur voluptas atque tædium, prouti variat repræſentatio boni vel mali, ex qua affectus oriuntur (§. 605. *Pſych. empir.*), quemadmodum ex definitionibus eorundem apparet. Quamobrem in detegenda ſimulatione affectuum multum valent ſigna diagnoſtica voluptatis ac moleſtiæ, gaudii ac triſtitiæ. Simulatio voluptatis ac moleſtiæ, gaudii atque triſtitiæ in ſimulationem omnium affectuum irrepit. Affectus non ſunt niſi actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. 603. *Pſych. empir.*), quarum illi non aliter quam confuſa boni (§. 580. *Pſych. empir.*), hic non aliter quam confuſa mali repræſentatione determinantur (§. 582. *Pſych. empir.*), quatenus id, quod appetimus, voluptatem, quod vero averſamur moleſtiam creat (§. 156.). Hæc qui perpendit, haud obſcure videt, quod ſimulatio voluptatis ac moleſtiæ in omnem affectuum ſimulationem irrepat. Artis detegendi ſimulationem principia quædam generalia tradidimus (§. 716. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*) & multa ſpecialia ad eandem

dem referenda in Ethica demonſtrantur, quatenus ſemioticæ moralis in eadem ratio ſimul habetur. Atque hæc prodeſſe poterat ei, qui certis regulis artem detegendi ſimulationem adſtringere voluerit. Antequam vero hoc factum fuerit iisdem utiliter utemur in præſenti negotio. Ars ſimulandi admodum imperfecta eſt, quamdiu ars ſimulationem detegendi minus perfecta, pendet enim una ab altera & una alteram perficit, utut ſimulare magis in poteſtate noſtra ſit quam ſimulationem detegere: non tamen ſatis circumſpectus eſt in ſimulando, qui non intime novit, quomodo ſimulatio prodatur. Ideo non eſt, quod miremur, ſimulationis adeo ſtudioſos & amantes, ut cognoſci nolint, ſeu videri, qui non ſunt, ea tamen faciunt, ex quibus facillime cognoſcuntur, etſi communis notio ipſis abſtinentiam ab iis inſinuare potuiſſet, quam proverbio in vulgus noto exprimere ſolemus: ſi tacuiſſes, philoſophus manſiſſes.

§. 318.

De mutua amoris & odii diſſimulatione.

Qui amorem ejus, quem odit, ſimulat, odium diſſimulare vult, & qui odium ejus, quem amat, ſimulat amorem diſſimulare vult. Qui enim amorem ejus ſimulat, quem odit; is alteri perſuadere ſtudet, ſe ipſum amare, ut odium occultet. Quamobrem cum occultatio odii hoc modo facta diſſimulatio ſit (§. 717. *part 2. Phil. pract. univ.*); qui amorem ejus, quem odit, ſimulat, odium diſſimulat. *Quod erat unum.*

Similiter qui odium ejus ſimulat, quem amat, is eidem perſuadere ſtudet, quod ipſum odio habeat, ut amor occultetur. Quoniam itaque hæc amoris occultatio diſſimulatio eſt (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*); qui odium ejus, quem amat, ſimulat, amorem diſſimulat. *Quod erat alterum.*

Diſſi-

Diſſimulatio ejus, quod eſt, finis ſimulationis eſt, ſimulatio medium diſſimulationis (§. 848. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Dum odium diſſimulamus, non alio fine id fit, quam ne alteri patefiat, conſequenter in hoc caſu ipſa diſſimulatio finis eſt, qui ſimulatione intenditur (§. 717. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Et quoniam extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, fieri non poſſe, ut, qui alterum odit, eundem ſimul amet, & qui alterum amat, eundem ſimul odio habeat (§. 623. *part. 1. Jur. nat.*); ſimulatio amoris medium eſt diſſimulandi odium. Eodem modo intelligitur, odii ſimulationem eſſe medium diſſimulandi amorem. Utique ſupponitur ſimulationem detegi non poſſe ab eo, cujus cauſa ſimulatur. Enimvero quoniam non modo difficile eſt detegere ſimulationem, quemadmodum ex modo demonſtratis patet, verum etiam non una ratio eſt, cur amorem vel odium ſimulanti habeatur fides; ſimulatio amoris, vel odii medium minime fallax eſſe ſolet diſſimulationis odii, vel amoris præſertim cum pauci ſint, qui de detegenda ſimulatione & diſſimulatione cogitant, niſi experientia edocti fuerint, eum, qui amorem vel odium ſimulat, eſſe ſimulationis ſtudioſum atque amantem, aut circumſtantiæ quædam particulares ſimulationis ſuſpicionem moveant. Quæ vero hic dicuntur de ſimulatione amoris odii diſſimulandi cauſa & de ſimulatione odii diſſimulandi amoris cauſa; intelliguntur etiam de rebus inanimatis & animalibus brutis. Quamobrem propoſitio præſens non modo utilis eſt ad diſſimulandum amorem, vel odium; verum etiam nos admonet, ut ſatis circumſpecti ſimus, ne decipiamur. Omnis veritas fœcunda eſt, etſi fœcunditatem non ſemper proſpiciamus. Sufficit autem, ut cognita in caſu obvio eam nobis afferat utilitatem, quam fœcunditas ſpondet.

§. 319.

Quoniam qui amorem ejus, quem odit, ſimulat, odium diſſimulat (§. 318.), amor autem ſimulari poteſt

De odio amore occluſo non detegendo.

non una de cauſa alia, veluti ut alterum permoveas ad tibi, quod petis, præſtandum; *ſimulatione amoris detecta, nondum detectum eſt odium, quod diſſimilatur*, conſequenter *opera danda ulterius, ut odium detegatur, ſollicite nimirum attendendo animum ad vultum, geſtum, vocem atque ſermonem* (§. 754. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

Qui affectum ſimulare vult, is fingere debet vultum, vocem, geſtum, ſermonem atque facta eidem reſpondentia (§. 809. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & iſtiusmodi mutationes affectus ſua ſponte comitantur (§. 670. *Pſych. empir.*). Qui eum diſſimulare vult, impedire tenetur ne iisdem ſit locus: id quod quoad vultum fieri nequit (§. 795. *part. 2. Phil. pract. univ.*), utut quoad cetera magis regnet arbitrium (§. 802. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Atque hinc oritur quædam contrarietas in ipſo vultu, ſi eum fingere velis, qualem requirit affectus ſimulandus; ut ceteræ quoque mutationes, quas fingere magis in poteſtate eſt, inde alterentur, nec iis prorſus ſimiles non maneant, quales affectui ſimulando conveniunt. Miſcentur ea, quæ amori conveniunt, cum iis, quæ reſpondent odio, ut quædam illi, quædam huic conveniant, ſi integrum vultum aut complexum omnium mutationum in corpore obſervabilium ſpectes, in ſingulis autem, ſi in ſe ſpectentur, per motus contrarios producatur effectus, qui neutri prorſus reſpondet. Non diffiteor, multis, immo plurimis hoc nimis ſubtiliter excogitatum viſum iri; quodſi tamen in obſervando ſatis fuerint acuti atque attenti, nec patientiam ſuam deſiderari patiantur, rem ita ſeſe habere experientur.

§. 320.

De amore odio ſimulato fecto.

Similiter quoniam odium ſimulans, qui alterum amat, amorem diſſimulare ſtudet (§. 318.); eodem quo ante (§. 219.) modo patet, *ſimulationem odii detegendo nondum*

dum detegi amoris diſſimulationem, conſequenter *operam dandam eſſe ulterius, ut amor detegatur, ut ante* (§. *cit.*).

Quæ modo annotavimus de odio, quod amore ſimulato concluſum, (*not.* §. 319.), ea hic quoque tenenda ſunt. Per ſe autem intelligitur, excipiendos hic eſſe eos caſus, in quibus affectum ſimulatum & diſſimulatum ſua ſponte prodit qui ſimulaverat atque diſſimulaverat aut ubi de diſſimulato jam aliunde conſtat, ut ſaltem opus ſit ſimulationem detegi, ne animus ſimulantis mutatus credatur, vel circumſtantiæ tales ſunt, ut ſimulatione detecta pateat ratio diſſimulationis. Etenim hi caſus ſupponunt adhuc alia, quam quæ ſumſimus. Propoſitiones autem non ſunt extendendæ ultra id, quod ſumitur, cum per ea determinetur id, quod vi eorum affirmatur, vel negatur. Hæc ſatis manifeſta ſunt ei, qui Logicæ atque Ontologiæ fuerit ſatis peritus. Non igitur eſt, quod miremur, Logicæ atque Ontologiæ ignaros vel prorſus contemtores, quales omnino ſunt, qui dignitatem diſciplinarum eorumque inter ſe nexum non perſpiciunt, ideoque plurimi, ea non videre.

§. 321.

Qui alterum odit, is non modo facere omittit, quod ipſi placet, verum etiam facere ſtudet, aut faciendi occaſionem captat, quod odii quoad diſplicet. Qui enim alterum odit, ex ejus voluptate tædium ſeu moleſtiam percipit (§. 667. *Pſych. empir.*), atque tædium ipſius appetit (§. 669. *Pſych. empir.*), voluptatem vero averſatur (§. 670. *Pſych. empir.*), conſequenter fieri nequit, ut ea facere ſtudeat, quæ voluptatem creant, quin potius ab his ſeſe abſtinet. Quamobrem cum id placeat, ex quo voluptas percipitur (§. 542. *Pſych. empir.*); qui alterum odit, is facere omittit, quod ipſi placet. *Quod erat unum.*

De affectu actiones reſpectu alterius.

Porro qui alterum odit, is tædia eidem creare, voluptate vero quo minus perfundatur impedire ſtudet (§. 671. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum id diſpliceat, quod tædium creat (§. 542. *Pſych. empir.*), ac per conſequens quod voluptate, qua frui poteramus, nos privat; qui alterum odit, is facere ſtudet, aut faciendi occaſionem captat, quod diſplicet. *Quod erat alterum.*

Inferri utrumque poterat etiam inde, quod odium tendat ad promovendam infelicitatem & impediendam, vel depellendam felicitatem alterius (§. 308.), vi notionis felicitatis & infelicitatis (§. 638. 639. *Pſych. empir.*). Me autem vel tacente patet, præſertim ſi recordemur eorum, quæ toties de latebris & receſſibus in animis hominum ubivis attendendis inculcavimus, non una de cauſa effectum odii impediri poſſe. Exempla igitur huc ſpectantia contra propoſitionem præſentem allegari non poſſunt. Atque idem tenendum eſt in aliis, vi eorum, quæ modo annotavimus (*not.* §. 320.). Quamvis vero adſint rationes ſufficientes, cur actus externus ceſſet, ut voti non damnetur oſor, cupiditas tamen omittendi, quod alteri placet, & faciendi, quod diſplicet, animum obſidet: poſito enim odio ponuntur quoque appetitiones & averſiones eidem convenientes, quemadmodum in ceteris affectibus quibuscunque. Diſtinguendum quoque eſt inter actiones, de quibus noſtri cauſa ſtatuimus, & eas, de quibus aliorum cauſa decernimus. In iſtis non attenditur odium, ac ideo perinde nobis eſt, ſive alteri placeant, ſive diſpliceant, cum eas non referamus ad aliorum opinionem. Atque hoc facere tenemur, quoties quæritur, quid legi naturæ conveniat, quid repugnet, ob indiſpenſabilem obligationem, quæ ab ea venit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ceterum quæ ſupra obſervavimus de amore in caſu non diſſimili, (*not.* §. 299.), hic quoque tenenda, ſcilicet diſcernenda eſſe ea, quæ concitando odio inſerviunt (§. 674.

674. *Pſych. empir.*) ab iis, quæ noſtri cauſa fiunt. Quando oſor facit, quæ alteri diſplicent, quia diſplicent, id facit ſui cauſa, quatenus ex tædio alterius voluptatem percipit, quam incautus ad felicitatem ſuam refert (§. 638. *Pſych. empir.*).

§. 322.

Quoniam qui alterum odit, non modo facere omittit, quod ipſi placet, verum etiam facere ſtudet, ut faciendi occaſionem captat, quod diſplicet (§. 321.), ſicque appetitus oſoris & ejus, quem odio habet, in diverſa tendunt, in conſenſu autem mutuo in actiones ſuas unio animorum conſiſtit (§. 301.); *odium unionem animorum impedit & ſuperveniens tollit*, conſequenter cum discordia ſit diverſitas voluntatis & noluntatis in diverſis ſubjectis (§. 133. *Part. 7. Jur. nat.*), *diſcordiam parit.* *Odii effectus porro expenditur.*

Quemadmodum amor certiſſimum vinculum eſt, quo animi hominum uniuntur (*not.* §. 301.); ita odium hoc vinculum rumpit. Et cum amor, quatenus unit animos hominum (§. *cit.*), concordiam parit & ſervat (§. 132. *part. 7. Jur. nat.*); odium eandem arcet. Quemadmodum vero unio facilis eſt, ſiquidem uterque amantium in cuſtodia legis naturalis fuerit tenax (*not.* §. 301.), quo ipſo omne quoque odium fugatur (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*); ita ex adverſo omnis discordia inde venit, quod homines actiones contraria ratione determinant, quam lege naturali præſcribitur. Non perpendunt homines cuſtodiam legis naturalis eſſe fontem omnis felicitatis (§. 396. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), etſi appetitus eorum per naturam ſuam in eandem feratur (§. 324. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Omnium igitur maxime inſaniunt, qui legem naturæ pax nullam eſſe ſomniant. Nec minor eſt illorum inſania, qui obligationem actiones ſuas juxta eam determinandi a metu pœnarum deducunt, etſi non adeo manifeſto in oculos incurrat.

§. 323.

De amore in oſore & odio in amante concitando.

Si amorem ejus, quem quis odit, concitare voluerls, neceſſe eſt ut oſori perſuadeas, ei, quem odio habet, quidpiam ineſſe, vel adeſſe, ex quo majorem percipit voluptatem, quam quantum eſt tædium ex eo perceptum, quod odium genuit. Et ex adverſo ſi qui alterum amat perſuadetur, ineſſe vel adeſſe quidpiam amato, unde tædium ſeu moleſtia major percipitur, quam quanta eſt voluptas ex eo percepta. quod amorem genuit, odium in eodem concitatur. Etenim ſi oſor perſuadetur, ei, quem odit, quidpiam ineſſe vel adeſſe, ex quo majorem percipit voluptatem, quam quantum eſt tædium ex eo perceptum, quod odium genuit; illud magis placet, quam hoc diſplicet (§. 542. *Pſych. empir.*). Enimvero ſi in altero obſervamus, quæ nobis placent, alia vero, quæ diſplicent, eum ſimul amamus ac odimus, prouti ad cauſam vel amoris, vel odii attendimus (§. 695. *Pſych. empir.*): quodſi tamen amor plurimum ſuperet odium, vel odium amorem, in caſu priori odium, in poſteriori amor prorſus evaneſcit (§. 686. *Pſych. empir.*), ac per conſequens eum, quem odio habebamus, nunc amamus, & ex adverſo eum, quem amabamus, nunc odimus. Quodſi ergo amorem ejus, quem quis odit, concitare volueris, neceſſe eſt, ut oſori perſuadeas, ei, quem odio habet, quidpiam ineſſe, vel adeſſe, ex quo majorem percipit voluptatem, quam quantum eſt tædium ex eo perceptum, quod odium genuit, & ex adverſo ſi qui alterum amat perſuadetur, ineſſe quidpiam amato, unde tædium majus percipitur, quam quanta eſt voluptas ex eo percepta, quod amorem genuit, amor in odium abit.

A poſteriori ut veritatis convincamur repetenda hic ſaltem ſunt, quæ de amore & odio ſe mutuo extingvente jam

jam olim in medium attulimus (§. 686. *Pſeb. empir.*). Quodſi quis ad actiones hominum quotidie obſervandas animum attendere ſueverit; is propoſitionem præſentem, quemadmodum alias longe plurimas, ad notiones communes referre nullus dubitabit. Videmus enim oſoribus repræſentari & commendari ea, quæ ipſis placent & excuſari ac emolliri ea, quæ diſplicent, ut ſaltem minus diſpliceant, ſi quis velit, ut ametur, qui odio habetur. Contrarium obſervamus in iis, qui omnem movent lapidem, ut in odium adducant eum, qui amatur. Multa homines docet natura occulto quodam modo, cujus ipſimet ſibi non ſunt conſcii, quatenus ratio in anima quaſi deliteſcens vim ſuam exerit in perceptionibus confuſis. Iam vero ratio pleniſſimam lucem affundit, dum in diſciplinis notiones confuſæ reducuntur ad diſtinctas & diſtinctarum nexu efficiuntur adæquatæ. Quamobrem putandum non eſt, minime convenire, ut quæ notionibus communibus reſpondent in diſciplinis demonſtrentur, neque exiſtimandum eſt hoc inutiliter fieri, cum notiones communes ad diſtinctas reductæ inſerviant aliis detegendis a priori & quatenus praxi ſerviunt, eandem magis ſubjiciant poteſtati noſtræ. Occultus iſte docendi modus pertinet ad latebras & receſſus in animis hominum (§. 72. *part. 1. Erb.*) ac inde petenda eſt diſtincta & intelligibilis ejusdem explicatio. Inſinuat nimirum experientia animis hominum ideas multas, quibus notiones univerſales inſunt, & dum in præſentibus attentionem quædam in ſe trahunt, quæ in iis continentur, imaginatio reproducendo ideas fiſtas attentionem vertit in ea, quæ ad notionem univerſalem ſpectant, quemadmodum ex natura facultatum animæ facile demonſtrari poteſt, modo quis principia Pſychologiæ animo comprehenderit. Hæc omnia cum nobis minime conſciis in nobis fiant, immo fieri debeant, undenam veniant notiones iſtæ, & cur jam actu ſint præſentes, atque in determinationem actionum noſtrarum influant, ignoratur,

nec

nec ab iis, qui noſſe poterant, attenditur. Philoſophi non eſt dicere, quod hoc vel illud doceat natura, vel quod natura notum ſit; ſed docere debet, quomodo natura id doceat, vel natura notum fiat, ne dicantur quæ intelligi nequeunt. Nec ſufficit dicere, quod notiones iſtæ ſint ideæ innatæ, aut rectius quod iisdem inſint. Quodſi enim innatæ dicantur ideæ, quas anima ex ſeipſa quaſi evolvit, oſtendendum eſt, quomodo evolutio iſta fiat, atque tunc incidimus in explicationem latebrarum & receſſuum in animis hominum & diſpulſis nebulis plenisſima lux affunditur menti. Ex anterioribus autem patet, propoſitionem præſentem etiam valere de amore atque odio rerum inanimatarum atque animalium brutorum, ut minime opus videatur id demum demoſtrari.

§. 324.

Quando amans tædium percipiat ex voluptate amati.

Qui alterum amat, ex iis tædium percipit, quæ amato voluptatem creant, ſed eidem quomodocunqne officiunt. Etenim qui alterum amat ex ejus voluptate voluptatem percipit, ſi idem fuerit de objecto, quod voluptatem amato creat, judicium (§. 640. *Pſych. empir.*). Enimvero ſi amans judicat, ea, quæ amato voluptatem creant, eidem quomodocunque officere, quod ipſe non agnoſcit; judicium amantis differt ab opinione amati, conſequenter fieri nequit, ut ex voluptate, quam percipit amatus, amans quoque voluptatem percipiat Enimvero quoniam qui alterum amat, eundem conſiderat tanquam ſeipſum (§. 659. *Pſych. empir.*); ſi qua eidem officere quomodocunque agnoſcit, perinde eſt ac ſi accideret, quod ſibi officit, conſequenter ſe vel ſtatum ſuum imperfectiorem reddit. Cum itaque hoc ſibi repræſentet tanquam malum (§. 565. *Pſych. empir.*), ſi vero malum cognoſcimus, ex eo tædium percipi-

cipimus (§. 569. *Pſych. empir.*); qui alterum amat, ex iis tædium percipit, quæ amato voluptatem creant, ſed eidem quomodocunque officiunt.

E. gr. ponamus amantem delectari gloria amati: ecquis non videt, fieri haud quaquam poſſe, ut ex iis voluptatem percipiat, quæ gloriæ ipſius officiunt, quamvis amatus eadem ſibi glorioſa eſſe putet, quin potius ex adverſo moleſtiam inde percipere, propterea quod gloriæ ſuæ, præſertim ad immortalitatem memoriæ, officiat. Ita parentes contriſtantur vitiis liberorum impenſe amatorum, quibus ipſi delectantur. Et idem valet de bonis omnibus, qui amore univerſali complectuntur homines omnes, quando eosdem male factis delectari vident.

§. 325.

Si quis alterius commiſerari debet, neceſſe eſt, ut malum, quo is affligitur, cognoſcat eundemque amet. Etenim cum miſeratio oriatur, ſi alterum indignum judicemus malo, quo affligitur; neceſſe eſt ut malum, quo alter affligitur, cognoſcatur (§. 695. *Pſych. empir.*). Enimvero quoniam ejus non commiſeramur, quem non amamus (§. 689. *Pſych. empir.*); ut quis alterius commiſeretur, præterea requiritur, ut eum amemus.

De commiſeratione excitanda.

Sola cognitio miſeriæ alterius ad concitandam commiſerationem minime ſufficere, exemplis quotidie obviis confirmari poteſt. Amorem autem eſſe fontem commiſerationis, & ratio docet (§. 688. *Pſych. empir.*), & experientia confirmat. Si videas juvenem, quem pulchritudo formæ commendat, ad ſupplicium ultimum duci, ejus commiſeraris, quia pulchritudo formæ, quæ placet, amorem concitat (§. 645. *Pſych. empir.*). Quodſi excipias, eum non indignum judicari ſupplicio, quod meruit; probe notandum eſt, aliud

eſſe judicare, num quis indignus ſit malo, aliud num malum, quo affligitur, vel quod ſubire tenetur, meruerit. Quando enim alterum indignum judicamus malo, in quod incidit; malum referimus ad id, ob quod is nobis placet, non vero ad factum, quod iſtud peperit. Si quem amamus, ab eo malum ut procul abſit in votis habemus, ac ideo indignum eodem judicamus. Lingva patria ſatis accurate mentem noſtram exprimimus, ut differentia iſta manifeſto conſpiciatur. Dicere nimirum ſolemus in exemplo dato, es ſey Schade, daß ein ſo ſchöner junger Menſch auf ſolche Weiſe müße hingerichtet werden, quaſi ſcilicet dolenda ſit jactura juvenis tam formoſi, qui hoc modo e medio tolli meruerit. Ut vero uſum quendam propoſitionis præſentis indicemus, tenendum eſt eam nos jubere eſſe circumſpectos, ne commiſerationis excitandæ cauſa ad alterum deferamus querelas de miſeria noſtra, cujusque tandem cauſa id fiat.

§. 326.

De amore ante commiſerationem concitando.

Quoniam ſi quis alterius commiſerari debet, neceſſe eſt, ut eundem amet, atque malum, quo is affligitur, cognoſcat (§. 325.); *commiſerationem concitaturus ante amorem concitare tenetur, quam malum, quod alterum affligit, repræſentetur.* Idem valere, ſi commiſerationem tui concitare velis, per ſe patet.

Si amor univerſalis, quem lex naturæ urget (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), & quo natura homini hominem commendat, omnium animos obſideret, ad concitandam commiſerationem ſufficeret ſola miſeriæ repræſentatio. Enimvero quam rara avis ſit in his terris, nemo eſt qui neſciat, modo quid ſit amor iſte univerſalis ſciat. Amor iſte non aliam requirit rationem, quam quod is, qui amatur, homo ſit. Sola humana natura, quam tecum communem habet, ratio ejus ſufficiens eſt. Amoris univerſalis, qui extenditur ad homi-

homines promiſcue omnes, ratio eadem eſſe debet in hominibus omnibus, conſequenter in alio conſiſtere nequit, quam quod omnium hominum commune eſt, ac per conſequens ut alium ames non alia requiritur ratio, quam quod is ſit homo. Sed de eo plura dicenda erunt ſuo loco. Quoniam vero multa obſtant, quo minus amor univerſalis concitetur, ea utique attendenda ſunt, quæ amori huic, vel iſti in ſpecie conciliando inſerviunt, ubi commiſerationem commovere volueris. Latet fomes amoris univerſalis in natura hominis, qui ſua ſponte flammam concipit, niſi alia obſtent, ut tunc ſola cognitio miſeriæ commiſerationi concitandæ ſufficere videatur. Cum ſimilis ſimili gaudeat (*not.* §. 297.), ſola humanitas hominem invitat ad amorem aliorum, cujus magna vis eſt, modo non accedant, quæ eandem enervant. Aſt erit alibi locus, ubi de eo diſertius dicendum.

§. 327.

Si animalia bruta & res inanimatas amamus, & ea, quæ ipſis accidunt, ſpectamus tanquam mala iisdem obvenientia; tam illorum, quam harum commiſeramur, vel quaſi. Amor rerum inanimatarum tendit ad eas conſervandas, aut augmentandas, perficiendas, vel ornandas, ſi augmentari, perfici, vel ornari poſſunt (§. 294.). Quamobrem ſi deſtruantur, aut diminuantur, aut ipſis quid accidat, quod imperfectiores reddit, vel quodam ornatu ſuo privari videntur, id ipſum reſpectu earum habetur pro malo (§. 565. *Pſych. empir.*), quo ipſo eas indignas judicamus, quatenus appetitus fertur in contrarium. Quoniam itaque commiſeratio oritur, ſi alterum indignum judicamus malo, quo affligitur (§. 695. *Pſych. empir.*); rerum inanimatarum commiſeramur, vel quaſi, ſi eas amamus & ea, quæ ipſis accidunt, tanquam mala iisdem obvenientia ſpectamus. *Quod erat unum.*

Quando animalium & rerum inanimatarum commiſeremur.

Enimvero quando animalia bruta amamus, ea ſpectamus vel tanquam voluptatis capacia, vel per modum rerum inanimatarum, tanquam objecta, ex quibus a nobis voluptas percipi poteſt. Quodſi conſiderentut tanquam voluptatis capacia, amor eorum idem eſt, qui hominum (§. 657. *Pſych. empir.)* & infelices cenſentur, ſi dolore & moleſtia affliguntur (§. 639. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum alterius commiſeremur, ſi eundem amamus (§. 688. *Pſych. empir.*); animalium quoque commiſeramur, quatenus quoad perceptionem voluptatis, vel moleſtiæ aut doloris hominibus æquiparantur, ſi eadem amamus.

Quoniam vero rerum quoque inanimatarum commiſeramur, ſi ipſis accidant, quæ tanquam mala iisdem obvenientia conſiderantur, *per demonſtrata*, & animalia, quando ſpectantur tanquam ea, ex quibus voluptas percipi poteſt, rebus inanimatis æquiparantur (§. 657. *Pſych. empir.*); in hoc etiam caſu animalium commiſeramur, ſi ea, quæ ipſis accidunt, ſpectamus tanquam mala ipſis obvenientia, eademque amamus. *Quod erat alterum.*

Nos commiſerari animalium, quæ amamus, ſi ea doloris ac triſtitiæ capacia exiſtimamus & rerum inanimatarum quaſi commiſerari, ſi deſtruantur, vel quomodocunque deteriorentur, alibi jam oſtendimus (§. 701. 702. *Pſych. empir.*). Quoniam tamen hic agitur de affectibus concitandis, oſtendendum quoque erat, quanam opinione concitetur commiſeratio vel quaſi animalium & rerum inanimatarum, quæ amamus, ut conſtet quid ſit faciendum, ſi commiſerationem illorum, vel quaſi commiſerationem harum concitare velimus. Ecquis enim eſt, qui neſciat, haud infrequentes eſſe caſus, in quibus commiſeratione iſta vel quaſi alios permovere intendimus ad non faciendum, quod facere intendunt, aut a certis actionibus in poſterum ſeſe

ſeſe abſtinendum. Ceterum cum commiſerationem vel quaſi animalium atque rerum inanimatarum jam olim exemplis illuſtraverimus, cum eandem a poſteriori ſtabiliremus (§. §. cit.); non opus eſt, ut ad exempla provocemus, præſertim cum quotidie obvia ſint, ut vix eſſe poſſit, qui talium non recordetur, modo non nimis negligens fuerit eorum, quæ ab hominibus fiunt, ſpectator, vel etiam actionum propriarum obſervator.

§. 328.

Quoniam animalium ac rerum inanimatarum commiſeramur, vel quaſi, ſi ea amamus & quæ ipſis accidunt ſpectantur tanquam mala iisdem obvenientia (§. 337.), commiſeratio vero triſtitia eſt ex alterius infelicitate percepta (§. 687. *Pſych. empir.*), conſequenter ex malo, quod ipſis obtigit (§. 639. 569. *Pſych. empir.*); *ſi, qui animalia bruta vel res inanimatas amat, ea, quæ ipſis accidunt, ſpectat tanquam mala iisdem obvenientia, contriſtatur.*

Quando contriſtemur ob ea, quæ accidunt animalibus & rebus inanimatis ſolo ipſorum reſpectu.

Triſtitiam hanc ſatis aperte loquuntur exempla, præſertim in eo caſu, in quo nullum emolumentum, vel detrimentum noſtrum apparet, quidquid tandem animali, aut rei cuidam inanimatæ accidat, ne excipi poſſit, quaſi contriſtemur noſtri ſaltem cauſa. Triſtitiam iſtam produnt querelæ eorum, qui commiſerantur, vel quaſi, eandemque etiam atteſtantur judicia de funeſto caſu, qui commiſerationem movet. Probe tamen tenendum eſt, hujus quoque triſtitiæ, quemadmodum affectuum ceterorum omnium, dari gradus, ut ſubinde quaſi in naſcentia ſubſiſtant, quantitatis autem in præſenti nullam haberi rationem. Vide notionem commiſerationis rerum inanimatarum & animalium alibi jam explicatam (§. 703. 704. *Pſych. empir.*).

Digitized by Google

§. 329.

De miseria. *Miser* dicitur, qui malo cuidam obnoxius, quo affligitur, vel affligi potest. Quamobrem *Miseria* status est, qui determinatur per mala, quibus homo vel actu affligitur, vel affligi saltem potest, si animum ad ea attendit, & cogitationes suas in iisdem defigit. *Malum* vero *affligere* nos dicitur, quod tristitia aliisque affectibus molestis animum torquet. Quamobrem cum infelix sit, qui tædiis sive molestiis, consequenter affectibus molestis (§. 609. *Psych. empir.*), in quorum numero tristitia est (§. 619. *Psych. empir.*), torquetur (§. 637. *Psych. empir.*); *qui miser est infelix est, si malo suo affligitur.*

Omne malum, si cognoscitur, tædium sive molestiam creat (§. 569. *Psych. empir.*), & pro opinione idem sibi repræsentantis diversos affectus molestos suscitat (§. 609. *Psych. empir.*). Quamobrem malum omne ad causas miseriæ referri potest, immo referri etiam solet ab iis, qui in miseriam humanam declamant: studiose enim congerunt omnia mala tam privativa, quam positiva, eademque omni animi contentione exaggerant, quibus homo vel obnoxius est, vel obnoxius fieri potest. Nemo etiam est, qui miseros non dicat infelices. Quamvis vero ideis confusis insint certi respectus ejus, quod commune habent, differentiam quandam specificam parientes, ut iis discernendis diversa vocabula fuerint destinata; cum tamen non adeo facile sit diversos istos respectus animadvertere & animum ad eos attendere, ideo significatus multorum vocabulorum efficitur vagus & multa pro synonymis propemodum habentur, quæ non sunt, saltem esse non debent, ac difficile est eadem ad significatus determinatos & fixos reducere, ne incautus ipse incidas in synonymiam, quam sollicite vitare studebas. Accedit, quod in iis, quæ ad appetitum & aversationem quo-

quomodocunque pertinent, habenda ſit ratio opinionis appetentis vel averſantis, ut eadem res, quatenus refertur ad hominem, vel ſtatum ejusdem, pro diverſitate opinionum alia aliaque appareat, & aliud ſit judicium ex veritate ſtatuentis, quam ex opinione. Infelicitas & miſeria facillime confunduntur. Utraque certum hominis ſtatum denotat. In utroque ſtatu adſunt, quæ moleſtiam pariunt. Uterque ſtatus durationem per tractum quendam temporis ſupponit. Ac ideo in iis, quæ ſub ſenſum cadunt, inter ſe conveniunt, & propterea accidit, ut hominem in hoc ſtatu unus infelicem, alter miſerum appellet, prouti hoc, vel iſtud vocabulum ipſi in mentem venit. Quodſi vero hosce duos ſtatus, quorum unum infelicitatem, alterum miſeriam dicimus, a ſe invicem diſcernere velimus, diſcrimen aliud ineſſe non intelligitur, quam ut in infelicitate potiſſimum reſpiciatur moleſtia, qua afficitur animus alterius in miſeria autem attendatur cauſa, quæ moleſtiam creat & animum inquietat. Hinc in æſtimanda infelicitate magis ſequimur opinionem ejus, qui moleſtia & inprimis moleſtis affectibus torquetur; in æſtimanda autem miſeria noſtram de malo, quod moleſtiam creat, aut moleſtos affectus concitat, opinionem. Atque ideo non ſolum miſerum vocamus eum, quem mala actu affligunt, ſed etiam eum, qui iisdem obnoxius eſt, etiamſi de iis ipſe nondum cogitat, nec propterea angitur animus ejusdem. Ponamus patrem mori, relictis liberis impuberibus & infantibus, nec ulla relinqui bona, ex quibus educationi eorum proſpici poſſit: nemo non liberos hoſce vocabit miſeros, quamvis ipſi propter ætatem non cognoſcant malum, ut eodem affligi poſſent. Ita miſeros vocamus eos, qui vitio quodam corporis laborant, aut etiam animi, veluti ſi fuerint claudi, cœci, ſurdi, amentes, quamvis ipſimet malo hoc non affligantur, quatenus nimirum talia ſunt, quæ eos affligere poſſunt, ſiquidem eadem cognoſcant & cogitationes ſuas in iisdem

iisdem defigant. Quicquid vero ſit, cum definitiones in diſciplinis, in quibus vocabula uſurpantur tanquam termini technici, non tanquam voces in communi ſermone familiares, ſint arbitrariæ, utut quantum datur, ideoque absque urgente neceſſitate a communi loquendi uſu non ſit recedendum, ſufficit, ac ſufficere debet, nos terminis infelicitatis & miſeriæ in eo ſignificatu uti velle, quem iisdem tribuimus, conſequenter inter infelicitatem & miſeriam eam differentiam ſtatuimus, quam modo explicavimus.

§. 330.

An miſeria per ſe hominem infelicem reddat.

Quoniam qui miſer eſt, tunc demum infelix eſt, ſi malo, cui obnoxius eſt, affligitur, non vero ſi affligi ſaltem poteſt (§. 329.); *miſeria per ſe hominem non facit infelicem.*

E. gr. Apoſtoli erant utique miſeri, quatenus multis malis erant obnoxii, quæ ipſis inferebantur propter doctrinæ chriſtianæ propagationem. Non tamen propterea erant infelices, quia propter iſtas calamitates triſtitia & moleſtis affectibus aliis non torquebant animum. Sed de his plura dicenda erunt, quando de patientia acturi ſumus. Felices prædicamus eos, quos miſeria ſua non vexat. Unde confirmatur, quod paulo ante diximus, nos in miſeria æſtimanda magis reſpicere opinionem noſtram, in infelicitate vero alienam (*not.* §. 329.). Quando enim de miſeria judicandum, malum nobis repræſentamus quale nobis videtur, quando vero judicium ferendum de infelicitate, effectus mali attenditur, quem habet in eo, qui eidem obnoxius eſt. Equidem homini naturale eſt, ut ex malo quod cognoſcit, tædium percipiat (§. 569. *Pſycb. empir.*), & hoc aliquid ad infelicitatem ejus confert, quantulumcunque fuerit (§. 639. *Pſycb. empir.*); aſt cum infelicitas dicatur ſtatus, in quo tædia perdurant, ob moleſtiam qualem-

lemcunque non ſtatim quilibet vocatur infelix. Et quia ea eſt rerum humanarum conditio, ut voluptates ac tædia ſive moleſtiæ alternent; ideo ſi de infelicitate ſtatuendum, potiſſimum attenditur ad tædiorum ſeu moleſtiarum prædominium & num hæ voluptate ſint frequentiores, moleſtiæ autem tranſitoriæ & exiguæ non in cenſum veniunt, niſi infelicitatem declamare volueris. In moralibus tamen haud raro non inutile eſt, ut moleſtiarum quarumcunque in æſtimanda infelicitate habeatur ratio.

§. 331.

De infelicitate privativa cum miſeria connexa.

Quoniam miſeria ſtatus eſt, in quo homo malis obnoxius eſt (§. 321.), conſequenter bonis privatur, qui iisdem opponuntur, ideoque etiam caret ea voluptate, quæ ex hiſce bonis percipi poterat (§. 569. *Pſych. empir.*); *miſeria hominem privat iis, quæ ad felicitatem ejus quidpiam conferre poterant* (§. 638. *Pſych. empir.*), conſequenter *cum miſeria privativa quædam infelicitas connexa eſt, quæ, ſi animus ad carentiam bonorum attendatur, in poſitivam abit, niſi voluptas aliunde percepta prædominetur* (§. 529. *Pſych. empir.*).

Cum homines ex ſe judicent alios, nihil frequentius auditur quam infelices dici alios, qui carent voluptate poſitiva, qua ipſi fruuntur, & iis obnoxii ſunt malis, quibus ipſimet vehementer affligerentur, ſiquidem eorum eſſent loco. Quod vero infelicitas privativa abeat in poſitivam, animo ad carentiam bonorum attento, indies quoque experimur. Neque enim deſunt exempla eorum, qui ſorte ſua non contenti plurimum anguntur, quando vident alios abundare bonis, quibus ipſi carent & quorum cupiditate incenſus eſt animus. Immo quis eſt, qui neſciat, plurima eſſe mala, hominum præſertim opinione talia, quæ in privatione bonorum conſiſtunt & homines valde affligunt? Pertinet huc paupertas, egeſtas, mendicitas, carentia dignitatis, qua ex-

tolluntur alii, carentia laudis præſertim meritæ, quæ immerita tribuitur aliis & ita porro. Voluptatem vero prædominantem tollere moleſtiam, ipſum exemplum Apoſtolorum, ad quod ante provocavimus (*not.* §. 330.), atque martyrum docet, qui inter exquiſitiſſima tormenta lætati ſunt. Huc etiam referendum exemplum illorum, qui bona, quibus fruuntur, præferunt his, quibus carent, & quæ delectant alios, qui iſtis carent, ita ut, ſi optio daretur, ſortem ſuam cum ſorte illorum commutare nollent. Infelicitas privativa magis ſpectatur ab aliis, quam ab iis, qui eidem obnoxii ſunt, ſed eam in poſitivam abire non ſinunt: immo ſubinde ſpectanda eſt, ut, dum alios judicamus meliore ſorte dignos, eorum felicitatem poſitivam promovere ſtudeamus, quantum in poteſtate eſt. Quodſi homines regerentur veritate, non opinionibus, alia prorſus foret rerum facies, quando de miſeria & infelicitate pronunciandum. In Ethica autem demonſtrandum eſt, quomodo veritate regi poſſint, miſſis opinionibus, quæ quod apparet cum vero confundunt. Atque hæc ſequentibus partibus Ethicæ noſtræ reſervantur.

§. 332.

Quando commiſeremur ejus, quem miſeria infelicem non reddit.

Quoniam cum miſeria privativa connexa eſt infelicitas quædam privativa (§. 331.), commiſeremur vero alterius, ſi ex infelicitate alterius triſtitiam percipimus (§. 687. *Pſych. empir.*); *miſeriam alterius ſua opinione æſtimans ejus commiſerari poteſt, quamvis ea alterum non reddat infelicem.*

Si quis ſorte ſua contentus eſt, etiamſi meliorem mereretur, cum infelicitas privativa non abeat in poſitivam, vel etiam poſitiva quadam compenſetur, utut certo modo miſer dicendus ſit, ac talis ab aliis habeatur, infelix tamen non eſt (§. 330.). Qui eum meliore ſorte dignum judicant, ſortem ejus miſerantur, ideoque miſeria alterius, quem malum

lum ſuum non affligit, commiſerationem concitat. Atque ſic apparet, infelicitatem privativam, quæ in poſitivam non abit, magis reſpici ab aliis, quam ab eo, in quem cadit. Quid quod haud raro contingit, ut, quæ infelicitatem privativam cauſantur, nonnullis ſint cauſa felicitatis, quamvis apparentis? Noto enim notius eſt in antecedentibus jam ſæpiſſime inculcatum, quantum hic dandum ſit hominum opinionibus. Pertinet huc exemplum eorum, qui felices dicuntur errore ſuo, quamvis perſpicaciores ſortem eorum rectius miſerentur.

§. 333.

Commiſeratio tendit ad liberandum alterum a miſeria, aut, ſi id fieri non poſſit, ad eam ſublevandam, vel leniendam, immo etiam ad eam avertendam: Eos enim, quorum commiſeramur, a malo, quod ipſis tædia creat ac triſtitiam cauſatur, vel dolorem, liberare ſtudemus, ſi poſſumus (§. 698. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque hominem miſerum faciunt mala quæ eundem affligunt, aut affligere ſaltem poſſunt (§. 331.), & alterius etiam commiſeramur, quando mala ſaltem affligere eum poſſunt, etiamſi non actu affligant, opinionem ſcilicet noſtram ſecuti (§. 332.); commiſeratio tendit ad liberandam alterum a miſeria, ſi poſſumus. *Quod erat primum.* *Quo tendat commiſeratio.*

Enimvero quodſi in poteſtate noſtra non ſit miſerum a miſeria liberare, cum tamen eo tendat appetitus, in id fertur, quod in poteſtate noſtra eſt, vel nobis eſſe videtur. Quamobrem ſi miſeriam alterus ſaltem quodammodo ſublevare, aut quomodocunque lenire valemus; appetitus huc determinatur, tumque commiſeratio tendit ad miſeriam ſublevandam, vel quocunque modo leniendam. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum avertere malum intentatum, vel casu quodam infausto imminens idem sit, ac alterum liberare a miseria instante, commiseratio autem tendat ad liberandum alterum a miseria, *per demonstrata n. 1.* eadem quoque tendit ad miseriam ab altero avertendam. *Quod erat tertium.*

Liberare a miseria & liberare a malo, sive quo quis premitur, si vel maxime idem non sentiat, sive quod saltem nunc imminet, unum idemque est (§. 331.). Quoniam vero qui alterius commiseratur, ad ejus tædia & tristitiam minuendum pronus est (§. 697. *Psych. empir.*), liberatione a miseria non aliud intenditur, quam ne alterius animus tædiis ac tristitia torqueatur. Quamobrem cum amor tendat ad depellendam infelicitatem alterius (§. 292.), consequenter mala, quæ homini tædia atque tristitiam creare possunt (§. 637. 569. *Psych. empir.*); tendentia appetitus ad liberationem a miseria tandem ab amore proficiscitur, quatenus is commiserationem concitat. Atque hinc liquido apparet, cur commiseratio arctissimo vinculo cum amore copuletur, ita ut sine hoc concipi nequeat. Immo inde quoque est, ut commiseratio mensuram capiat ex amore, & pro hujus diverso gradu major quoque, vel minor sit commiseratio, & ut pro varietate amoris variet quoque commiseratio. Si semper sincerus foret amor & ab omni labe immunis, plenariam quoque liberationem a miseria perpetuo appeteret, qui alterius commiseratur, & commiseratio extenderetur quoque ad omne periculum avertendum. Qui alterum ab omni miseria liberare vult, is, si non possit, quin saltem velit quod potest, consequenter eum liberare ex parte, aut, si ne hoc quidem in potestate est, alio quocunque modo miseriam lenire, dubitandum non est. Experientia quoque propositionem præsentem abunde confirmat quoad singulas partes. In tractatione autem speciali de vir-

virtutibus, quas inter etiam miſericordia eſt, diſtinctius explicandi ſunt ſinguli liberationum a miſeria, itemque eandem ſublevandi & leniendi modi.

§. 334.

Quoniam commiſeratio erga bruta eadem eſt, quæ erga homines, ſi ea conſideramus tanquam ſubjecta, quæ perinde ac homines malo affliguntur ac dolore torquentur (§. 704. *Pſych. empir.*), commiſeratio vero erga homines tendit ad miſeriam, ſeu malum, quo affligi poſſunt, depellendum, leniendum & avertendum (§. 333.); *quando brutorum commiſeramur, commiſeratio tendit ad malum, quod dolorem parit, depellendum, leniendum, vel avertendum, ſi ea hominibus æquiparamus.* *Quo tendat commiſeratio reſpectu brutorum.*

Exempli loco eſt, ſi quis indigne fert canem ab altero, quamvis domino, verberibus immaniter cædi. Item huc pertinent interceſſiones pro brutis, ne cædantur, & exprobrationes ſævitiei in bruta adhibitæ. Atque hi affectus perinde ac in commiſeratione hominum amoris mediati ſunt, quatenus ſcilicet amor brutorum parit commiſerationem eorum.

§. 335.

Commiſeratio rerum inanimatarum tendit ad impediendam deſtructionem, vel deteriorationem, aut, ſi alterutra contigerit, ad eas inſtaurandas. Etenim ſi rerum inanimatarum commiſeramur, vel quaſi, ex earum deſtructione, vel deterioratione triſtitiam percipimus, quatenus eas deſtructione, vel deterioratione indignas exiſtimamus (§. 703. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ideo contriſtemur, quod eas indignas judicemus deſtructione, aut deterioratione, ſive quoad *Quo tendat commiſeratio rerum inanimatarum.*

Digitized by Google

ſubſtantiam aut certas qualitates, ſive quoad uſum (*not.* §. *cit.*); quin appetitus feratur in earundem deſtructionem, vel deteriorationem impediendam, aut ſi alterutra contigerit, ad easdem inſtaurandas dubitari nequit.

Si quis perdere vult imaginem, quam dignam judicamus ut conſervetur, ejus quaſi commiſeramur, ſi triſti animi commotione impulſi precamur alterum ne faciat. Qui rem quandam artificialem, quam amat, fregit, partes conglutinare ſtudet, ut a plenario interitu vindicetur, etiamſi ea non amplius præſtare poſſit uſum, cui deſtinatur. Similiter qui contriſtatur, maculam quandam contraxiſſe imaginem, quam amat, omni animi contentione annititur, ut ea tollatur. Pertinent huc judicia, quæ feruntur de iis, qui res, quæ conſervari merentur, deſtruunt, aut deteriorare ſolent. Produnt nimirum iſtiusmodi judicia, quid in affectibus abſconditum lateat.

§. 336.

Quo tendat commiſeratio, ſi animalia bruta æquiparentur rebus.

Quoniam animalia bruta æquiparantur rebus inanimatis, ſi ſpectentur tanquam deſtructionis, vel deteriorationis ſive quoad ſubſtantiam, ſive quoad uſum capacia (§. 704. *Pſych. empir.*), commiſeratio vero rerum inanimatarum tendit ad impediendam earum deſtructionem, vel deteriorationem, aut, ſi alterutra jam contigit, ad eas inſtaurandas (§. 335.); *ſi animalia bruta æquiparentur rebus inanimatis, commiſeratio tendit ad impediendam earum deſtructionem & deteriorationem qualemcunque, aut, ſi alterutra jam contigerit, ad ea mortua conſervanda, vel conſervandam memoriam eorum, & ad deteriorationem quomodocunque emendandam.*

Pertinent huc interceſſiones pro brutis ne occidantur, ſtudium arte defendendi cadavera avium adverſus corruptionem, picturæ animalium mortuorum, quæ viva amavimus, &c

& quæ ſunt alia hujusmodi, ſubinde obſervanda, quamvis rariora. Notandum vero eſt, appetitionibus, quæ inſunt affectibus, non ſemper reſpondere actus externos, quibus perficitur id, ad quod tendunt, ſed in votis terminari, quæ etiam extenduntur ad impoſſibilia: hinc audias dicentes, ſi hoc vel illud fieri poſſet, id fore cupiditati ſuæ conforme, aut, ſi poſſibile foret, ut hoc fiat, ſe ut fiat velle. Quamvis itaque ex factis colligatur, quo tendat appetitus, eidem tamen locus eſſe poteſt, etiamſi facta deſint: id quod ſubinde verba produnt. Atque ideo, ſi tendentia appetitus exemplis confirmari debet, tam ad verba, quam ad facta, quibus proditur, animus attendendus. Ceterum hic relegenda ſunt, quæ de rebus inanimatis & animantibus brutis jam olim expoſuimus, quando de commiſeratione egimus (§. 701. *& ſeqq. Pſych. empir.*). Etenim in Pſychologia empirica de affectibus multa jam tradidimus, quæ ad præſentem tractationem trahi poterant, hic non repetenda.

§. 337.

Si invidiam aliorum evitare velimus, odium eorum vitandum eſt, & curæ habendum, ut amorem eorum in nos concitemus. Etenim qui alterum odit, ea, quæ bona exiſtimat, alteri invidet (§. 701. *Pſych. empir.*), non vero invidet, ſi alterum non odit (§. 703. *Pſych. empir.*), immo multo minus id verendum, ſi alterum amat (§. 709. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo invidiam aliorum evitare velimus, neceſſe eſt ut odium eorum vitemus, & curæ habendum, ut amorem eorum in nos concitemus. *De invidia vitanda.*

Quemadmodum commiſeratio concipi nequit ſine amore, ita invidia non poteſt concipi ſine odio. Non eſt quod dicas, indies fere contingere, ut homines invideant aliis bona, qui-

quibus potiuntur, etiamſi eos odio minime habeant: etenim tum odium cum invidia ſimul concitatur, ſit ita quod illud concludatur, ut non appareat. Nimirum qui alteri invidet bona, quibus potitus eſt, ei diſplicet, quod iis gaudeat. Odium vero concitatur, ſi in altero quid obſervamus, quod nobis diſplicet (§. 674. *Pſych. empir.*), etſi igitur alia cauſa non ſubſit odii, quamvis etiam adeo leviculæ in idem influere poſſint, ut a nobis ipſis non animadvertantur (§. *cit.*), ea tamen ſola ſufficit, ut nobis diſpliceat, alteri obtigiſſe bonum, quo gaudet: id quod inprimis accidit, quando id referimus ad nos, vel ſtatum noſtrum, atque carentiam ejus habeamus pro malo reſpectu noſtri, vel alio quodam reſpectu quoad nos malum exiſtimemus, quod alter eodem gaudeat. In caſu itaque dato omnes circumſtantiæ probe ſunt excutiendæ, ne in judicando a veritate aberretur. Ceterum hæc propoſitio maximi momenti eſt in praxi morali, ſicuti ſuo loco oſtenſuri ſumus. Probe quoque notanda eſt differentia in eo ſpectanda, num invidia ceſſet, quia odium abeſt, an vero quia amor adeſt (*not* §. 708. *Pſych. empir.*).

§. 338.

De invidia in alium concitata.

Si quis alterum odit, invidia in hunc concitatur, ſi exaggerantur bona, quibus gaudet, aut narratur, quantum ipſi faveat fortuna. Quodſi enim quis alterum odit, ea, quæ bona exiſtimat, alteri invidet (§. 707. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi exaggerentur bona, quibus gaudet, aut ſi per ſe talia ſint, ut exaggeratione non indigeant, ſaltem narretur, quantum alteri faveat fortuna; quin invidia in eum concitetur fieri non poteſt.

Cum neminem odiſſe debeamus (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*), nemini quoque bona ſua invidere debemus. Præſens itaque propoſitio non docetur, ut ſciamus, quomodo alias in invi-

Digitized by Google

invidiam aliorum adducere debeamus: quin potius eadem hunc habere debet uſum, ut conſtet, quomodo maligni invidiam aliis conflare ſoleant, immo ut intelligatur, quomodo præter intentionem invidia alicui conciliari poſſit. Motum invidiæ longe omnium acerrimum dixit *Cicero*: eſt nimirum fons multorum malorum. Quamobrem multam in nobis exigit circumſpectionem, ne vel ab aliis nobis, vel aliis a nobis incautis concilietur. Et multa cautione opus eſt, ut fortuna ſecunda ita fruamur, ne nobis noceat aliorum invidia. Utut enim in ſe verum ſit, quod vulgo dicitur, *malo invidiam, quam miſericordiam;* hinc tamen minime ſequitur, ut in actionibus noſtris determinandis nullam rationem habere debeamus invidiæ aliorum, quatenus ea vel evitari, vel ſedari, vel mitigari poteſt, ne noceat. Vulgo dicitur in proverbio: Figulus figulum odit. Tum vero odio ſociatur invidia, quæ cum illo ſimul concitatur, quatenus nobis diſplicet adeſſe quendam, quem putamus fortunæ noſtræ adverſum, aut ſi videmus, ipſi favere fortunam magis, quam nobis, etſi nos ipſo non majorem, eidem tamen parem exiſtimemus. Cum invidia, quando vires capit, miſere torqueat animum hominis; homines malitioſi bona aliorum exaggerare ſtudent, ut invidia alios magis cruciet: immo ipſimet haud raro invidiam non alio fine ſimulant, quam ut invidia in aliis concitata majores capiat vires.

§. 339.

Si quis alteri quomodocunque perſuadet, eum, cui bonum quoddam obtingit, vel qui eodem fruitur, eodem indignum eſſe; invidia in ipſum concitatur. Etenim ſi alteri quomodocunque perſuadeas, eum, cui bonum quoddam obtingit, vel qui eodem fruitur, eodem indignum eſſe; is eum indignum judicat bono, quo potitus eſt, vel fruitur. Quamobrem

De alio modo concitandi invidiam.

obrem cúm invidia oriatur, ſi quis alterum bono, quo potitus eſt, vel fruitur, indignum judicat (§. 713. *Pſych. empir.)*; ſi quis alteri quomodocunque perſuadet, eum, cui bonum quoddam obtingit, vel qui eodem fruitur, eodem indignum eſſe, invidia in ipſum concitatur.

Quæ a poſteriori in medium afferri poterant ad propoſitionem præſentem confirmandam, ea jam alias commemoravimus (§. 713. *Pſych. empir.*), ubi ſimul oſtendimus, quod, ſi quis alterum nondum odit, eo ipſo odium cum invidia ſimul concitetur, ſit ita quod odium concluſum lateat, ut non a quovis animadvertatur, præſertim ſi in anima non admittat, niſi talia, quorum ſibi conſcius eſt, & perceptiones confuſas pro primivitis atque irreſolubilibus habeat: quod præjudicium Pſychologiæ & Ethicæ admodum infeſtum hodie occupavit mentem eorum, qui ſe ſupra alios ſapere arbitrantur, doctrinæ ſolidæ contemtores, immo hoſtes. Facile patet modum hunc concitandi invidiam cum precedente conjungi poſſe, immo experientia docet, utrumque conjungi ſolere.

§. 340.

De cupiditate infelicitatis alterius.

Invidia gignit cupiditatem infelicitatis alterius. Etenim qui alteri invidet bona, quibus potitur, aut fruitur, is eum odit (§. 711. *Pſych. empir.*). Qui vero alterum odit, is tædium ejus (§. 669. *Pſych. empir.*), conſequenter infelicitatem appetit (§. 639. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque id appetimus, quatenus nobis voluptatem creare poterat (§. 156.), ideoque reſpectu noſtri bonum putamus ut alter ſit infelix (§. 5.), ex bono autem abſentis, quod præſens eſſe malemus, repræſentatione cupiditas oritur (§. 809. *Pſych. empir.*); invidia cupiditatem infelicitatis alterius gignit.

Tor-

Torquet invidia animum bonum, quo alter fruitur, aut quod obtinere debet. Ab affectu hoc moleſto cum liberi eſſe mallemus, fieri haud quaquam poteſt, quam ut cupiamus, eundem privari bono, quo fruitur, aut ſpe ejus obtinendi excidere, aut, ſi id fieri nequeat, ut alia obtingant mala, quibus affligatur. Invidus itaque infelicitatem alterius in votis habet. Vix eſſe quenquam puto, qui veritatem propoſitionis præſentis in dubium vocaverit: experientia eam adeo aperte loquitur, ut nemini latere poſſit. Inde eſt, quod gaudeant homines rebus adverſis ejus, cui bona ſua invident. Quoniam vero hæc, quemadmodum cetera quoque fere omnia, quæ in Ethica traduntur, a poſteriori ſatis manifeſta ſunt; ideo oleum atque operam perdi exiſtimant longe plurimi, quod tam operoſe demum demonſtrentur. Immo non deſunt, qui hoc reprehendunt, aut prorſus exagitant, & acuminis defectui tribuunt, quod ſine acumine minime vulgari cognoſci nequit. Enimvero qui ita ſentiunt, quænam ſint philoſophi partes ignorant, cujus eſt rationem reddere eorum, quæ ſunt, aut eſſe poſſunt (§. 6. *Diſc. præl.*), nec quid ſit ſcire intelligunt, cum ſine demonſtratione ſcientia concipi nequeat (§. 594. *Log.*). Immo nondum didicerunt, quam facile fallat experientia, niſi ratione ſuffulciatur. Ecquis eſt, qui neſciat, niſi verioris Logicæ prorſus ignarus, eorum judiciis, qui ſola experientia magiſtra utuntur, notiones plerumque reſpondere non ſatis determinatas, ut, quod fieri poſſe affirmatur, quando fieri poſſit ignoretur? Commendandum itaque eſt rationis & experientiæ connubium (§. 497. *Pyſch. empir.*), ideoque nec rationi nimium confidere, nec in ſola experientia acquieſcere debemus. Nullam autem excuſationem merentur, qui quod in *Euclide* laudant, in philoſopho reprehendunt, inprimis ſi ipſimet confiteantur, quod ſtudium Matheſeos propter evidentiam & certitudinem prætulerint philoſophico, cum a demonſtratione evidentia iſta atque certi-

titudo dependeat, demonſtrationis autem evidentia, quæ certitudinem parit, debeatur Syllogiſmorum concatenationi: id quod puerile cenſetur in philoſopho. Non multo acumine opus eſt, ut videamus, quam inepta ſit iſtiusmodi hominum de viribus intellectus ſui opinio & quam vana ipſorum fiducia, quam in iisdem collocant, ne duriora dicam.

§. 341.

Effectus hujus cupiditatis.

Quoniam invidia gignit cupiditatem infelicitatis alterius (§. 340.); *ſi qua alteri obtingunt, quæ opinione invidi eum reddunt infelicem, invidus gaudet.*

Invidus malum alterius pro bono ſuo habet. Quamobrem ſi quod alteri obtingit malum, ſibi bonum quoddam obtingere putat. Quamobrem cum bonum præſens gaudium concitet (§. 624. *Pſych. empir.*); abſonum non eſt, ut invidus gaudio afficiatur, ſi alteri malum quoddam obtingit. E. gr. Si quis alteri invidet laudem, qua ornatur; is lætatur, ſi ab alio laudi ejus detrahitur, vel famæ ipſius macula adſpergitur.

§. 342.

Quomodo invidia adverſus bruta concitetur.

Si quis ſtatu ſuo non contentus eandem cum ſtatu bruti cujusdam comparat, eumque ſuo præfert; is eundem ipſi invidet. Etenim qui ſtatu ſuo non contentus eſt, eundem averſatur & ut alius eſſet, mallet. Quodſi ergo bruto talem convenire videt, qualem ipſe habere mallet, ſtatum ſuum cum ſtatu hujus comparans hunc illo meliorem exiſtimat. Enimvero ſi quis animalis cujusdam bruti ſtatum meliorem ſuo exiſtimat, is ei eundem invidet (§. 725. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quis ſtatu ſuo non contentus eundem cum

ſtatu

ſtatu bruti cujusdam comparat, eumque ſuo præfert, is eundem ipſi invidet.

Exemplum hujus invidiæ jam dedimus alias (§. 725. *Pſycb. empir*), ibidemque annotavimus invidiam hanc potiſſimum eſſe eorum, qui ſe miſeros putant. His indigna videntur bruta, ut fruantur bono, quo ipſi carent, vel tacite ſupponentes, hominem præſtare brutis, ideoque indignum exiſtimantes brutum, cui melior ſors quam homini contingat. Latior tamen patet hæc invidia, quam forte videtur, cum plurimum dandum ſit etiam ſtultitiæ hominum, quorum opinioni in affectibus litatur. Quamvis vero jam alias oſtenderimus, brutis invideri ſortem ſuam, ſi quis eam meliorem ſua exiſtimat (§. *cit.*); hic tamen, ubi de modo concitandi affectus agitur, oſtendendum erat, quid fieri debeat & quod ſupponendum ſit, vt quis ſtatum ſuum ſtatu cujusdam bruti meliorem judicet. Non deſunt homines malitioſi, qui ut animum alterius torqueat invidia, hoc modo invidiam adverſus bruta concitant, ſicque ſtatum ſuum, aut, ſi mavis, miſeriam ſuam efficiant intolerabiliorem. Invidia hæc inſinuat haud raro blaſphemas in Deum cogitationes bonitati inprimis ipſius adverſas, & odium illis conflat, qui ſunt ſortis brutorum autores. Hac ipſa etiam propoſitio circumſpectionem commendat declamatoribus in miſeriam humanam, ne in comparanda ſorte humana cum ſorte brutorum miſeriæ humanæ exaggerandæ cauſa hanc extollant uſque ad invidiam.

§. 343.

Si quis alteri perſuaſerit, brutum indignum eſſe bono, quo fruitur; invidia in ipſum concitatur. Si enim alteri perſuaſeris, brutum indignum eſſe bono, quo fruitur, is idem eodem indignum judicat. Enimvero ſi quis brutum aliquod indignum judicat bono, quo opinione ſua fruitur,

Quomodo *eadem alio adhuc modo concitetur.*

Digitized by Google

invidia adverſus ipſum oritur (§. 726. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi quis alteri perſuaſerit, brutum indignum eſſe bono, quo fruitur, invidia in ipſum concitatur.

Exemplum huius invidiæ etiam jam dedimus alias (§. 726. *Pſych. empir.*). Neque vero eſt, quod miremur, invidiam in bruta concitari cum bruta hominibus æquiparentur quoad ea, quæ ipſis obtingunt, nec ex horum numero excludantur ea, quæ per eſſentiam & naturam ſuam ipſis conveniunt, quia natura aut ejus potius autor quaſi pro lubitu ſuo eadem ipſis tribuiſſe putatur: quæ opinio ex notione eſſentiarum arbitrariarum fluit. Sane hæc opinio in invidiam quoque influit, quæ hominibus conflatur. Quando vero bruta hominibus æquiparantur, quatenus voluptatis & doloris ac moleſtiæ ſunt capacia, & fortunam tam ſecundam, quam adverſam ſibi experiri poſſunt; ſicuti affectus alii, ita etiam invidia adverſus eos concitatur eodem modo, quo adverſus homines. Pendet affectus a perceptionibus confuſis, in quibus non diſcernuntur, quæ diverſa ſunt, ut in appetitum & averſationem influerent. Quamvis itaque inhumanum videri poterat, affectibus in bruta indulgere; ſatis tamen experimur, id naturæ humanæ non ita repugnare, ut impoſſibile reddatur, ſed ſaltem ut hominem dedeceat, utut etiam dentur caſus, in quibus affectus iſtiusmodi decet hominem, veluti ſi commiſeremur bruti cujusdam.

§. 344.

De quaſi invidia in rem inanimatam concitanda.

Si alteri perſuadetur, in re inanimata quidpiam deprehendi, quo eandem indignum exiſtimat; invidia vel quaſi in eandem concitatur. Etenim ſi cui perſuadetur, in re inanimata quidpiam deprehendi, quo eandem indignam exiſtimat, is utique eandem eodem indignam judicat. Enimvero ſi quis in re inanimata quid deprehendit, quo eandem indignam exiſtimat, vel quod perinde eſt, judicat, id eidem

dem quaſi invidet (§. 727. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi alteri perſuadetur, in re inanimata quidpiam deprehendi, quo eandem indignum exiſtimat; invidia vel quaſi in eandem concitatur.

Quod de invidia adverſus animantia bruta concepta annotavimus (*not.* §. 342.), idem quoque de quaſi invidia adverſus res inanimatas concepta tenendum. Nimirum alias jam oſtendimus invidiam iſtam vel quaſi oriri, ſi quis in re inanimata deprehendit, quo eandem indignam judicat §. 727. *Pſych. empir.*), inde igitur in præſenti, ubi de modo concitandi invidiam agitur, infertur, ſi ea concitanda ſit, alteri perſuadendum eſſe, in re inanimata tale quid deprehendi. Vidimus nimirum jam in antecedentibus, ad concitandos affectus non requiri veritatem, quam convictio parit, conſequenter ſcientiam, ſed ſufficere perſuaſionem quibuscunque argumentis effectam. Hanc vero quaſi invidiam cadere in homines alias quoque jam evicimus (§. *cit.*); ut, quamvis maxime inhumana videatur, immo a ſtoliditate aliena non ſit, id ipſum tamen eam non efficiat impoſſibilem. Exemplo eſſe poteſt, ſi quis libro cuidam invidet involucrum elegans, quo eum indignum exiſtimat.

§. 345.

De animalibus rebus inanimatis æquiparatis.

Quoniam invidia vel quaſi rebus inanimatis conflatur, ſi alteri perſuaſeris in iis quidpiam deprehendi, quo eandem indignam exiſtimat (§. 344.), quando vero animantia bruta rebus inanimatis æquiparantur, invidia erga ipſa eadem eſt, quæ erga res inanimatas ſeſe exerit (§. 729. *Pſych. empir.*); *ſi animalia bruta rebus inanimatis æquiparantur, invidia vel quaſi ipſis conflatur ubi alteri perſuadetur in iis quidpiam deprehendi, quo eadem indigna exiſtimat.*

Plurimum hic datur ſtoliditati, cum animalibus invideant homines, quæ ipſis natura dedit & quæ eſſentia atque

que natura ipſorum in ſe immutabilis exigit. Sed affectus hominum ab opinione eorundem pendentes, quæ quam abſurda haud raro eſſe ſoleat, nemo eſt qui neſciat, rationis trutina æſtimandi non ſunt, cui nonniſi per accidens conveniunt, niſi ratione regantur. Vide, quæ alias ea de re diximus (*not.* §. 728. *Pſych. empir*).

§. 346.

Quo tendat invidia.

Invidia tendit ad alterum bono, quod ipſi invidemus, privandum, aut quo minus obtineat impediendum. Etenim qui alteri bonum, quo fruitur, aut quod eſt conferendum, invidet, is pronus eſt ad eum bono iſto privandum, aut quo minus hoc obtineat impediendum (§. 716. *Pſych. empir.*). Jacturam igitur boni, quo is fruitur, vel quod obtinere debet, appetit. Invidia igitur tendit ad privandum alterum bono, quod ipſi invidemus, aut ad impediendum, quo minus obtineat.

Duo nimirum ſunt caſus, quo invidia concitatur. Nimirum aut bonum, quod invidemus, alter jam actu habet, aut demum conſequi debet, ſive jam certum ſit, quod idem ſit obtenturus, ſive ſaltem fieri poſſit, ut obtineat. Utrumque nobis inviſum eſt, conſequenter mallemus, ut abeſſet. In caſu autem priori abeſſe nequit niſi eodem privetur; in poſteriori vero, niſi impediatur, quo minus obtineat. Atque hinc haud difficulter perſpicitur, quo tendat appetitus invidi, cujus tendentia quoque verbis prodi ſolet. E. gr. ſi alteri invidetur negotium quæſtuoſum, quo multum pecuniæ lucratur; invidus in votis habet, ut illius jacturam faciat, ſit ita quod in poteſtate ſua non ſit eodem ipſum privare. Immo ſi illud demum obtinere debet, invidus in votis habet, ne obtineat, ſi vel maxime id impedire minime poſſit. Quis quæſo eſt, qui neſciat, appetitum hominis in multa ferri, quæ quomodo obtineri poſſint ignorat,

rant immo quæ ipſimet efficere minime valent, vel etiam nolunt, ut appetitus in votis ſubſiſtat? Atque hoc inprimis obſervandum eſt in omni affectuum genere, in quibus ſaltem ſpectatur, quales in ſe ſint appetitiones affectui inexiſtentes (§. 603. *Pſych. empir.*), ideoque ſaltem attenditur ad objectum appetitionum, quod tanquam finis intenditur. Quæ vero ad media pertinent, ea demum ad conſequentia affectuum referenda ſuntque affectus ſtimuli, ut ea exequatur invidus. Atque inde eſt, quod contrariis affectibus facultas averſandi, aut noluntas determinetur ad averſionem executionis, quam in poteſtate ſua deprehendit. Hæc igitur non derivanda ſunt ex natura affectus, ſed alias agnoſcunt rationes per circumſtantias caſus dati determinandas. Inde porro eſt, ut in caſu præſenti ex actionibus, quibus quis alterum bono, quo fruitur, privare, aut quo minus id obtineat impedire ſtudet, vel etiam actu privat, aut impedit, quo minus obtineatur, non colligatur invidia, niſi conſtet id ideo fieri, quia ferre nequit ut alter fruatur bono iſto, vel id obtineat (§. 718. *Pſych. empir.*).

§. 347.

Quoniam iuvidia tendit ad privandum alterum bono, quod ipſi invidemus (§. 346.), & quo ideo eum indignum cenſemus (§. 713. *Pſych. empir.*), invidemus vero etiam animali bruto bonum, quo fruitur, & eodem ipſum indignum judicamus (§. 726. *Pſych. empir.*), eademque de cauſa invidia, vel quaſi etiam extendatur ad res inanimatas (§. 727. *Pſych. empir.*); *invidia quoque, ſi animantibus brutis bonum, quo fruuntur, invidemus, vel rei inanimatæ id, quo eam indignam judicamus, quaſi invidemus, appetitus tendit ad ea bono iſto privandum.* *Quo tendat invidia in bruta, vel res inanimatas concepta.*

Modus privandi cum plurimum variet pro diverſitate objectorum & circumſtantiarum aliarum, appetitiones quoque, quæ inſunt invidiæ, plurimum variant, & verbis invidi produntur.

§. 348.

De irriſione concitanda.

Si invido perſuaſeris ea, quæ famæ alterius adverſa ſunt, vel quædam, quæ de eo novit, famæ alterius adverſa eſſe; irriſio ejus concitatur. Etenim ſi invidus obſervet, quæ ſunt famæ alterius adverſa, eum irridet (§. 735. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi eidem perſuaſeris ea, quæ famæ alterius adverſa ſunt, aut, ſi qua de eodem jam novit, ea famæ ipſius adverſa eſſe; irriſio ejus concitatur.

Irriſio ſupponit invidiam, nec ſine ea concipitur. Etenim invidus ex felicitate alterius moleſtiam atque triſtitiam percipit (§. 705. *Pſych. empir.*), ideoque eam averſatur (§. 156.). Cumque invidia tendat ad privandum alterum bono, quo fruitur (§. 346.), ideoque invidus voluptate perfunditur, ſi is eodem privetur, in hac autem voluptate, cujus prædominium gaudium eſt (§. 614. *Pſych empir.*), irriſio conſiſtat ea utique invidiam ſupponit. Sane ſi quis gaudet, quod malo alter affligitur, is eum malo dignum judicat, ideoque eum odit (§. 723. *Pſych. empir.*), cumque propterea dignum judicet malo, quia indignum judicat bono, ei bonum invidet (§. 713. *Pſych. empir.*). Odium, invidia & irriſio arctiſſimo quodam vinculo cohærent, quod facile detegitur ſi rationem ſufficientem irriſionis in caſu dato ſcrutari volueris. Nec eſt, quod excipias, ad irriſionem requiri, ut id, ex quo gaudium percipitur alteri vitio verti poſſit, vel famam ejus quomodocunque lædat (§. 730. *Pſych. empir.*). Ecquis enim eſt, qui neſciat, mala quoque phyſica & fortunam adverſam opinione hominum aliis vitio verti & famæ ipſorum adverſa exiſtimari, quatenus ea meruiſſe cenſentur, quem

quemadmodum irriſorum ſermones ſatis ſuperque teſtantur, & vituperia aperte loquuntur (§. 813. *part. 1. Jur. nat.*). Exemplo quoque ſunt eruditi, qui aliis famam invidentes omni animi contentione id agunt, ut eos aliis deridendos propinent. Atque inde eſt, quod controverſiis immiſceant famæ alterius adverſa, ſaltem opinione ſua & ſui ſimilium, quæ perſonam ejus tangunt, ad rem controverſam vero nullum momentum afferunt (§. 734. *Pſych. empir.*).

§. 349.

De carentia boni.

Quoniam irriſio concitatur, ſi invido perſuaſeris ea, quæ famæ alterius adverſa ſunt, vel quædam, quæ de eo jam novit, famæ ipſius adverſa eſſe (§. 350.), carentia vero boni malum ſit (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), & vulgo omne malum, qualecunque tandem ſit, aliis vitio vertitur, ideoque famæ adverſum cenſetur; *ſi invidus putet, malum quodcunque famæ adverſum eſſe, eique perſuaſeris alterum carere bono quodam, præſertim eo, quod ipſi quocunque reſpectu convenire videbatur; irriſio concitatur.*

Ponamus virum dignitate eminentem carere divitiis, ne dignitatem ſuam opinione communi tueri poſſit, utpote quæ in dignitate omnia ad ſplendorem revocat; carentia divitiarum ſive paupertas in invidis irriſionem concitat. Similiter litteratores irrident philoſophos & viros doctos alios, quorum magna ſunt in ſcientiam merita, ſi elegantia ſtyli, qua ipſi delectantur, in ipſorum ſcriptis deſideretur, propterea quod putant, id adverſari famæ ipſorum, cui ut detrahant, ignorantiam Latinitatis omni animi contentione exaggerant, utut ipſimet Latine non loquantur, dum ſermonem purum, ab omni vitio remotum, ſe conſervare putant: neque enim Latine loquitur, qui verbis Latinis utitur, ſed qui verbis eas jungit notiones, ad quas ſignificandas

iisdem uſi ſunt ſcriptores aureæ, vel argenteæ, quam vocant, ætatis. Ita etiam invidus irridet divitem, qui caſu quodam funeſto ad paupertatem redigitur, propterea quod famæ adverſum cenſetur, fuiſſe divitem & eſſe pauperem.

§. 350.

Quo tendat irriſio.

Irriſio tendit ad detrahendum famæ alterius & labefactandam gloriam ejus. Qui enim alterum irridet, is ei famam invidet (§. 736. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque invidia tendit ad privandum alterum bono, quo fruitur (§. 346.); invidia tendit ad detrahendum famæ alterius, conſequenter cum fama hominis ſit communis hominum aliorum ſermo de virtutibus intellectualibus & moralibus ejusdem (§. 553. *part. 1. Jur. nat.*), & gloria conſentiens bonorum & peritorum laus (§. 47. *Jur. Gent.*), vulgo autem veritas in opinionem vertatur, quæ ab ea recedit, etiam ad labefactandam gloriam ejus.

Veritatem propoſitionis præſentis illuſtrant exempla, ad quæ modo provocavimus (*not.* §. 349.). Id ſaltem hic notandum eſt, quod cum in Jure naturæ & Moralibus neceſſe ſit, ut definitiones condantur veritati, non autem opinioni hominum convenienter, quæ ab illa recedit, notio quoque famæ & gloriæ ultra limites ſuos extendenda ſit, ad quos ea trahit hominum opinio, qui multa famæ ſervire & ad gloriam facere putant, quæ illi potius detrahunt & hanc labefactant, aut ſaltem nihil ad utramque conferunt, ideoque etiam famæ ac gloriæ aliorum adverſa judicant, quæ minime adverſantur, quidni etiam ſubinde, quæ gloriam eorum augent. Quamobrem cum in omni affectu attendenda ſit hominum opinio, qui eodem commoventur, in irriſione quoque quæ alterius famæ detrahunt vel gloriam labefactant æſtimanda ſunt ex opinione irriſoris. Non eſt quod

quod objicias, irriſionem non tendere ad detrahendum famæ alterius & labefactandam gloriam ejus, quia irreligionarii irrident non modo Theologos, verum etiam Philoſophos, quod pueritiæ præjudicia nondum depoſuerint, religionem pro fabula non habentes ad terrendum plebem indoctam excogitata. Cum enim gloriæ ſibi ducant mentis perſpicaciam, qua ſe ſupra alios excellere ſibi videntur; præjudicia, quæ exprobrant, Theologis & Philoſophis gloriæ ipſorum utique adverſa judicant. Se nimirum ſuique ſimiles eos eſſe putant, in quorum conſentiente laude gloria conſiſtit. Ceterum hic non attenditur, quo fine irriſor famæ aliorum detrahere, aut gloriam aliorum labefactare cupiat, ſed perinde eſt, ſive hoc faciat alteri nocendi, ſive ſeipſum extollendi animo. Ecquis enim eſt qui neſciat, quam multi ſint, qui famam conſequi ſtudent aliorum famæ detrahendo? Præterea notandum eſt, irriſores non ſemper reſpicere individuum certum, cujus famæ detractum velint, ſed haud raro etiam vagum.

§. 351.

Si cui perſuaſeris alterum eſſe dignum iis, quæ opinione ſua famæ ipſius adverſantur; irriſio concitatur. Etenim ſi quis alterum dignum iis exiſtimat, quæ opinione ſua famæ ipſius adverſantur, irriſio oritur (§. 740. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo alicui perſuaſeris alterum eſſe dignum iis, quæ opinione ſua famæ ipſius adverſantur, irriſio concitatur. *De irriſione alio adhuc modo concitanda.*

Irriſio ſupponit invidiam, quemadmodum jam ſupra annotavimus (*not.* §. 348.). Quodſi alteri perſuadeas eum eſſe dignum iis, quæ famæ ipſius adverſantur, eidem quoque perſuades eum eſſe indignum fama, conſequenter permoves ipſum, ut alteri famam invideat (§. 713. *Pſych. empi.*). Quoniam itaque in modo concitandi irriſionem

ſupra ſuppoſuimus invidiam (§. 348.); propoſitio præſens adhuc addenda erat.

§. 352.

De iis, quos malum alienum per ſe delectat.

Si quem malum aliorum per ſe delectat, is odium occluſum in omnes homines habet, niſi adſit ſingularis ratio, cur aliquem amet, vel malum ejus averſetur Si quem malum aliorum per ſe delectat, nulla apparet ratio, cur voluptatem ex malo alieno percipiat. Quoniam tamen eum odimus, ex cujus malo voluptatem percipimus (§. 661. *Pſych. empir.*), odiſſe autem alium nemo poteſt, niſi adſit ratio ſufficiens cur oderit (§. 70. *Ontol.*); ideo neceſſe eſt, ut odium occluſum habeat in alios. Cumque nulla ratio dari poſſit, quæ a perſona ejus, in quam odium habet, deſumitur; ideo neceſſe eſt, ut promiſcue odium habeat in homines alios omnes, quia nempe ſunt homines a ſe diverſi *Quod erat unum.*

Enimvero ſi ſingularis quædam fuerit ratio, cur aliquem amet; tædium ejus, conſequenter malum (§. 5.), averſatur (§. 651. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque fieri non poteſt, ut ex eodem voluptatem percipiat, ſeu eodem delectetur, ſi ſingularis quædam adſit ratio cur alterum amet; quem alias malum alienum per ſe delectat, is odium occluſum in alium habere nequit, ſi ſingularis fuerit ratio, cur eum amet. *Quod erat alterum.*

Similiter ſi ſingularis adſit ratio, cur malum alterius averſetur; neceſſe eſt ut ex eo tædium ſive moleſtiam percipiat (§. 156.). Quamobrem denuo fieri nequit, ut voluptatem ex eo percipiat, ſeu eodem delectetur. Quodſi ergo ſingularis quædam adſit ratio, cur malum alterius

is

is averſetur, quem alias malum per ſe delectat; ideo in eum, cujus malum averſatur, odium occluſum habere nequit. *Quod erat tertium.*

Dari iſtiusmodi homines, qui malo alieno delectantur, quia alienum eſt, experientia docet, & alibi jam monuimus, eos a nobis Schadenfrohe appellari, & gaudium, quod percipiunt, irriſionis ſummum gradum eſſe diximus (§. 746. *Pſych. empir.*), oſtendimusque, quamvis nulla ratio appareat, eam tamen non abeſſe, ſed tantummodo latere (§. 747. *Pſych. empir.*). Deficere in his amorem univerſalem, quem lex naturæ urget (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), ſatis ſuperque liquet (§. 651. *Pſych. empir. & §. 5. b.*). Defectus vero hujus amoris ſaltem efficit, ut ipſis perinde ſit, ſive boni, ſive mali quidpiam alteri contingat. Quamobrem is ratio ſufficiens non eſt, cur malum alienum eos delectet, quia alienum. Neceſſe igitur eſt, ut in malo in ſe ſpectato aliquid inſit, quod ſenſum hilarat, ideoque ſepoſito rationis uſu reſpectu ſui habetur pro bono (§. 4.). Cum igitur in id feratur appetitus (§. 589. *Pyſch. empir.*); defectus amoris tacite degenerat in odium, ut hujus ne quidem ſibi conſcius ſit, qui alieno malo delectatur. Sua unum quemque trahit voluptas, ideoque etiam eos, quos malum alienum per ſe delectat, non idem delectat, ut ideo petulantiæ in aliis tribuatur, quod malitiæ tribuitur in aliis. *Nero* urbem incendit, quia delectabatur ſpectaculo flammarum ſævientium, quemadmodum hodie delectantur Reges ignibus artificialibus tunc temporis ignotis, attentione omni in ſe converſa, non vero expenſo damno, quod dabatur civibus. Et eodem modo intelligitur cur aliis hoc, aliis aliud placeat malum, quod aliis obtingit, quamvis rationes ſubinde ſint adeo leviculæ, immo ridiculæ, ut pro nullis habeantur: rationes voluptatis æſtimandæ ſunt ex ejus genio, qui eadem trahitur. Rationes iſtæ haud raro, ſi non ut-

pluri-

plurimum, continentur perceptionibus, quæ per confuſas perceptiones a primis ungviculis caſu oblatas ſeſe inſinuarunt animis hominum & clam in determinationem appetitus influunt. Atque ex hiſce & aliis, quæ paſſim jam annotavimus, atque poſthac annotaturi ſumus, intelligitur, quam multa adhuc inveſtiganda ſuperſint, ut theoria exaſciata de anima habeatur, modo non deſint, qui præclare de nobiliſſima hac ſcientiæ parte mereri ſtudeant. Quamvis enim pro præſenti rerum ſtatu impoſſibile videatur, eorum, quæ ad latebras & receſſus in animis hominum pertinent, theoriam exaſciatam condere, quæ ad hæc abſcondita in caſibus datis detegenda ſufficiat; nullus tamen dubito fore, ut fieri poſſe multa deprehendatur, quæ nunc impoſſibilia habentur. Cetęrum adhuc notandum eſt, ſi ſingularis fuerit ratio, cur aliquem amemus, amorem attentionem trahere in perſonam amatam, ut id, quod nobis voluptatem parere aptum eſt, conſideretur reſpectu hujus perſonæ, cujus tædium averſamur (§. 651. *Pſych. empir.*) & ad quod ab ea avertendum nos impellit amor (§. 652. *Pſych. empir.*). Averſio, quam gignit amor reſpectu alterius, vincit appetitionem, quam reſpectu noſtri ſuſcitat voluptas prævisa. Ac idem fere etiam tenendum eſt in caſu altero, in quo ſingularis adeſt ratio, cur malum alterius averſemur quatenus id reſpectu etiam noſtri malum agnoſcitur, veluti ſi damnum noſtrum conjunctum ſit cum damno alterius, aut ſaltem metuendum. Neque hoc ſilentio prætereundum, odium occluſum non animadverti, ſi fuerit generale, cum id animis hominum ſeſe inſinuet, quando de ipſis nulla incidit cogitatio, & ſi concitatur in caſu quodam dato, cum nulla adſit ratio a perſona, in quam habetur, deſumta, quæ ſaltem qua homo repræſentatur, & ſaltem attendatur voluptas, quam malum alienum parere aptum eſt, per ſe extendi promiſcue ad hominis omnes, niſi adſit ratio, quæ id refrænet, atque hoc modo effici univerſale. Maximi momen-

momenti est perpendere, quomodo notiones universales insinuentur per perceptiones confusas singulares.

§. 353.

De acquiescentia in se ipso concitanda.

Si alteri persuaseris ea, quæ fecit, bene facta esse; acquiescientia in se ipso concitatur. Etenim si quis a se facta bene facta opinatur, voluptatem inde percipit (§. 750. *Psych. empir.*), ideoque acquiescentia in se ipso concitatur (§. 749. *Psych. empir.*). Quodsi alteri persuaseris, ea, quæ fecit, bene facta esse, is a se facta bene facta opinatur. Quamobrem si hoc ipsi persuaseris, acquiescentia in se ipso oritur.

Probe notandum est, quod alibi jam inculcavimus (§. 751. *Psych. empir.*), in hoc affectu non attendendam esse nisi opinionem propriam de eo, quod fecimus, quamvis perinde sit, sive ipsimet nobis persuadeamus, sive persuadeant alii, ea quæ fecimus bene, aut, si mavis recte facta esse. Quamvis enim alius hoc nobis persuadeat, in concitando tamen hoc affectu unice sequimur opinionem nostram, non alienam, propriis videntes oculis ab alio licet nobis apertis. Affectum hunc esse jucundissimum, ostendimus alias (§. 753. *Psych. empir.*). Quamobrem plurimum interest, ut opinio, qua concitatur, sit veritati consentanea, ne agnito errore evanescat & in affectum molestum abeat. Quamvis enim opinio sufficiat ad eum concitandum, non tamen sufficit ad conservandum: perpetuitatem consequi nequit nisi a veritate, quæ sola immutabilis, cum ex adverso nihil opinionibus hominum sit mutabilius. Necesse autem est, ut veritatem agnoscamus: secus enim fieri potest, ut opinio veritati consentanea degeneret in opinionem erroneam. Quis enim est, qui nesciat, homines, qui assensum præbebant veritati, eamque pertinaciter defendebant, errori assensum præbere eumque non minus pertinaciter

defendere, quia veritatis ſaltem perſuaſi, non vero convicti erant, quamvis convicti & ſibi, & aliis videbantur, differentiam inter convictionem atque perſuaſionem minime perſpecta, utpote non adeo facile agnoſcendam, quemadmodum vulgo putatur. Affectui huic nomen dedit *Carteſius* (§. 754. *Pſycb. empir.*), quem eſſe ab aliis diſtinctum, ut pro peculiari quodam affectu recte habeatur, alias jam oſtendimus (*not.* §. 751 *Pſycb. empir.*). Differre voluptatem opinione bene a ſe factorum producta a voluptate aliunde percepta in nobis experimur, etſi cautione opus ſit, ut animum advertamus ad iſtiusmodi caſus, in quibus præter iſtam opinionem in illam nihil aliud influit. Experimentum in moralibus difficile eſt propter diverſum in appetitus, vel averſationis determinationem influxum, quem acute diſcernere non eſt cujusvis, utpote remotum, ut perceptioni uni tribuamus, quod multiplicibus ſimul concurrentibus tribuendum. Miſcentur propter eundem haud raro plures affectus, qui ſimplex videntur cum non ſunt. Et in communi inprimis ſermone deficiunt vocabula, quibus diverſa ſignificari & verbis quoque a ſe invicem diſcerni debebant: id quod mirum non eſt, cum vulgus verba invenerit, & philoſopi hactenus in iis, quæ ad animam ſpectant, nimis deſiderari paſſi ſint acumen ſuum. Obiter moneo, quam abſurdum ſit, ut litteratores in philoſophia ubivis urgeant vocabula Latina, quæ in paupertate Latini ſermonis deſiderantur, de qua conqueſti ſunt ipſi Autores Latini.

§. 354.

Quid in concitanda acquieſcentia in ſe ipſo præſupponatur.

Quoniam acquieſcentia in ſe ipſo concitatur, ſi alteri perſuaſeris ea, quæ fecit, bene ſeu recte facta eſſe (§. 353.), qui vero per ſe nondum judicare poteſt, num quod fecit recte fecerit, nec comprehendere, in quonam recti-

rectitudo iſta conſiſtat, judicio ejus confidit, quem judicem peritum putat; *ſi quis acquieſcentiam in ſe ipſo concitare velit in altero, neceſſe eſt ut alteri ante ingignat opinionem, ſe eſſe judicem peritum, niſi eadem jam imbutus ſit animus ejus.*

Si quis credit, ſe quæ fecit recte feciſſe, opinio ejus plerumque nititur approbantis autoritate. Creditur artifici in arte ſua, quia ejus peritus exiſtimatur. Hinc ſi præceptor approbat exercitium ſtyli a tyrone factum, eumque laudat, tyro judicio ejus confiſus putat ſe rem ſuam bene feciſſe. Si Geometra approbat inventum in Geometria, quod ipſius judicio ſubmittitur; qui quod ſibi inveniſſe viſus eſt judicio ipſius ſubmittit, eodem confiſus ſe inventorem eſſe putat. Plurimum itaque hic valet præjudicium autoritatis, quod etſi ex diſciplinis exterminandum, ubi cum ſcientia nobis eſt negotium, propterea tamen utilitate ſua non deſtituitur quemadmodum in civilibus, ita etiam in moralibus. Ab approbatione peritorum petitur quoque argumentum perſuaſorium, ſi perſuadentis non ea ſit autoritas, ut ipſi credatur. Quoniam vero argumenta perſuaſoria non idem habent pondus penes omnes, ſed hoc maxime variat pro diverſitate ſubjectorum quibus aliquid perſuadendum; nimis prolixum foret, ſi, ubi quid alteri perſuadendum eſſe oſtenditur, argumenta perſuaſoria recenſere vellemus. Eorum igitur diſcuſſio relinquenda eſt iis, qui quæ hic præcipiuntur ad praxin transferre voluerit. Argumenta perſuaſoria ſubinde abſurda ſunt, propterea tamen non improbanda, ſi ad perſuadendum fuerint apta in caſu dato. Talia enim eſſe debent, qualia permittuntur a ſubjecto, cui quid perſuadendum. Quodſi moralitatis habenda ratio, ne quicquam committatur, quod ullo modo officiis ſive erga alios, ſive erga Deum repugnat; circumſpectione utique opus eſt, nec a veritate longius recedendum, quam neceſſe eſt: aſt horum diſquiſitio ad Rhetoricam

ricam ſpectat, quæ modum perſuadendi docet. Obitet quaſi notamus, nec ex diſciplinis argumenta perſuaſoria prorſus eliminanda eſſe, ſi tradantur in uſum eorum, qui carent requiſitis, ſine quibus convinci nemo poteſt.

§. 355.

De acquieſcentia in ſe ipſo felicitatis cauſa.

Si judicium de eo, quod bene vel recte fecimus, fuerit verum; acquieſcentia in ſe ipſo ad felicitatem hominis pertinet, eademque magna ejus pars eſt. Si judicium de eo, quod a nobis bene, vel recte factum, fuerit verum, voluptas inde percepta vera eſt (§. 514. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum felicitas ſit ſtatus, in quo voluptas vera perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*); voluptas quoque ex eo, quod bene, vel recte fecimus, percepta ad felicitatem pertinet. Quoniam itaque hæc voluptas prædominatur in acquieſcentia in ſe ipſo (§. 749. 614. *Pſych. empir.*); acquieſcentia in ſe ipſo ad felicitatem hominis pertinet, ſi judicium de eo, quod bene, vel recte fecimus, fuerit verum. *Quod erat unum.*

Eſt autem acquieſcentia in ſe ipſo affectus jucundiſſimus (§. 753. *Pſych. empir.*), ideoque ſumma voluptate perfundit animum (§. 608. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum tanto majorem felicitatis partem faciat voluptas, quo ea fuerit major (§. 107.); acquieſcentia in ſe ipſo magna felicitatis pars eſt. *Quod erat alterum.*

Equidem acquieſcentia in ſe ipſo oritur ex ſola opinione bene a nobis factorum (§. 751. *Pſych. empir.*), ut ideo perinde videatur, utrum judicium noſtrum de eo, quod fecimus, fuerit verum, an falſum; non tamen inde ſequitur acquieſcentiam in ſe ipſo ſemper referendam eſſe ad felicitatem hominis, niſi voluptatem veram cum apparente in eun-

eundem cenſum referre' vòlueris, quemadmodum non ſine magno periculo & detrimento vulgo fieri ſolet. Quantum vero interſit in præſenti caſu diſcerni veram ab apparente, vel unico exemplo doceri poteſt. Ponamus *Mævium* ſibi videri inveniſſe, quod virorum ſummorum acumen ſubterfugit, & ſe errorem eorum favente Minerva detexiſſe ac correxiſſe. Dubium non eſt, fore ut affectus iſte jucundiſſimus demulceat animum ejus. Ponamus porro poſtea *Cajum* demonſtrare, *Mævium* a veritatis tramitte receſſiſſe; errore agnito non modo ceſſabit acquieſcentia in ſe ipſo, verum etiam affectus moleſti occupabunt animum ejus, tanto quidem magis eundem torquentes, quo majore antea voluptate is perfundebatur. Ecquis igitur dixerit, perinde eſſe, ſive judicium noſtrum de eo, quod bene vel recte fecimus, fuerit verum, ſive falſum, modo opinemur verum eſſe? Ecquis non dixerit, *Mævium* ſibi viſum fuiſſe fuiſſe felicem, non revera fuiſſe, cum voluptate ſua viam ſtraverit ad infelicitatem? Sane ſi voluptas vera ab apparente non eſſet diſtingvenda in æſtimanda felicitate; voluptas omnis nocua ad felicitatem hominis referenda eſſet: id quod a ratione maxime alienum eſt. Diſtinximus ideo ſtatum jucundum ab eo, in quo felicitas conſiſtit (§. 105.), & eum a felicitate differre oſtendimus (§. 106.). Felix dicendus non eſt, qui ſaltem videtur. Qualis quæſo eſt felicitas, quæ infelicitatem in ſinu ſuo fovet? Ceterum quanta pars ſit felicitatis acquieſcentia in ſe ipſo, nemo melius intelligit, quam qui dulcedinem hujus affectus deguſtavit. Dulcedo enim hæc in eorum numero eſt, quæ ignorantur, niſi ſenſu percipiantur, aut, ſi ad animam ſpectant, quorum nobis conſcii in eadem facti ſumus. Ceteris ſurdis narratur fabula. Non eſt, quod excipias, ex demonſtratione, qua evicimus acquieſcentiam in ſe ipſo affectum jucundiſſimum eſſe (§. 753. *Pſych. empir.*), ſatis intelligi poſſe, quanta ejus eſſe debeat dulcedo. Aliud enim eſt

noſſe, quod magna ejus eſſe debeat dulcedo, aliud vero hanc ipſam dulcedinem deguſtare. Nemo niſi expertus eandem cum dulcedine aliarum voluptatum comparare poteſt, ut quantum prævaleat agnoſcat.

§. 356.

Quænam inde cura derivetur.

Quoniam tum demum acquieſcentia in ſe ipſo ad veram hominis felicitatem referenda, ſi judicium de eo, quod bene vel recte fecimus, fuerit verum (§. 355.); ne nobis vana felicitate imponamus, *opera danda eſt, ut ſciamus, quid bene, vel recte factum ſit, & bene ac recte agendi habitum nobis comparemus.*

Forſan excipis ſuperfluam eſſe hanc operam, absque moleſtia non ſuſcipiendam, cum ad concitandam acquieſcentiam in ſe ipſo ſufficiat opinio bene, vel recte factorum, non vero requiratur ſcientia, illaque non evaneſcat, multo minus in affectum moleſtum abeat, modo in ea opinione perſiſtamus: quæ etſi in ſe mutabilis ſit, non tamen propterea neceſſario mutetur. Sane videmus plurimos eſſe, quos ſua fallit opinio, qui tamen per omnem vitam non agnoſcunt eam ſe fefelliſſe. Quando igitur uterque moritur, tum ille, cujus de eo, quod fecit, judicium fuit verum, tum hic, cujus falſum eſt judicium, in ſtatu utriusque nullam eſſe differentiam, conſequenter utrumque æque felicem eſſe prædicandum. Non diffiteor, quæ hic dicuntur, magnam habere ſpeciem veritatis; aſt ea veritati conſentanea eſſe nego. Etenim ſi falſum eſt judicium, caſu ſaltem contingit, ne error agnoſcatur, quo tam facile detegi, quam occultus permanere poteſt. Quamobrem qui ſe felicem putat, cum revera non ſit, periculo infelicitatis continuo expoſitus eſt, ex adverſo vero, qui vera felicitate fruitur, ab iſto periculo immunis eſt. Nemo autem ſanus ſerio affirmare auſit, ſtatum eundem eſſe, in quo quis periculo infe-

Digitized by Google

infelicitatis continuo expoſitus eſt, & qui periculo iſto vacat, ac propterea hunc iſti non eſſe præferendum. In præſenti enim nondum conſideramus, quo nos ducat obligatio naturalis, a lege natura veniens, quæ felicitati veræ noſtræ conſulit.

§. 357.

Acquieſcentia in ſe ipſo tendit ad conſervandam felicitatem & ad bene ac recte faciendum, quod faciendum in poſterum. Etenim acquieſcentia in gaudio exiſtit (§. 749. *Pſych. empir.*), cujus dulcedo prorſus inſignis eſt (§. 753. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque gaudium tendit ad conſervandam felicitatem (§. 279.); acquieſcentia quoque in ſeipſo ad conſervandam felicitatem tendit. *Quod erat unum.*

Quo acquieſcentia in ſe ipſo tendat.

Enimvero quoniam gaudium iſtud naſcitur ex eo, quod a nobis bene ac recte factum eſt (§. 749. *Pſych. empir.*); gaudium iſtud conſervatur, ſi quod in poſterum faciendum etiam bene ac recte faciamus. Quamobrem cum acquieſcentia in ſe ipſo tendat ad conſervandam felicitatem *per demonſtrata*, quo gaudium iſtud perpetuatur (§. 636. 614. *Pſych. empir.*); acquieſcentia quoque in ſe ipſo tendit ad bene ac recte faciendum, quod in poſterum faciendum eſt. *Quod erat alterum.*

Qui dulcedinem hujus affectus ſemel deguſtavit, cum voluptatem, qua animus demulcetur, voluptati omni reliquæ præferat, quin in votis habeat, ut eadem conſtanter ac perpetuo fruatur, fieri haud quaquam poteſt. Nemo eſt, qui eandem vili pendat & delectationes alias eidem præferat, quam inexpertus. Inde eſt, quod qui ſolida doctrina & inventis novis delectantur ſenſuales nauſeent, quas tanti faciunt alii, nec illarum unquam pertædeant, immo ſi contingat,

tingat, eos re quadam alia delectari, illa tamen ſemper prædominetur. In definitione acquieſcentiæ in ſe ipſo mentionem ſaltem fecimus bene a nobis factorum, recte autem factorum nullam fecimus (§. 749. *Pſych. empir.*), quia bene factum dici nequit, niſi quod recte factum. Sane in ipſo communi ſermone bene factum dicimus opus ab artifice, ſi ſecundum regulas artis nihil in eodem deſiderari poteſt, ideoque ſi recte fecit artifex. In factis humanis duplex conſiderari poteſt rectitudo, altera moralis, altera phyſica. Phyſica eſſe poteſt ſine morali & locum habet in ipſis factis ſceleſtis, quæ quoad rectitudinem phyſicam nunc approbantur, nunc improbantur, licet in omni caſu moraliter conſideratæ improbentur. Enimvero cum lege naturali etiam ad recte agendum obligemur (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque etiam ad quemvis laborem recte perficiendum (§. 522. *part. 1. Jur. nat.*); qui bene agit etiam phyſice recte agit. Aſt quoniam forſan pauci ſunt, qui hoc perpendunt, majoris perſpicuitatis cauſa bene ac recte facere conjungere voluimus, propterea quod exempla obvia probant, affectui huic locum eſſe, etiamſi phyſica ſaltem ſpectetur rectitudo, morali prorſus deficiente. Rectitudo phyſica a morali ſejuncta arguit habitus intellectus, qui ad virtutis intellectuales referendi eſſent, niſi labem adſpergeret vitium, habitus moralis pravus.

§. 358.

Qualis ea ſit ſtimulus.

Quoniam *acquieſcentia in ſe ipſo* tendit ad bene & recte faciendum, quod in poſterum faciendum eſt (§. 357.); affectus hic *ſtimulus eſt ad ſtudium bene ac recte faciendi perpetuandum.*

Ne propoſitio hæc in abuſum trahatur, probe notandum eſt, id quod etiam in affectibus aliis obſervandum, ſtimulum iſtum pro diverſitate factorum, quorum rectitudine affectus

fectus concitatur, ad certa facta reſtringi, quorum diverſa eſſe genera nemo ignorat. Ita non ad eadem incitat Mathematicum, Philoſophum, Poëtam, Oratorem, Hiſtoricum, Lingvarum cultores, pietatis aliarumque virtutum ſtudioſos, artifices & opifices, immo ipſos operarios quoscunque. Variat autem affectus hujus dulcedo non ſolum pro diverſitate perfectionis facultatum humanarum ad bene, aut recte agendum requiſitarum, ſed & pro diverſitate opinionis, quam quis de illa fovet. Atque huc reſpiciendum eſt in affectu hoc concitando, quando alterius animo bene & recte ab ipſo factorum opinio ingignenda (§. 353.). Nec minus huc animus advertendus, quando de dulcedine hujus affectus agitur, ne quis incautus eam, quam in ſuo genere experitur, conferat cum illa, quam alius in ſuo genere expertus. Autor Medicinæ mentis *de Tſchirnhauſen* ſupra voluptatem omnem extollit eam, quæ ex arte inveniendi percipitur, nec ab ea ſententia abeſſe videtur *Carteſius*, cum acquieſcentiam in ſe ipſo affectum omnium dulciſſimum prædicat. Ecquis vero dixerit dulcedinem hujus affectus eſſe prorſus eandem, quando pictor vel ſculptor gaudet opere a ſe confecto, quod omnium peritorum admirationem concitat, aut approbationem meretur, nullum notari poſſe in eo defectum obſervans, ſi rigoroſiſſime examinetur. Quemadmodum vero alias jam monuimus, in æſtimanda jucunditate affectus alicujus habendam quoque eſſe rationem aliorum affectuum, qui in eandem ſimul influunt; ita idem quoque tenendum eſt de jucunditate acquieſcentiæ in ſe ipſo, cum qua plerumque affectus gloriæ conjungitur & in quem amor objecti, circa quod verſantur facta noſtra, influit. Fieri etiam poteſt, ut, qui diverſis ſcientiis vel artibus excellit, diverſitatem dulcedinis pro diverſitate objecti variantis in ſe expertus, non eandem cum altero, qui una ſaltem excellit, ſentiat, ſi vel maxime eodem facto affectus concitetur. Accedunt præterea varia præjudicia,

quæ amorem ſuæ Minervæ cum contemtu aliorum eandem non colentium ingignant.

§. 359.

De pœnitentia concitanda.

Si alteri perſuaſeris, ea, quæ fecit, male aut minus recte facta eſſe; pœnitentia concitatur. Quodſi enim alteri perſuaſeris, ea quæ fecit male, aut minus recte facta eſſe, idem quod fecit tanquam male, aut minus recte factum ſibi repræſentat. Enim vero ſi quis, quæ fecit, ſibi repræſentat tanquam male aut minus recte facta, pœnitentia oritur (§. 759. *Pſych. empir.*). Eandem igitur concitabis, ſi alteri perſuaſeris, ea, quæ fecit, male, aut minus recte facta eſſe.

Theologi, qui vocabulum pœnitentiæ in ſignificatu eccleſiaſtico ſumunt, Romanis ignoto, hunc affectum contritionem vocant, quam pœnitentiæ partem appellant. Vide, quæ alias eam in rem jam diximus (*not.* §. 755. *Pſych. empir.*). Et Theologi ſaltem in actionibus moraliter ſpectatis hunc affectum conſiderant, qui in ſenſu philoſophico & communi ſermone multo latius patet. Accedit, quod nos moralitatem actionum ipſam multo latius extenderimus, quam vulgo fieri ſolet, dum legi naturæ omnem tribuimus amplitudinem, quam habere poteſt, eam extendentes ad omnium actionum humanarum rectitudinem (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & ipſum quoque decorum (§. 204. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quemadmodum neceſſe eſt, ſi obligatio naturalis ex ipſa natura humana & actionum moralitas ex eadem a priori deducatur, ut intime perſpiciatur. Aſt quot quæſo ſunt, qui moralitatem actionum intime perſpiciunt, ne, eam arctioribus limitibus conſtringant, quam intra quos continetur. Quamvis enim dudum inculcatum fuerit a *Cicerone*, ipſa natura conſtitutum jus eſſe, ſeu legem naturæ in ea ſufficientem rationem habere, & quamvis Philoſophi & cum iis Theologi unanimiter pronuncia-

verint

verint, hominem per ipſam naturam ſuam obligari ad actionum ſuarum determinationem legi naturæ convenientem; conſtat tamen diſtincte explicatum non fuiſſe, quomodo jus ipſa natura ſit conſtitutum, ut actionum bonitas & malitia ex iis, quæ homini naturaliter inſunt, intelligatur, nec quomodo ipſa natura humana hominem obliget actiones bonas committere, malas omittere. Hæc ideo diſertius monenda eſſe duximus, ut quam late pateat propoſitio præſens & quousque extendatur intelligatur. Exemplum pœnitentiæ præbet *Petrus*, qui, quod Chriſtum ter abnegaſſet, contriſtatus lachrymas largiter effudit: præbet vero etiam eruditus, qui invento quodam ſuo delectatus agnoſcit errorem a ſe commiſſum, quamvis cautione hic opus ſit, ut quod pudori tribuendum diſcernatur ab eo, quod pœnitentiæ eſt. Ad pœnitentiam nimirum referenda eſt ſola moleſtia, qua inquietatur animus, ſi præter judicium de malitia actionis aut ejus a rectitudine, etiam phyſica ſaltem, aberratione nihil aliud attenditur.

§. 360.

Quid in concitanda pœnitentia præſupponatur.

Quia pœnitentia concitatur, ſi alteri perſuaſeris, ea quæ facit male aut minus recte facta eſſe (§. 359.), qui vero per ſe nondum judicare poteſt, num quod fecit recte fecerit, nec comprehendere, in quonam rectitudo conſiſtat, ut ſe minus recte feciſſe intelligat, judicio ejus confidit, quem judicem peritum putat; *ſi quis alterum ad pœnitentiam permovere voluerit, neceſſe eſt ut alteri ante ingignat opinionem, ſe eſſe judicem peritum, niſi eadem jam imbutus ſit animus ejus.*

Quæ de argumento ſuaſorio ab autoritate petendo notanda ſunt, ea jam ſuperius annotavimus (§. 354.). Obſervandum tamen adhuc eſt, difficilius hoc argumento perſua-

ſuaderi homines, quod male aut minus recte fecerint, quam quod bene aut recte fecerint. Hoc adeo notum eſt, ut dudum invaluerit pervulgatum iſtud: quod quis maxime vult, id maxime credit. Quamvis enim id latius pateat, ad præſentem tamen caſum quoque trahendum.

§. 361.

De pœnitentia infelicitatis cauſa.

Pœnitentia ad infelicitatem hominis pertinet, eademque magna ejus pars eſt. Quem enim pœnitentia torquet, is male vel minus recte a ſe facta, quæ fecit, exiſtimat, ideoque triſtitia, vel moleſtia affligitur (§. 755. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum quod homini tædium ſive moleſtiam creat, conſequenter etiam quod triſtitiam parit (§. 619. *Pſych. empir.*), ad infelicitatem ejus quid conferat (§. 639. *Pſych. empir.*); male vel minus recte factorum opinio ad infelicitatem hominis quid confert, conſequenter eadem concitata pœnitentia ad infelicitatem hominis pertinet.

Idem oſtenditur hoc modo. Pœnitentia cum ſit triſtitia ex eo, quod a nobis male, vel minus recte factum exiſtimamus, orta, vel ſaltem tædium inde perceptum (§. 755. *Pſych. empir.*); ad eum ſtatum pertinet, quo tædia perdurant. Quoniam itaque ſtatus hic infelicitas eſt (§. 637. *Pſych. empir.*); pœnitentia ad infelicitatem hominis pertinet. *Quod erat unum.*

Eſt autem pœnitentia affectus moleſtiſſimus (§. 758. *Pſych. empir.*), ideoque maximo tædio afficit animum, ſeu quod perinde eſt, maximam moleſtiam creat (§. 609. *Pſych. empir.*), & quia factum infectum fieri nequit, ab hac moleſtia non facile liberatur animus. Quamobrem cum tanto majorem infelicitatis partem faciat moleſtia, quo ea fuerit

fuerit major & quo longius durat (§. 109.); pœnitentia magna infelicitatis pars eſt. *Quod erat alterum.*

Quemadmodum affectus omnes, ita etiam pœnitentia gradu differt, ita ut ſubinde vix ac ne vix quidem agnoſcatur, animum affectu commoveri. Hoc tamen non obſtante, ſemper ad infelicitatem hominis referenda pœnitentia. Et ſi vel maxime moleſtia, quæ opinione male vel minus recte factorum ſuſcitatur, non ingens videatur, intenſitatis tamen defectum duratio ſupplere ſolet, ut ideo ſibi ab eo, cujus poſthac pœniteat, maxime cavere debeat qui felix eſſe cupit.

§. 362.

Cum pœnitentia ad infelicitatem hominis pertineat, *Quænam in-* eademque magna ejus pars ſit (§. 361.); *opera danda eſt, ut de fluat cura quid male ac minus recte fiat ſciamus, aut ſaltem non ignoremus, & omni ſolicitudine caveamus, ne male, ac minus recte faciendi conſuetudinem nanciſcamur, ſeu faciendi ea, quorum pœnitet.*

Quam difficile, ſi non prorſus impoſſibile ſit, inveteratam conſuetudinem expellere, nemo eſt qui neſciat. Non alia ſane, quam hac de cauſa pœnæ emendatrices nihil valent adverſus conſuetudinem inveteratam, ita ut homines ſcelerati ultro confiteantur, ſibi impoſſibile eſſe ut a ſcelere ſeſe abſtineant, quamvis ſcelere commiſſo ſibimetipſi indignentur, quod fecerint. Quanto igitur difficilius eſt huic malo afferre medelam; tanto quoque majore ſollicitudine cavendum, ne incidamus in conſuetudinem ea faciendi, quorum pœnitet. Et quoniam appetitus hominis per naturam ſuam in felicitatem fertur (§. 324. *prat. 2. Phil. pract. univ.*); hæc ſollicitudo maxime convenit naturæ humanæ.

§. 363.

Pœnitentia tendit ad depellendam infelicitatem & ducit ad Quo tendat propoſitum id, cujus pœnitet, in poſterum non faciendi: quod non- pœnitentia.

niſi generale eſt, ſi quidem factum non fuerit iterabile. Pœnitentia enim in triſtitia conſiſtit (§. 755. *Pſych. empir.*), qua vehementer inquietatur animus (§. 762. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque triſtitia tendit ad infelicitatem depellendam (§. 279.); pœnitentia quoque ad depellendam infelicitatem tendit. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam triſtitia iſta naſcitur ex eo, quod a nobis male, vel minus recte factum (§. 755. *Pſych. empir.*); ea perpetuatur, ſi ea, quæ in poſterum facienda, male aut minus recte quoque faciamus. Quamobrem cum pœnitentia tendat ad depellendam infelicitatem, *per demonſtrata;* conſequenter ad non continuandum eum ſtatum, in quo animus tædiis ex male vel minus recte factis perceptis inquietatur (§. 637. 755. *Pſych. empir.*); pœnitentia ducit ad propoſitum id, cujus pœnitet, in poſterum non faciendi. *Quod erat ſecundum.*

Quoniam tamen per ſe patet, fieri non poſſe, ut pœnitentia ducat præciſe ad propoſitum hoc factum in poſterum non iterandi cujus pœnitet, ſi iterabile non fuerit; quando iterabile non eſt, propoſitum eſſe nequit niſi generale nil quicquam committendi, cujus nos pœnitere poſſit. *Quod erat tertium.*

Quo moleſtior eſt pœnitentia, eo ardentius quoque ab hoc affectu liberari cupimus, eundemque averſamur, conſequenter ſi ad cauſam ejus animum attendimus, ad hanc ipſam extenditur averſio: unde naſcitur propoſitum factum iſtiusmodi non committendi. Propoſitum autem hoc vel generale eſt, quatenus extenditur ad omne, quod male aut minus recte a nobis fieri poteſt; vel ſpeciale, quatenus præciſe hoc factum in ſpecie reſpicit. Illud propoſitum præ-

præſupponit, ut factum in genere repræſentetur tanquam cauſa affectus moleſti, quatenus nimirum tale eſt, quod malum, aut minus rectum judicatur; hoc autem præſupponit, ut factum in ſpecie repræſentatur tanquam cauſa affectus moleſti, quatenus eſt factum, e, gr. culpoſum, quo damnum certum quoddam datum, vel dari poterat, veluti homicidium committi, aut incendium fieri. Dari autem facta non interabilia, exemplum Iudæ Chriſtum prodentis probat. Propoſitum plerumque ſpeciale eſt, quod pœnitentes verbis ſatis declarant, quando dicunt, ſe hoc, cujus pœnitet, iterum facere nolle. Aſt generale propoſitum, quamvis in ſpeciali latere videatur, majus tamen acumen requirit in pœnitente, quam quo vulgo utuntur plerique, & concurrunt præterea rationes aliæ, cur averſio ad propoſitum ſpeciale reſtringatur. Sola tamen pœnitentia non ſufficit, ut in propoſito iſto perſiſtamus, & quando occaſio denuo faciendi id, cujus nos pœnitebat, offertur, a facto iſto denuo committendo nos abſtineamus, ſi vel maxime propoſiti iſtius fuerimus memores: id quod omnium maxime obtinet, ſi inveterata fuerit conſuetudo idem faciendi.

§. 364.

Si factum nobis repræſentamus tanquam cauſam pœnitentiæ ſeu moleſtiarum, quibus in hoc affectu torquetur animus; odium ejusdem concitatur. Factum enim, cujus nos pœnitet, ad res inanimatas pertinet, quod per ſe patet. Quoniam itaque rem inanimatam odimus, ſi in ea quidpiam deprehendimus, quod nobis tædium creat, ſive moleſtiam (§. 679. *Pſych. empir.*); ſi factum nobis repræſentamus tanquam cauſam pœnitentiæ, ſive moleſtiarum, quibus in hoc affectu torquetur animus, odium ejusdem concitatur. *Quando odium facti, cujus nos pœnitet, concitetur.*

Diſplicet omnino factum, cujus nos pœnitet, quatenus animum adeo inquietat (§. 542. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo

ergo huc animus advertatur, quin odium abſit fieri non poteſt (§. 677. *Pſycb. empir.*). Quodſi adeo fieri poſſet, ut facto, quod nobis tantum moleſtiarum creat, mali quiddam accideret, quemadmodum homini, animus non minus diſpoſitus eſſet ad voluptatem inde percipiendam, quemadmodum ex malo, quo affligitur homo, quem odio habemus (§. 661. *Pſycb. empir.*). Aſt cum hoc fieri minime poſſit, factum ita averſamur, ut ejus memoriam deleri mallemus, ſicuti perſonæ & rei odioſæ conſpectum ferre non poſſumus. In perceptionibus & percepturitionibus confuſis multa inſunt, quæ ab objectis aliis ad alia transferuntur, quibus repugnant, ut diſtincte nonniſi per fictiones explicari poſſint, & iſtiusmodi perceptionibus tanto magis perturbatur animus. Si quis talia experiri voluerit, is acutum ſe præſtet neceſſe eſt in obſervando, quando anima a perceptionibus confuſis affectum generantibus ad diſtinctas tranſit & ad appetitiones atque averſiones diſcernibiles ex illis ortas. Si quis ad arcana animæ penetralia admiſſus fuerit, ei nihil abſurdius videri poterit materialismo, cum pudendam Materialiſtarum oſcitantiam deprehendat, quando ſingulare acumen jactant. Habet equidem etiam mechaniſmus ſua arcana arcanis animæ reſpondentia, quibus conſervatur harmonia perpetua inter animam atque corpus; non eædem tamen ſunt utrobique rationes. Poterant hæc diſertius explicari ex principiis Pſychologiæ rationalis, quæ alias demonſtravimus, ſed ad tantas ambages deſcendere non eſt hujus loci: ſufficit excitaſſe attentionem eorum, qui in philoſophando recto tramite incedere didicerunt.

§. 365.

Quando pœnitens ſibimet ipſi indignetur & iraſcatur.

Si quis ſe conſiderat tanquam autorem facti, cujus pœnitet, indignationem in ſe convertit, immo ſi ſe ipſum conſideret tanquam cauſam moleſtiarum, quibus torquetur animus, ſeu mali, quo affligitur, ſibi iraſcitur. Si quis enim ſe conſiderat tanquam auto-

autorem facti cujus pœnitet, ſibimetipſi injuriam feciſſe videtur. Quoniam tamen odium, quod gignit diſplicentia (674. *Pſych. empir.*), non prævalet adverſus amorem ſui homini naturalem; propterea malum ſui non cupit, quia malum ſibi intulit, attentione in autorem facti, non in id, quod inde ſecutum, converſa, conſequenter vindictæ cupiditas abeſt (§. 871. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ſi tædium ex injuria nobis ab altero illata percipimus, a vindictæ tamen cupidine alienum habemus animum, indignatio oritur (§. 873. *Pſych. empir.*); ſi quis ſe conſiderat tanquam autorem facti, cujus pœnitet, indignationem in ſe convertit. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi quis attentionem ſuam omnem convertit in tædia, quibus torquetur animus, non vero in factum, ex quo ea conſequuntur, & ſe conſiderat tanquam cauſam hujus mali, quo affligitur, cum ira oriatur ex opinione mali ex facto alterius nobis emergentis (§. 869. *Pſych. empir.*), quin nobismetipſis iraſcamur fieri non poteſt. *Quod erat alterum.*

In moralibus non inſolens eſt, ut homo ſe conſideret tanquam ſubjectum duplex, ideoque certo reſpectu tanquam ſubjectum a ſe ipſo diverſum. Naturaliter homo ſe ipſum amat, quatenus appetitus ipſius naturaliter fertur in felicitatem ſuam (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.* & §. 606. *part. 1. Jur. nat.*), atque inde naſcitur voluntas conſtans & perpetua felicitatem ſuam promovendi, & hactenus appetitus ſenſitivus cum rationali conſentit. Nulla igitur ratio eſt, cur homo quaſi duplex ſubjectum ſpectetur, ita ut in uno reſideant facultates ſuperiores, in altero inferiores. Enimvero quando contingit, ut, ſepoſito uſu facultatum ſuperiorum, abuſu inferiorum, quæ ab illis regi debe-

bant, ne exorbitarent, homo faciat, quæ ipſum infelicem reddunt, quatenus agnoſcit ſe ſibimetipſi contrarium fuiſſe, ut duplicem quaſi in ſe voluntatem agnoſcat; ratio omnino ſufficiens adeſt, cur ſe conſideret tanquam duplex ſubjectum, diverſis voluntatibus unum ab altero diſtingvens. Quatenus igitur ſe ipſum amat, ſe tanquam ſe conſiderat, quatenus vult, ut ſit felix; quatenus vero ſe reddidit infelicem tanquam perſonam a ſe diverſam. Poterat hoc illuſtrari exemplo *Pauli* Apoſtoli inter hominem interiorem & exteriorem diſtingventis, quaſi ipſe ſit non unus idemque homo, ſed ex duobus hominibus vinculo quodam inter ſe junctis componatur: ſed ne videamus falcem immittere in alienam ſegetem, uberiorem diſcuſſionem Theologis relinquimus. Quodſi vero homo ſe conſideret tanquam perſonam a ſe diverſam, quatenus facto ſuo incidit in malum, quo affligitur, iisdem affectibus animus ejus obnoxius eſſe debet, quibus obnoxius ſit, dum alius facto ſuo idem malum ipſi intulit. Factum, cuius pœnitet, duplici omnino modo conſiderari poteſt, vel quatenus conſideratur ejus autor, qui id commiſit, vel quatenus ſpectatur conſequens, quod eſt malum inde conſecutum, & per conſequens quatenus is, qui factum commiſit, eſt cauſa mali nobis præſens. Diverſa hæc repræſentatio facti diverſos quoque concitat affectus. Perinde vero eſt, ſive perſona, quæ factum patravit, fuerit perſona a nobis diverſa, ſive nosmetipſos hoc reſpectu conſideremus tanquam perſonam a nobis diverſam, vi eorum, quæ modo uberius explicavimus. Produnt autem homines, quos facti pœnitet, verbis tam indignationem in ſe converſam a cupiditate vindictæ liberam, quam iram cum eadem conjunctam, ut propoſitio præſens a poſteriori ſatis ſuperque confirmetur. Non tamen opus eſt, ut cupiditas vindictæ ſemper in actum externum prorumpat, cum id nec fiat, quando aliis iraſcimur. Sed de eo dicemus ſuo loco,

§. 366.

§. 366.

Si alteri perſuaſeris, quod alii de ipſo, vel factis ipſius benigne judicent, vel judicaturi ſint, gloria concitatur. Etenim ſi alteri perſuaſeris, alios de ipſo vel factis ejus benigne judicare, vel judicaturos eſſe; is benignum aliorum de ſe factisque ſuis judicium ſibi repræſentat. Quamobrem cum opinione benigni aliorum judicii de ſe factisque ſuis repræſentatione gaudium concitetur, aut ſaltem voluptas excitetur (§. 766. *Pſych. empir.*), & in hoc gaudio, vel voluptate gloria conſiſtat (§. 765. *Pſych. empir.*); ſi alteri perſuaſeris, quod alii de ipſo vel facto ipſius benigne judicent, vel judicaturi ſint, gloria concitatur. *De gloria concitanda.*

Quid ſit benignum aliorum de nobis noſtrisque judicium, alias jam explicavimus (§. 765. *Pſych. empir.*). Subjectum hujus judicii ſunt non modo omnia, quæ perſonam noſtram concernunt, ſive ea natura nobis inſint, ſive a nobis acquiſita, veluti dotes naturales & habitus exercitio comparati tam intellectuales, quam morales, immo habitus quoque corporis, verum etiam omnia, quæ quomodocunque noſtra dici poſſunt, quo inprimis referenda ſunt ea, quæ fecimus. Quoniam vero prædicatum, quod ſubjecto tribuitur, non æſtimatur veritate, ſed opinione ejus, qui affectui indulget; ideo probe conſiderandum eſt, quanti quis faciat judicium aliorum, quod ipſi perſuaſeris. Quemadmodum multi vanis delectantur laudibus, immo emendicatis, quidni etiam ementitis? ita eædem quoque ad concitandum gloriam ſufficiunt. Voco autem laudes emendicatas, ſi quis quibuscunque artificiis permovet alterum, ut laudes vel maxime immeritas de ipſo publicet; ementitas vero, ſi laudes proprias per alios divulgari curat. Uterque mos apud nos hodie invaluit inter homines in Rep. literaria novos, qui cum tyronum adhuc numero ſint atque be-

ne laterent, celebritatem nominis immature affectant, & homines ambitioſos, qui laudibus inhiant, quas non merentur, poſtquam in tantum excrevit novellarum litterariarum & diariorum eruditorum numerus, ut facile reperire liceat laudum immeritarum publicatorem. Multæ ſunt rationes, cur facilius perſuadeas hominibus laudis & honoris cupidis, quod alii benignum de ipſis judicium ſint laturi, quam ut contrarium perſuadeas, cum id maxime credant, quod maxime volunt.

§. 367.

De eo, qui veræ laudis cupidus.

Quoniam affectus gloriæ concitatur, ſi alteri perſuaſeris, quod alii de ipſo vel factis ipſius benignum judicium ſint laturi (§. 366.), qui vero veræ laudis cupidus eſt, laudem parum curat niſi a peritis ipſi tribuatur (§. 542. *part. 1. Jur. nat.*); *ſi quis veræ laudis fuerit cupidus, antequam affectus gloriæ concitetur, neceſſe eſt ut te peritum eſſe perſuaſus ſit.*

Qui vanis laudibus delectantur, abſurdis imperitorum adulationibus fidem habent: qui vero nonniſi vera delectantur, aliorum credulitati non obnoxiam habent fidem, multo minus credunt adulatoribus. Laudes imperitorum non voluptatem, ſed potius moleſtiam creant, niſi conſtiſterit, eas eſſe echo peritorum. Intereſt hoc noſſe, ut coram alios laudaturi ſatis circumſpectos nos præbeamus, ne diſpliciamus, dum placere ſtudemus.

§. 368.

De acquieſcentia in ſe ipſo una cum gloria concitata.

Si quis benignum aliorum judicium de ſe atque factis ſuis pro vero habet, quod ipſi perſuadetur, acquieſcentia in ſe ipſo una cum gloria concitatur: ſi affectus prior jam adfuerit, idem magis intenditur. Etenim qui benignum aliorum judicium de ſe

&

& factis ſuis pro vero habet, is ea, quæ fecit, bene aut recte a ſe facta eſſe putat (§. 505. *Log.* & §. 765. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque acquieſcentia in ſe ipſo concitatur, ſi alteri perſuaſeris ea, quæ fecit, bene aut recte facta eſſe (§. 353.), gloria vero concitatur, ſi eidem perſuaſeris alios de ipſo & factis ejus benigne judicare, vel judicaturos eſſe (§. 366.); ſi quis benignum aliorum judicium de ſe atque factis ſuis pro vero habet, quod ipſi perſuadetur; acquieſcentia in ſe ipſo una cum gloria concitatur. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi quis quæ fecit bene ac recte a ſe facta opinatur, acquieſcentia in ſe ipſo oritur, etiamſi id ab alio ipſi non perſuadeatur (§. 749. 750. *Pſych. empir.*), atque tum affectus hic jam occupat animum, antequam eidem perſuaſeris benignum aliorum de ipſo & factis ipſius judicium, conſequenter antequam is concitetur (§. 366.). Quodſi jam eidem perſuaſeris benignum aliorum judicium, non modo inde voluptatem percipit (§. 766. *Pſych. empir.*), verum etiam ex eo, quod merita ſua ab aliis agnoſci putat. Quoniam igitur voluptas, qua perfunditur animus, dum gloria concitatur, inde incrementa capit; ſi affectus gloriæ concitatur, cum acquieſcentia in ſe ipſo jam occuparit animum, is magis intenditur. *Quod erat alterum.*

Apparet hinc acquieſcentiam in ſe ipſo atque gloriam conjungi poſſe, quemadmodum alias jam indicavimus (*not.* §. 751. *Pſych. empir.*). Quando igitur una animum occupant; in unum confunduntur, ut mixtus aliquis prodeat affectus, qui diverſa quadam voluptate animum paſcit, ſicuti ſapor compoſitus ex commixtione duorum alio-

rum prodiens diverſus eſt ab utroque, qui commiſcentur, ut guſtum diverſo modo afficiat. Quamobrem affectum unum ab altero diſcreturus utrumque obſervare tenetur, ſi ſolus concitatus fuerit. Ceterum nemo facile in dubium vocabit placere hominibus, ſi merita eorum ab aliis agnoſcantur. Differunt autem utique perceptiones animæ, ſi quis cogitat, merita ſua agnoſci, & ſi quis benignum aliorum de ſe & factis ſuis judicium ſibi repræſentat, cum utrumque non ſemper ſimul ponatur: videmus enim homines delectari laudibus, quas immeritas ſibi tribui non ignorant. Utrumque igitur judicium per ſe in appetitum influit. Acquieſcentia in ſe ipſo ſola eſt, ſi quis, quod captu difficile erat, improba diligentia uſus tandem intime perſpicit, aut quomodo veritates dudum detectæ & in vulgus notæ detegi potuerint invenit, vel bene ac recte factorum conſcientia fruitur, quæ ad aliorum opinionem minime refert. Gloria vero ſola animum demulcet, ſi quis præter omnem ſpem atque opinionem laudari experitur, quæ ad opinionem aliorum ab ipſo relata minime fuerant, aut ſi gloria eum ſtimulet ad aggrediendum opus, cui perficiendo num ſufficiuræ ſint vires nondum novit. Acutus obſervator facile caſus diſcernere addiſcet, ſi in obſervando fuerit ſedulus. Multa docet uſus, de quibus antea non cogitatum fuerat, & hoc modo defectus theoriæ ſuppletur.

§. 369.

De gloria felicitatis cauſa.

Si judicium aliorum de eo, quod bene vel recte fecimus, fuerit verum; gloria ad felicitatem hominis pertinet, eademque magna ejus pars eſt. Si judicium aliorum de eo, quod bene vel recte fecimus, fuerit verum; voluptas inde percepta vera eſt (§. 514. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum felicitas ſit ſtatus, in quo voluptas vera perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*); illa quoque voluptas, quam creat nobis judicium

dicium verum aliorum de eo quod bene vel recte fecimus, ad felicitatem pertinet. Quoniam itaque hæc voluptas prædominatur in gloria (§. 765. 614. *Pſych. empir.*); gloria ad felicitatem hominis pertinet, ſi judicium de eo, quod bene aut recte fecimus, fuerit verum. *Quod erat primum.*

Cum gloria ſtimulus ſit ad præclara præſtanda absque ulla ſpe lucri (§. 771. *Pſych. empir.*), ita ut non pigeat moleſto perfungi labore, affectu omnem moleſtiam, quantacunque fuerit, vincente; facile hinc colligitur, voluptatem, qua perfunditur animus, dum gloria commovetur, eſſe ſummam. Quamobrem cum tanto majorem partem felicitatis faciat voluptas, quo ea fuerit maior (§. 107.); gloria magna felicitatis pars eſt. *Quod erat alterum.*

Si cui dubium videri poterat, cur ad gloriam requiramus judicii aliorum de factis noſtris nobis veritatem, cum ad concitandum affectum ſufficiat opinio; is ad animum revocet ea, quæ eodem fine de acquieſcentia in ſe ipſo paulo ante annotavimus (*not* §. 355.). Exemplum, quod ibidem dedimus, facile ad propoſitionem præſentem illuſtrandam transfertur, modo opinioni propriæ ſubſtituas alienam, aut cogites caſum, in quo quis ſpe ſua excidit, quam de opinione aliorum conceperat. Ceterum dulcedinem hujus affectus nemo melius intelligit, quam qui eum deguſtavit. Propoſitio autem præſens probe perpendenda eſt iis, qui vanam gloriam affectant.

§. 370.

Quia gloria tum demum ad veram hominis felicitatem referenda, ſi judicium de eo, quod bene, vel recte factum, fuerit verum (§. 369.); ne nobis vana felicitate

Quænam autem de cura derivetur.

te imponamus, *opera danda eſt, ut ſciamus, quid bene, vel recte factum ſit, & bene ac recte agendi habitum acquiramus.*

Idem ſupra commendavimus de acquieſcentia in ſe ipſo, ut ad veram felicitatem eandem referendam eſſe certi ſimus (§. 356.). Quæ vero ibidem annotavimus de inſufficientia opinionis conſtantis, ea huc quoque pertinent. Si acquieſcentia in ſe ipſo & gloria concitanda, in caſu utroque requiritur judicium de rectitudine ejus quod fecimus, niſi quod in priori ſit proprium, in poſteriori alienum. Utrumque autem verum eſſe debet, ſi affectus partem felicitatis facere debet. Maxime igitur noſtra intereſt, ut ſimus omnimode certi, de veritate judicii. Conſtat autem hanc certitudinem a ſcientia dependere (§. 595. *Log.*). Quodſi affectus gloriæ concitetur, antequam conſtet, quid alii de eo, quod fecimus, ſint judicaturi: tanto magis neceſſe eſt, ut ſciamus id, quod facimus, bene vel recte fieri. Etenim ſi contingat, ſpem noſtram nos fefelliſſe, remanet tamen acquieſcentia in ſe ipſo, qua impeditur, quo minus moleſtia afficiatur animus, propterea quod merita noſtra ab aliis non agnoſcantur, aut, ſi qua adhuc moleſtia ideo nobis creatur, ea tamen voluptate, qua acquieſcentia in ſe ipſo animum perfundit, emollitur. Qui felicitatem ſuam curæ cordique habet, is admodum circumſpectus eſſe debet, ne improvidus fiat infelicitatis ſuæ faber.

§. 371.

Quo tendat gloria.

Gloria tendit ad conſervandam felicitatem, & ad bene ac recte faciendum, quod faciendum eſt, ac ubi oritur ex benigno aliorum judicio de eo, quod jam fecimus, ſtudium bene ac recte faciendi acre efficit. Etenim gloria in gaudio conſiſtit (§. 765. *Pſych empir.*). Quoniam itaque gaudium tendit ad conſervandam felicitatem (§. 279.); gloria quoque ad eandem conſervandam tendit. *Quod erat unum.*

Enimve-

Enimvero quoniam gaudium iſtud naſcitur ex eo, quod alios, bene ac recte a nobis factum eſſe, quod fecimus, judicataros putamus, qui vero vult finem, media quoque velit neceſſe eſt (§. 941. *Ontol.*); gloria utique tendit ad bene ac recte faciendum, quod faciendum eſt. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi gloria animum occupat, quando benignum aliorum de eo, quod fecimus, judicium experimur, & voluptate perfundit eum, ut dulcedinem hujus affectus deguſtemus; quin ſtatum iſtum conſervari cupiamus fieri nequit. Enimvero ſtatus hic perpetuatur, ſi omni animi contentione facere ſtudeamus, quæ benignum aliorum judicium experiuntur. Quamobrem tanto majore quoque ſollicitudine ſtudemus, ut in poſterum quoque faciamus, quæ bene ac recte fiunt, conſequenter gloria ſtudium bene ac recte faciendi acre efficit. *Quod erat tertium.*

Oſtendimus jam in ſuperioribus (*not.* §. 156.), voluptatem eſſe ſtimulum appetitus tam ſenſitivi, quam rationalis. Quamobrem ſi quis quadam ex re voluptatem percipit, ejus percipiendæ cauſa in eandem etiam poſthac fertur appetitus: cum enim per naturam felicitatem appetamus (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*), eum ſtatum, in quo voluptas perdurat (§. 636. *Pſych. empir.*), voluptatem, cujus dulcedinem deguſtavimus, perpetuam eſſe cupimus. Quodſi ergo ex benigno aliorum de factis noſtris judicio voluptatem inſignem percipimus, ad facta iſta iteranda tendit appetitus. Et ubi cognoſcimus voluptatem iſtam incrementa capere poſſe, ad ea quoque tendit appetitus, a quibus incrementa iſta dependent, atque ita gloria acre efficit ſtudium bene ac recte faciendi. Non repetimus ea, quæ ſupra jam diximus (*not.* §. 156.), etſi hic probe notanda veniant, ne, quod vulgo fieri ſolet, in errorem incidamus, quaſi

inter voluptatem nocuam & innocuam, veram & apparentem non ſit diſtingvendum, ſed felicitas promiſcue ex voluptatis cujuscunque perceptione ſit æſtimanda. Quamvis vero jam paſſim tradiderimus nunc & olim, quæ ad corrigendum atque evitandum hunc errorem faciunt, inferius tamen, quando de regimine affectuum acturi ſumus, ut verus eorum appareata uſus, ex inſtituto de eo erit agendum. Ex modo dictis autem colligitur, propoſitum bene ac recte agendi plerumque nonniſi ſpeciale eſſe: neque enim ad generale devenitur niſi ubi attenditur, voluptatem non percipi ex facto, quatenus in ſpecie tale eſt, veluti quod arguat excellentiam artis aut certæ cujusdam ſcientiæ, ſed quatenus id, quod a nobis factum, bene atque recte factum eſt, ſaltem opinione noſtra, & aliorum de eo judicium ſibi ſumentium. Atque hinc facile ulterius patet tendentiam gloriæ in omnibus non eſſe prorſus eandem, ſed plurimum variare, prouti appetitus ad rectitudinem actionis in genere traductus ad ſpecialia reducitur; id quod ab antecedentibus animæ modificationibus dependet in præſentem influentibus. Idem intelligitur de acquieſcentia in ſe ipſo cum gloria plerumque arctiſſimo vinculo copulata, & idem hic notaſſe in aliis juvat. Quando demonſtravimus, gloriam eſſe ſtimulum ad præclara præſtanda absque ulla ſpe lucri, idem in genere evicimus, nimirum ut quis incitetur ad præclara facta in ſuo genere, ut ideo dixerimus nihil unquam præclari in orbe terrarum factum, quod ex gloria tanquam fonte non manaverit, nec niſi eos, qui gloria ducti fuerunt, feciſſe præclara ac de genere humano bene meruiſſe, in ſuo ſcilicet genere.(§. 771. *Pſych. empir.*).

§. 372.

Quomodo amor certorum factorum concitetur.

Si factum nobis repræſentamus tanquam cauſam gloriæ & acquieſcentiæ in ſe ipſo, ſeu voluptatis, qua uterque affectus animum demulcet; amor facti concitatur. Factum enim, quod glo-

gloriam & acquieſcentiam in ſe ipſo parit, ad res inanimatas pertinet, quod per ſe patet. Quoniam itaque rem inanimatam amamus, ſi in ea deprehendimus quidpiam, quod nobis multam affert voluptatem, pro gradu huius voluptatis (654. *Pſych. empir.*); ſi factum nobis repræſentamus tanquam cauſam gloriæ & acquieſcentiæ in ſe ipſo, ſive voluptatis, qua uterque affectus animum demulcet, amor facti iſtius concitatur.

Placet omnino factum, gloriæ & acquieſcentiæ in ſe ipſo cauſa, quatenus dulciſſima voluptate animum paſcit (§. 542. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo huc attentio noſtra vertatur, quin amor oriatur fieri nequit (§. 654. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi fieri poſſet, ut facto, quod tantam nobis voluptatem creat, boni quidpiam obtingere poſſet, quemadmodum homini, animus non minus diſpoſitus eſſet ad voluptatem inde percipiendam, qualem percipimus ex bono, quo gaudet homo a nobis amatus (§. 635. *Pſych. empir.*). Aſt cum hoc fieri minime poſſit, factum ita appetimus, ut idem ſemper quaſi præſens in memoria reſideret, ſicuti amicum, quem impenſe amamus, nobis ſemper præſentem eſſe mallemus. Quæ de perceptionibus confuſis & percepturitionibus hic tenenda ſunt, ea ex ſuperioribus petenda (*not.* §. 364.). Amorem, de quo hic ſermo eſt, produnt laudes, quibus factum ornant affectu utroque, ſive alterutro commoti (§. 294.).

§. 373.

Si quis ſe conſiderat tanquam autorem facti, quod acquieſcentiam in ſe ipſo & gloriam parit; ſe ipſum amat. Quodſi enim quis ſe conſiderat, tanquam autorem facti, quod acquieſcentiam in ſe ipſo atque gloriam parit, conſequenter animum dulciſſima voluptate paſcit (§. 749. 765. *Pſych.*

Quando amorem ſui excitet gloria & acquieſcentia in ſe ipſo.

Pſych. empir.); id omnino ipſi placet (§. 542. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum amemus hominem, ſi quod nobis placet in ipſo obſervamus (§. 645. *Pſych. empir.*); ſe ipſum quoque amat, qui ſe conſiderat tanquam autorem facti, quod acquieſcentiam in ſe ipſo & gloriam parit.

Propoſitionem præſentem experientia abunde confirmat. Et alias jam annotavimus (*not.* §. 365.), non inſolens eſſe, ut homo in moralibus ſe ſpectet tanquam perſonam a ſe diverſam.

§. 374.

De pudore concitando.

Si alteri perſuaſeris, alios de ipſo & factis ejus ſiniſtrum ferre judicium & judicium ab ipſis latum eſſe verum; pudor concitatur. Etenim ſi alteri perſuaſeris alios de ipſo & factis ejus ſiniſtrum ferre judicium, quod ita judicent, pro vero habet. Quodſi igitur eidem quoque perſuaſeris, judicium iſtud eſſe verum; id verum eſſe putat. Quoniam itaque nullus dubitat, quin alii de ſe & factis ſuis ſiniſtre judicent & hoc judicium pro vero habet, ſi quis vero ſiniſtrum aliorum judicium ſibi repræſentat, idque pro vero habet, tædiis afficitur (§. 775. *Pſych. empir.*), atque in his pudor conſiſtit (§. 774. *Pſych. empir.*); pudor concitabitur, ſi alteri perſuaſeris, alios de ipſo & factis ejus ſiniſtrum judicium ferre & judicium ab ipſis latum eſſe verum.

Ad concitandum pudorem duo omnino requiruntur, tum ut alii de te, vel factis tuis ſiniſtre judicent, tum ne dubites de veritate judicii iſtius. Sane neminem pudet facere, quod ipſum puderet, ſi noſſent alii. Probant hoc exempla ſceleratorum ſcelera clam committentium & ſtudioſe occultantium, ne reſciſcant alii. Ex adverſo conſtat, non

pudore

pudere eos facere, quod ab aliis improbatur, cum putant, alios factum pro malo, vel minus recto habere, quod ipſi pro bono vel licito, ac pro recto habent. Quodſi ergo pudor concitari debet, neceſſe eſt ut, quod quis fecit, male vel minus recte a ſe factum putet & ut norit, aliis factum hoc innotuiſſe eosque quod male, vel minus recte fecerit, quod fecit, agnoſcere.

§. 375.

Pudor tendit ad delendam memoriam facti, quod nos pudet, & ad impediendum, ne id aliis in notitiam veniat, ſeu ad notitiæ aliorum id ſubtrahendum. Si quem enim pudet eorum, quæ fecit, eorundem quoque ipſum pœnitet (783. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum is, quem facti pœnitet, factum infectum reddere mallet (§. 761. *Pſych. empir.*); quem facti pudet, idem quoque factum infectum reddi mallet, ne ſiniſtro aliorum judicio expoſitus eſſet. Aſt cum hoc fieri minime poſſit, cumque opinio aliorum de ſe, vel factis ſuis expiraret, niſi eorum, de quibus finiſtre judicant, amplius meminerint; pudor tendit ad delendam memoriam facti, quod nos pudet. *Quod erat unum.* *Quo tendat pudor.*

Enimvero cum alii de eo, quod fecimus, ſiniſtre judicare non poſſint niſi id in eorum notitiam veniat, quod per ſe patet, ac ideo quem pudet eorum, quæ fecit, vel quæ ſibi ſunt, is ea ab aliis ignorari mallet (§. 776. *Pſych. empir.*); pudor tendit ad ea ſubttahendum notitiæ aliorum. *Quod erat alterum.*

Qui ſiniſtra aliorum judicia, quæ ipſis moleſta accidunt eademque vera eſſe agnoſcunt, experiuntur, verbis haud raro aperte produnt, malle ſeſe, ut hoc non fecerint, manifeſto indicio, quod ad pudorem accedat pœnitentia.

Non confundendus vero cum caſu præſente alius, in quo malevolorum judicia easdem querelas extorquent. Et quia nemo eſt, qui ab affectu moleſto non liberari cupiat, quin in eo appetitus tendat ad cauſam ejus tollendam, dubitandum non eſt. Ac ideo quoque pudor tendit ad delendum memoriam ejus, cujus nos pudet. Quam ſtudioſe homines ea clare ſtudeant, quæ famæ ſuæ adverſa opinantur, & quam anxie vereantur, ne eadem reſciſcant alii, noto notius eſt. Quamobrem nec dubitandum eſt, quin pudor tendat ad id, cujus pudet, notitiæ aliorum ſubducendum. Idem clariſſime elucet ex ardore animi, quo precibus compellantur ii, quibus factum innotuit, ne idem propalent. Ceterum notandum eſt, pudorem non modo occupare animos hominum, quando actu experiuntur judicia ſiniſtra aliorum, verum etiam quando ea metuunt, aut tanquam extitura ſibi repræſentant. Immo ſi quis agnoſcit, ſe feciſſe, quod minime ſe decet, ſeu maxime indecorum eſt; fieri quoque poteſt, ut ejus ipſum pudeat, etiamſi factum ad aliorum opinionem minime referat. Hinc idiomate patrio dicimus: Er muß ſich vor ſich ſelbſt ſchämen. Duplicem nimirum tunc perſonam diſtingvimus in: una altera repræſentat ſubjectum dignitatis, aut virtutum intellectualium, vel etiam moralium, quibus quis condecoratus, aut famæ, qua gaudet; altera vero ſubjectum male, vel minus recte facti. Atque hic pudor probe notandus ob uſum, quem habet in moralibus, quemadmodum ex infra demonſtrandis eluceſcet.

§. 376.

Quando pudor tendat ad factorum emendationem.

Quoniam pudor tendit ad delendam memoriam facti (§. 375.), ea autem deletur, ſi factis contrariis ſiniſtra aliorum judicia in benigna convertas; *ſi quis famæ ſuæ amans eſt, pudor tendit ad emendationem eorum, quorum pudet.*

Pona-

Ponamus eruditum immature ad nominis celebritatem contendere & libro edito de eo, quod nondum ſatis intelligit, meritam aliorum cenſuram incurrere. Quodſi famæ ſuæ fuerit ſtudioſus, omnem movebit lapidem, ut in iſto ſcientiarum, vel eruditionis genere præclara præſtare poſſit, quæ peritorum laudem & approbationem merentur. Pudor igitur tum ſtimulus eſt, ut id emendet, cujus puder, ſicque memoriam minus recte facti quaſi deleat. Quamvis enim pudor in omnibus ad delendam memoriam facti tendat, non tamen propterea tendit eodem modo. Ubi in genere de affectu quodam agitur, aut, ſi mavis in ſe ſpectato, tendentia quoque non aliter conſideratur, quam qualis inde oritur, pro diverſitate vero ſubjectorum aliarumque circumſtantiarum eadem ſpecificatur, ut formam ſpecialem acquirat: id quod notaſſe juvabit, ut in caſibus datis tendentiam iſtam ſpecifice explicare valeamus.

§. 377.

De gratitudine concitanda.

Si quem ad agnitionem beneficiorum ſibi ab alio præſtitorum adduxeris, gratitudo concitatur. Etenim ſi quem ad agnitionem beneficiorum ſibi ab alio præſtitorum adduxeris, is beneficia ab ipſo in ſe collata ſibi repræſentans ea non modo pro beneficiis habet, verum etiam animum huc attendit, quod ab ipſo in ſe ſint collata. Quoniam igitur hac beneficiorum repræſentatione gratitudo oritur (§. 789. *Pſych. empir.*); ea quoque concitatur, ſi quem ad agnitionem beneficiorum ſibi ab alio præſtitorum adduxeris.

Non omnes pro beneficiis habent, quæ ſunt, ideoque pro re nata vel vili pendunt, vel ad debita referunt. Neceſſe igitur eſt, ut alteri perſuadeas, ea, quæ ab alio in ipſum profecta ſunt, ſeu quæ is ipſi dedit, aut fecit, beneficiorum numero eſſe. Neque etiam omnes beneficium tanti

tanti faciunt, quanti facere debebant. Ad beneficii autem agnitionem utique requiritur, ut quantum ſit cognoſcamus. Quomodo vero beneficia æſtimanda ſint, alio loco & tempore demonſtraturi ſumus. Præterea animus adverrendus eſt ad perſonam, quæ nobis benefecit. Inde enim potiſſimum pendet, ut ea nobis placeat, conſequenter ut eandem amemus (§. 647. *Pſych. empir.*): in quo amore gratitudo conſiſtit (§. 784. *Pſych. empir.*). Taceo, quod a perſona benefactoris etiam petenda ſint argumenta, quibus magnitudinem beneficii alteri perſuadeas. Exempla dedimus alias (*not.* §. 785. 789. *Pſych. empir.*). Aſt verbis opus non eſt, cum rei teſtimonia ubivis adſint.

§. 378.

Idem uberius declaratur.

Quoniam gratitudo concitatur, ſi quem ad agnitionem beneficiorum ſibi ab alio præſtitorum adduxeris (§. 377.); beneficium vero eſt actus omnis, quo ad alterius bona quæcunque ſive animi, ſive corporis, ſive fortunæ gratis quid conferimus, vel malum quodcunque animi, corporis aut fortunæ ab altero avertimus (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*); *gratitudinem concitaturus alteri repræſentare debet non modo boni collationem, verum etiam mali depulſionem, vel ab eo factam liberationem.*

Noto notius eſt maxima eſſe beneficia, quæ in mali depulſione, vel liberatione ab eodem conſiſtunt. Exemplo eſt, ſi quis periculum vitæ depellit, aut te ex eodem extrahit, vel incendium ab ædibus tuis avertit. Immo ſi beneficium in omni ſua latitudine ſumitur, quemadmodum ſumi debet, longe plurima ſunt benificiorum genera, quæ vulgo non agnoſcuntur, ſuo loco uberius declaranda, quando de grato animo acturi ſumus, quatenus inter virtutes locum habet & de amore ob beneficia in nos collata atque gratiarum actione.

§. 379.

Digitized by Google

§. 379.

Gratitudo tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem benefactoris. Etenim gratitudo in amore benefactoris conſiſtit (§. 784. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum amor tendat ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem amati (§. 292.); gratitudo quoque tendit ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem benefactoris. *Quo tendat gratitudo.*

Sicuti amor in genere ſtimulus eſt ad inſerviendum & benefaciendum aliis (*not.* §. 292.); ita etiam gratitudo ſtimulus eſt ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem benefactoris. Acuit hunc ſtimulum ipſa beneficiorum conſideratio, ſi ea recte æſtimare didicerimus. Ac inde quoque petenda eſt ratio, cur amor benefactoris ſingulari quodam modo modificetur, ut gratitudo ſit diverſus affectus ab alio amore & propriam ſibi habeat dulcedinem (*not.* §. 784. *Pyſch. empir.*). Quemadmodum vero affectus per ſe in tendentia terminatur, non autem neceſſario exigit, ut id exiſtat, ad quod tendit; ita idem quoque valet de animo grato. Quando hic affectus occupat animum, ad quævis bona tam poſitiva, quam negativa præſtanda idem pronus eſt, utut vel deſit actu præſtandi occaſio, vel ea præſente deficiant vires. Etſi deſit occaſio, deſint vires, ſemper tamen adeſt voluntas. Neque obſtat, quod occaſione oblata non præſtetur, quod præſtari poterat: quemadmodum enim tempora mutantur & nos in illis mutamur, ita etiam gratitudo in præſenti concitata ſucceſſive langueſcit, & multa offeruntur, quæ obſtant, quo minus præſtetur quod præſtitum fuiſſet, ſi occaſio præſtandi ſtatim adfuiſſet.

§. 380.

Quando benefactoris commiseremur.

Qui gratum habet in benefactorem animum, ejus commiseratur, si malo quodam affligitur. Quod enim benefactor malo quodam affligitur, cum id tædia ipsi creet (§. 569. *Psych. empir.*), ad infelicitatem ejus id referendum (§. 639. *Psych. empir.*). Quamobrem cum gratitudo tendat ad depellendam infelicitatem benefactoris (§. 379.); eundem utique indignum judicat malo, quo affligitur. Quoniam itaque commiseratio oritur, si alterum indignum judicamus malo, quo affligitur (§. 695. *Psych. empir.*); qui gratum habet animum, benefactoris commiseratur, si quo malo affligitur.

§. 381.

Quo tendat gratitudo in specie.

Gratitudo tendit ad bonum bono referendum & gratias agendum. Qui enim gratum habet animum, is voluptatem benefactori creare, tædium vero sive molestiam ab eo avertere studet (§. 787. *Psych. empir.*), quia ipsi benefecit (§. 784. *Psych. empir.*), consequenter gratitudo tendit ad bonum in benefactorem conferendum (§. 558. *Psych. empir.*), malum vero ab eo depellendum (§. 569. *Psych. empir.*), quia benefactor bonum quoddam in nos contulit, aut malum quoddam a nobis depulsit, vel nos ab eodem liberavit (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*). Quamobrem cum bonum bono referat, qui alteri existit causa boni (sive positivi, sive privativi, seu negativi), quia ipsi causa boni extitit (§. 797. *Psych. empir.*); gratitudo tendit ad bonum bono referendum. *Quod erat unum.*

Enimvero cum non semper adsit occasio bonum bono statim referendi, aut deficiant vires; qui gratum habet

Digitized by Google

bet animum, bonum bono referre benefactori ſaltem cupit, & licet deſit occaſio, deſint vires, adeſt tamen voluntas. Quamobrem cum qui gratum habet animum, eundem non modo a benefactore, verum etiam ab aliis agnoſci velit; quomodo is diſpoſitus ſit, verbis declarare ſtudet. Enimvero ſi verbis declaramus animum gratum gratias agimus (§. 44. *part. 4. Jur. nat.*). Gratitudo igitur tendit ad gratias agendum. *Quod erat alterum.*

Gratitudo conſiſtit in amore benefactoris ob beneficia (§. 784. *Pyſch. empir.*), ideoque repræſentatione beneficiorum ſpecificatur, ut ab alio amore differat. Quamvis itaque hoc commune habeat cum omni amore, ut tendat ad promovendam felicitatem & depellendam infelicitatem alterius; id tamen ipſi proprium eſt, ut tendat ad bonum bono referendum & gratias agendum benefactori, ac propterea inſit cupiditas appetitui ſenſitivo aliis declarandi hunc animum. Beneficia nobis præſtita ſtimulus ſunt ad bonum bono referendum; ut, ſi deſit occaſio vel deſint vires, animus impatiens ſit, quod deſideria ſua explere nequeat. Hinc videas animum gratum habentes nunc ob beneficia accepta benefactorem remunerari, nunc verbis animum gratum eidem declarare, nunc coram aliis beneficia ſibi præſtita prædicare. Omnes iſti actus externi, qui conſequuntur animi commotionem, indicant appetitiones, quæ inſunt affectui. Quando nimirum quæritur, quo tendat affectus, quæſtio huc redit, quænam appetiones inſint appetitui ſenſitivo, quænam averſiones averſationi ſenſitivæ, & quænam inde appetitiones in appetitum ſenſitivum redundent, quando eodem commovetur animus. Id vero a poſteriori colligitur ex verbis & factis ejus, cujus animum affectus commovet. Quodſi hæc perpendantur, conſenſus eorum, quæ a priori demonſtrantur, cum iis, quæ a poſteriori nobis innoteſcunt, hoc eſt, quæ ex verbis & factis

&is colliguntur, in omni affectuum genere eluceſcit. Immò hoc etiam modo a poſteriori probatur, affectuum definitiones uſui loquendi convenire, hoc eſt, diſtincte iisdem explicari vocabula, quibus in communi ſermone perceptiones confuſæ reſpondent.

§. 382.

De favore concitando.

Si cui perſuaſeris, ineſſe alteri aliquid boni, quod opinione ipſius ſingulare eſt, inprimis eum moribus ac habitibus animæ, vel etiam corporis ipſi acceptis gaudere; favorem concitabis. Si cui enim perſuaſeris, ineſſe alteri aliquid boni, quod opinione ipſius ſingulare eſt, conſequenter quo maxime delectatur, inprimis eum gaudere moribus ac habitibus animæ, quidni etiam corporis, ipſi acceptis, conſequenter quæ ipſi voluptatem creant, ideoque placent (§. 542. *Pſych. empir.*); is ſibi bonum ſingulare, quod alteri ineſt, vel mores atque habitus animæ, itemque corporis, repræſentat. Quoniam itaque favor oritur ex repræſentatione eorum, unde mores ac habitus nobis accepti intelliguntur, vel ejus, quod nobis in altero placet, tanquam ſingulare ſpectatur (§. 792. *Pſych. empir.*); favor concitatur, ſi cui perſuaſeris ineſſe alteri aliquid boni, quod opinione ipſius ſingulare eſt, inprimis eum moribus ac habitibus animæ, vel etiam corporis ipſi acceptis gaudere.

Exemplum dedimus alias (§. 791. *Pſych. empir.*), quo propoſitio præſens illuſtrari poteſt, & proſtant alia ubivis, ut plura in medium afferre ſuperfluum foret. Quodſi excipias, ipſa hæc exempla abunde docere, quod ſint longe plurimi, qui aliis favent propter perverſos mores, vel habitus vitioſos; dubium hoc dudum ſuſtulimus (§. 795. *Pſych. empir.*). Quis, quæſo, eſt qui neſciat, quam multi delectentur malis. In affectibus autem concitandis non ſpecta-

ſpectatur veritas, ſed opinio ejus, qui affectu commovetur, quemadmodum multoties jam inculcavimus, & quoad hunc affectum jam alibi annotavimus (*not. §. cit.*). Quando aliquem alteri commendamus, non aliud agimus, quam ut hujus favorem ipſi conciliemus. Argumenta autem, quibus aliquem commendamus, petuntur ab iis, quæ favoris concitandi cauſa perſuadenda eſſe alteri oſtendimus. Propoſitio itaque præſens plurimum utilitatis affert non modo in praxi morali, verum etiam in omnibus negotiis vitæ humanæ. Ecquis enim eſt, qui neſciat, quantum ſæpiſſime a meta aberrent, qui aliis commendatione ſua prodeſſe volunt?

§. 383.

Favor tendit ad præferendum eum, cui favemus, aliis, quos amamus, in felicitate promovenda. Etenim eum, cui favemus, in promovenda felicitate aliis præferimus, quos amamus (§. 793. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum facta, quorum ſtimulus eſt affectus, indicent, ad quænam tendat appetitus, dum affectu commovetur animus; favor tendit ad præferendum eum, cui favemus, in felicitate promovenda aliis, quos amamus. *Quo tendat favor.*

Commendatione noſtra ei, quem commendamus, favorem alterius conciliare ſtudemus. Non vero aliud intendimus, quam ut is aliis, quibus idem quod petitur præſtari poterat, præferatur. Dantur equidem caſus, in quibus nulli ſunt competitores; iidem tamen non adverſantur intentioni commendantis. Etenim tum intenditur, ut perſona, quæ commendatur, digna judicetur, cui quod petitur præſtetur, etiamſi aliis ſimile quid vel idem petentibus denegaretur. Cum vero dentur gradus favoris, ſicuti amoris alterius cujuscunque; prælationi quoque locus eſt inter eos, quibus favemus, quemadmodum jam alias monuimus (*not. §. 793. Pſych. empir.*). Ea quoque ratio eſt, cur perſo-

nis favorabilibus ornandis non idem ſtudium detur. Exempla in aulis Principum obvia, ubi plus valet favor, quam merita, quamvis non repugnet, ut favor meritis concitetur (§. 791. *Pſych. empir.*). Aſt aurea nondum adſunt ſecula, in quibus veritas vincit opinionem.

§. 384.

De ſpe & fiducia concitanda.

Si cui perſuadeas bonum quoddam, quod cupit, ipſi obtentu poſſibile eſſe; ſpes concitatur. Quodſi eidem perſuadeas, id obtentu facillimum eſſe, ut de eo obtinendo nulla ſuperſit dubitatio; fiducia concitatur. Etenim ſi cui perſuadeas bonum quoddam, quod cupit, ipſi obtentu poſſibile eſſe; is idem tanquam obtentu poſſibile ſibi repræſentat. Quodſi vero quis ſibi bonum tanquam obtentu poſſibile repræſentat, ſpes oritur (§. 797. *Pſych. empir*). Quamobrem ſi cui perſuadeas bonum, quod cupit, ipſi obtentu poſſibile eſſe, ſpes concitatur. *Quod erat unum.*

Similiter ſi cui perſuadeas bonum, quod cupit, obtentu facillimum eſſe; is ſibi idem tanquam obtentu facillimum repræſentat, nullus dubitans, quin obtenturus ſit. Enimvero cum ex repræſentatione boni tanquam obtentu facillimi naſcatur fiducia (§. 802. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuadeas bonum, quod cupit, obtentu facillimum eſſe, ut ſcilicet de eo obtinendo nulla dubitatio ſuperſit, fiducia concitatur. *Quod erat alterum.*

Suminus nos bonum cupere, quod ſperamus, conſequenter cupiditatem ſemper præcedere ſpem: antequam enim bonum cupimus, nec de eo cogitatur, utrum obtentu ſit facile, an difficile, aut prorſus impoſſibile. Antequam igitur ſpes concitatur, cupiditas concitanda eſt. Quamvis enim alteri perſuadeas bonum aliquod ab eo facile obtineri poſſe; ſi tamen id habere

habere nolit, nec ſperabit, ſe id obtenturum. Quodſi ipſi obtingat, præter ſpem & expectationem id eveniet, immo ſi id habere nolit, accipere recuſabit. Idem tenendum eſt de fiducia, quæ a ſpe nonniſi gradu differt (§. 796. *Pſych. empir.*).

§. 385.

Quo tendat ſpes.

Spes tendit ad bonum, quod cupimus, obtinendum, ſeu ejus expectationem. Qui enim bonum cupit, id habere vult, quod per ſe patet. Quoniam vero qui ſperat ſe id obtenturum, is ſibi idem repræſentat tanquam obtentu poſſibile (§. 797. *Pſych. empir.*); vehementius idem appetit, ut idem expectet. Spes igitur tendit ad bonum, quod cupimus, obtinendum, ſeu ejus expectationem.

Quando bonum cupimus, porro jam inquirimus, utrum obtentu ſit facile, an difficile Quodſi obtentu impoſſibile videatur, quantacunque ſit cupiditas, ad idem tamen obtinendum non inclinatur appetitus, ideoque de eo obtinendo omnis abjicitur cogitatio. Si idem obtentu difficile videatur, de difficultatibus ſuperandis deſperantes minime ſolliciti ſumus de modo, quo id obtineri poſſit, nec ullus adhibetur conatus idem obtinendi. In utroque igitur caſu appetitus non tendit ad idem obtinendum. Quodſi vero bonum, quod cupimus, a nobis obtineri poſſe probabile videtur; id obtinere conamur, atque ita ſpei, quæ concitatur, ineſt appetitio obtentionis boni. Equidem fieri poteſt, ut bonum, quod cupimus, nec tanquam obtentu impoſſibile, vel difficile, nec tanquam obtentu facile videatur, & hoc tamen non obſtante idem obtinere conemur: ſed tum in incerto aleam ſubire malumus, quam omnem cogitationem de eodem obtinendo abjicere, ne ſi forte contingat nos id obtinere potuiſſe, neglectus nos pœniteat.

§. 386.

Digitized by Google

§. 386.

Quo tendat fiducia.

Quoniam fiducia nonniſi ſublimis gradus ſpei eſt (§. 796. *Pſych. empir.*), ſpes autem tendit ad bonum, quod cupimus, obtinendum (§. 386.); *ſi fiducia commovetur animus, in bonum, quod cupimus, obtinendum fortius fertur appetitus, ſeu fiducia tendit ad certam boni expectationem.*

Si fiducia commoventur animus, nobis prorſus certum videtur bonum, quod cupimus, a nobis obtentum iri (§. 804. *Pſych. empir.*). Ardet igitur cupiditas habendi, ac inde tendentia ad bonum obtinendum efficitur fortior, ut impatiens efficiatur ejus expectatio. Vide, quæ alias dicta ſunt, cum definitiones noſtras ſpei atque fiduciæ uſui loquendi conformes evinceremus (§. 803. *Pſych. empir.*).

§. 387.

De cupiditate concitanda

Si cui perſuaſeris rem quandam abſentem ipſi fore bonam eamque obtentu eſſe poſſibilem; cupiditas concitatur. Quodſi enim alicui perſuaſeris, rem quandam abſentem, hoc eſt, quam nondum habet, ipſi fore bonam, eamque obtentu eſſe poſſibilem; is non modo eandem ſibi tanquam bonam repræſentat, ideoque voluptatem ex ea percipit & tanquam voluptatis creatricem eandem conſiderat, ſiquidem eam haberet (§. 558. *Pſych. empir.*), verum etiam eandem a ſe obtineri poſſe putat. Quoniam itaque ex iſtiusmodi boni repræſentatione cupiditas oritur (§. 810. 811. *Pſych. empir.*); cupiditas utique concitatur, ſi alteri perſuaſeris rem quandam abſentem ipſi fore bonam eamque obtentu eſſe poſibilem.

Neminem appetere id, quod obtentu ſibi impoſſibile judicat, adeo notum eſt, ut in dubium revocari minime poſſit. Quamobrem hanc conditionem in definitione reali cupiditatis

tatis tacite ſuppoſuimus (§. 810. *Pſych. empir.*); expreſſam tamen ejus mentionem facere noluimus, quia ſubinde cupiditas extenditur ad ea, quæ a nobis obtineri non poſſunt, quæ habere tamen mallemus, ſi quidem ea obtentu nobis poſſibilia eſſent (§. 811. *Pſych. empir.*): in aſt hoc caſu cupiditas vix naſcens in ipſo ortu ſuffocatur & in alios affectus pro datis circumſtantiis abit, quemadmodum jam alias monuimus (§, *cit.*). Quod vero poſſibilitas obtinendi bonum, quod nondum habemus, differat ab ea, quæ in ſpe ſpectatur, quatenus ſuperadditur opinio facilitatis, alias quoque monuimus (§. *cit.*). Cupiditas ſemper præcedit ſpem (*not.* §. 384.), aſt non ſemper in ſpem abit. Quando enim a ſola voluntate noſtra dependet, utrum rem acquirere velimus, nec ne, ſpei locus non eſt, in quam demum tunc abit cupiditas, quando aliæ adhuc cauſæ concurrere debent, quarum concurſus poteſtati noſtræ ſubjectus non eſt. Quomodo vero conſervatio boni, evitatio mali abſentis & liberatio a præſente ſpectentur tanquam bonum abſens, ut ideo fiant objectum cupiditatis, alias quoque jam demonſtravimus (§. 812. *Pſych. empir.*). Alibi igitur dicta hic repetenda non ſunt, non tamen prorſus ſilentio prætereunda, cum in præſenti interſit animum ad ea attendere. Id adhuc addendum eſt, quatenus rationes probabiles adſunt pro boni præſentis conſervatione, pro evitatione mali abſentis & pro liberatione a malo præſente, ſpem quoque oriri fore, ut bonum præſens conſervetur, malum abſens evitetur & malum præſens auferatur: id quod cum experientia conſentit. Adeſt tam in cupiditate, quam in ſpe probabilitas obtinendi bonum abſens, major tamen requiritur ad ſpem, quam ad cupiditatem concitandam. Unde eſt, ut non ſtatim ſperemus, quod cupimus. Probe autem tenendum, non omnibus eadem æque probabilia videri, ita ut probabilitas, quæ uni ſufficit ad ſpem concipiendam, alteri minus ſufficiat. Denique notandum eſt, quando rem abſentem nobis repræſentamus tanquam

bonam, eam repræſentari tanquam voluptatis creatricem, & quatenus bona agnoſcitur actu jam voluptatem quandam percipi, in cujus perceptione præguſtus ille voluptatis conſiſtit, quem ad cupiditatem requiſivimus (§. 805. *Pſych. empir.*). Etſi enim res ipſa, cujus cupiditas excitatur, adhuc ignota ſit, per ea tamen, quibus ejus bonitas perſuadetur, animo ingignitur voluptas quædam affinis, quatenus cuidam ex re alia jam perceptæ aſſimilatur. Ideo quoque contingit, ut, quando re cupita potimur, haud raro confiteamur nos longe aliter de voluptate inde percipienda ſenſiſſe, quam nunc eandem experimur.

§. 388.

Quo tendat cupiditas.

Cupiditas tendit ad bonum abſens obtinendum, & ſi præſens repræſentatur ut conſervandum, ad idem conſervandum, ſi malum abſens ut evitandum, ad idem evitandum, ſi vero quod præſens eſt ut auferendum, ad liberationem ab eodem. Etenim ſi quod nobis placet nondum habemus, habere tamen volumus, id cupimus (§. 806. *Pſych. empir.*). Tendit itaque cupiditas ad id, quod nondum habemus, habendum, conſequenter ad bonum abſens obtinendum. *Quod erat unum.*

Enimvero quoniam etiam cupimus boni conſervationem, ſi præſens nobis repræſentamus ut conſervandum, mali evitationem, ſi idem nobis repræſentamus tanquam evitandum, & mali ablationem, ſi idem nobis repræſentamus tanquam auferendum (§. 812. *Pſych. empir.*); ſi bonum præſens repræſentatur tanquam conſervandum, cupiditas ad ejus conſervationem tendit; ſi malum abſens repræſentatur ut evitandum, cupiditas ad ejus evitationem tendit; ſi denique malum præſens repræſentatur ut auferendum, cupiditas ad idem auferendum, ſeu ad liberationem ab eodem tendit. *Quod erat alterum.*

Sicu-

Digitized by Google

Sicuti bonum eſſe debet obtentu poſſibile, ſaltem opinione noſtra, ut id cupiamus; ita quoque bonum præſens, quo fruimur, ſpectari debet tanquam amiſſibile, attamen conſervabile, ut ad ejus conſervationem tendat cupiditas. Similiter neceſſe eſt ut, ſi cupiditas tendere debet ad mali abſentis evitationem, & ad liberationem a præſenti, tam evitatio mali abſentis, quam liberatio a præſenti videatur poſſibilis. Ceterum quando cupimus boni conſervationem, mali abſentis evitationem & a præſenti liberationem, affectus alii diverſi pro diverſitate circumſtantiarum concurrere poſſunt, ut cupiditas ægre agnoſcatur & quæ ad eandem referenda ab aliis difficulter diſcernantur. Notandum vero, poſſe etiam bonum in genere ſpectatum eſſe objectum cupiditatis & ſimiliter malum in genere ſub iis conditionibus ſpectatum, quas in propoſitione expreſſimus. Et hinc patet, cupiditatem naturaliter homini inditam eſſe, quatenus appetitus generaliter determinatus eſt ad bonum (§. 904. *Pſych. empir.*). Inprimis autem adhuc notandum eſt, quamvis non minus in cupiditate, quam in ſpe ſupponatur bonum eſſe obtentu poſſibile, in illa tamen potiſſimum animum attendi ad boni abſentiam, in hac vero ad bonum obtinendi poſſibilitatem & facilitatem, ut in illa obtinendi poſſibilitas quaſi tacite ſupponatur, quatenus de impoſſibilitate, vel difficultate nulla incidit cogitatio. Plurimum autem intereſt, num perceptio aliqua nobis minime conſciis influat in appetitum, an vero nobis conſciis, ut in determinando appetitu prædominetur. In caſu enim poſteriori repræſentatio poſſibilitatis & facilitatis obtinendi potiſſimum influit in appetitum ſenſitivum, ut concitetur ſpes; in priori autem repræſentatio boni tanquam voluptatis creatricis, ut concitetur cupiditas. Differentia itaque in modo utriusque affectus concitandi attendenda & diverſitas tendentiæ, qua percepturitio explicatur (§. 481. *Pſych. rat.*), inde eluceſcit.

§. 389.

De fuga concitanda.

Si cui perſuaſeris rem quandam abſentem, quæ præſens fieri poteſt, ipſi eſſe malam, fuga concitatur. Etenim ſi cui perſuaſeris, rem quandam abſentem, quæ præſens fieri poteſt, ipſi eſſe malam; is malum hoc ſibi repræſentat. Quamobrem cum ex hac repræſentatione oriatur fuga (§. 818. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris, rem quandam abſentem, quæ præſens fieri poteſt, ipſi eſſe malam, fuga concitatur.

Sumimus malum, cujus repræſentatione concitatur fuga, tale eſſe debere, quod præſens fieri poteſt. Quodſi enim id, quod malum eſſe quoad nos, agnoſcimus, fuerit tale, ut a nobis acquiri vel nobis obtingere minime poſſit, iſtud non curamus, conſequenter in appetitum & averſationem minime influit, neque ideo ejus repræſentatione affectus ullus concitari poteſt (§. 603. *Pſych. empir.*). Ac propterea in definitione reali fugæ hanc conditionem, quæ per ſe intelligitur, tacite ſuppoſuimus, prouti jam alias monuimus (*not.* §. *cit.*). Ceterum facile intelligitur, ſub rebus malis, quæ præſentes fieri poſſunt, comprehendi quoque facta tam poſitiva, quam privativa, quæ nobis tædia creare poſſunt. Opponitur fuga cupiditati. Quamobrem quæ de cupiditate diximus, fugæ quoque multum lucis affundunt.

§. 390.

De amore ante cupiditatem & odio ante fugam concitando.

Antequam cupiditas concitatur, amor; antequam fuga, odium concitandum. Cupiditas enim ex amore naſcitur, amor nimirum præcedit, cupiditas amorem ſequitur (§. 807. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo cupiditas concitanda, amor ante concitandus eſt, *Quod erat unum.*

Simili-

Similiter fuga ex odio naſcitur, odium nimirum præcedit, fuga odium ſequitur (§. 815. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo fuga concitanda, ante concitandum eſt odium. *Quod erat alterum.*

Quodſi perpendamus, quomodo cupiditas & amor brutorum atque rerum inanimatarum, fuga & odium brutorum atque rerum inanimatarum concitetur; clariſſime perſpicitur, cupiditatem concitari non poſſe niſi prævio amore, nec fugam niſi prævio odio. Etenim cupiditas concitatur repræſentatione boni, quod acquirere poſſumus (§. 387). Si res repræſentatur tanquam bona, hoc eſt, tanquam voluptatis creatrix (§. 558. *Pſych. empir.*), amor ejus concitatur (§. 289.); quodſi eadem ſit acquiſitu poſſibilis, cupiditas. Præcedit itaque amor, ſequitur cupiditas, etſi tempore ſubinde vix perceptibili, ut quaſi una oriatur uterque affectus, & ad cupiditatem attenti amorem non appercipiamus. Similiter fuga concitatur repræſentatione mali, quod præſens fieri poteſt (§. 389.). Si res repræſentatur tanquam mala, hoc eſt, tanquam tædiorum ſive moleſtiarum creatrix (§. 569. *Pſych. empir.*), odium concitatur (§. 306.); quodſi porro conſideretur, quod præſens fieri poſſit, fuga. Præcedit itaque odium, fuga ſequitur, utut denuo tempore ſubinde vix perceptibili, ut uterque affectus quaſi una oriatur, & ad fugam animum attendentes odium non appercipiamus. Quamvis hæc nimis ſubtilia videantur, quia vulgo a cupiditate non diſcernitur amor prævius, nec a fuga odium prævium; ea tamen probe notanda ſunt, cum non modo uſui ſint in concitanda cupiditate & fuga, verum etiam in reliqua praxi morali, quæ affectus concernit. Subtilitatem accuſant, qui non facile obſervabilia, quæ acumen ipſorum in obſervando effugiunt, a ſe invicem diſcernere non ſolent: aſt aliorum imperitia nullum facit veritati præjudicium, quæ ſemper fructuoſa eſt, ſi quidem intellectus fuerit ſatis excultus, comparanda ideo ſemini fœ-

cundo ægro fertili commiſſo. Neſcit quid ſit acumen, qui ſubtilitatem in diſtingvendis iis, quæ diverſa ſunt, atro carbone notat, nec perpendit, ad errorem pandi viam, ad veritatem præcludi, ſi quæ diverſa ſunt in unum confundantur, nec a ſe invicem ſeparentur.

§. 391.

Quo tendat fuga.

Fuga tendit ad impediendum, ne malum, quod præſens fieri poterat, præſens fiat, ſeu quod exiſtere poterat exiſtat. Quod enim fugimus, id nobis repræſentamus tanquam malum quoad nos (§. 816. *Pſych. empir.*), conſequenter idem averſamur (590. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque averſatio tendit ad depellendum malum iſtud, quod cum abſens ſit, præſens fieri poterat (§. 250.), depellitur autem, ſi impeditur, ne præſens fiat, ſeu actu exiſtat; fuga tendit ad impediendum, ne malum, quod præſens fieri poterat, præſens fiat, ſeu quod exiſtere poterat, actu exiſtat.

Objectum fugæ admodum generale eſt, cum extendatur ad id omne, quod nobis quomodocunque tædium ſive moleſtiam creare poteſt, ſaltem opinione noſtra. Quamobrem impedimentum quoque ſumitur pro eo omni, quo efficitur, ne quod nobis moleſtiam creare poterat exiſtat, quamvis in hoc quoque diſcernendo ſubtili haud raro acumine opus ſit, quemadmodum mox patebit. Tendit etiam cupiditas ad evitandum malum abſens, quod præſens fieri poterat; quod tamen tribuendum cupiditati non prorſus idem eſt, quod fugæ debetur. Nimirum ſi diſtincte explicandum quod affectus hic involvit, quando nobis repræſentamus, aliquid nobis moleſtiam creare poſſe, ſi actu exiſtat, id exiſtere nolumus, ſicque in nobis exiſtit conatus impediendi, ne perceptioni prævisæ in nobis locus ſit (§. 496. *Pſych. rat.*). Atque hoc modo fuga tendit ad impediendum,

ne

ne malum, quod exiſtere poterat, exiſtat. Quodſi jam porro conſideremus, ſi malum prævisum non exiſtat, id a nobis evitari, cum evitatio mali bona ſit (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque ſpectetur tanquam voluptatis creatrix (§. 558. *Pſych. empir.*), fuga influit in appetitum ſenſitivum & in eodem excitat cupiditatem evitandi malum, E. gr. ponamus noctu, nobis dormientibus, oriri incendium in ædibus noſtris, ut in periculo vitæ conſtituti ſimus. Malum, quod adhuc abſens eſt, ſed præſens fieri poteſt, in eo conſiſtit, ut igne crememur, conſequenter actionem flammæ feralis ſpectamus tanquam malam quoad nos. Quando igitur fuga concitatur, affectus tendit ad impediendum, ne actioni iſti ſit locus, & per conſequens ad periculum hoc, quod jamjam imminet, a nobis avertendum. Quodſi vero evitationem caſus tam funeſti ſpectemus tanquam nobis bonum, cupiditas excitatur eum evitandi, & hoc modo fugam prævium cupiditas ſequitur, aut eandem comitatur. Hunc fugæ in appetitum ſenſitivum influxum cum non adverterit *Carteſius*, evitationem periculi a conatu impediendi, ne perceptionibus prævisis locus ſit, non diſtingvens fugam a cupiditate evitandi malum, ſeu id, quod moleſtiam creare poteſt, non diſcrevit, quemadmodum jam alias monuimus (*not.* §. 819. *Pſych. empir.*): id quod tanto facilius accidere poterat, quia facultatem averſandi a facultate appetendi non diſtinxit, ſed communi more averſiones ad appetitum retulit, nec in animo admiſit niſi ea, quorum nobis conſcii ſumus.

§. 392.

De fuga actionum malarum.

Quia fuga tendit ad impediendum, ne malum quod exiſtere poterat, exiſtat (§. 391.), impeditur autem, ne actio mala exiſtat, quam patrare poteramus, ſi ab ea nos abſtineamus: *ſi actionem malam fugimus, fuga tendit ad nos abſtinendum ab eadem*, & per conſequens *ſi eam cupimus tanquam*

quam voluptatis in præsenti creatricem, fuga repræsentatione molestiarum in posterum creandarum concitata tendit ad eam omittendam & cupiditati resistit.

Discimus hinc, quomodo tendentia in casibus particularibus sit explicanda, ne in βαττολογίαν incidamus: id quod non modo in omni affectuum doctrina observandum, verum etiam in aliis doctrinis generalibus. Cum desint vocabula, quibus satis apte abstracta & a sensu nimis remota indigitare valemus; in mente aliorum interpretanda non tam ad vocabula animus attendendus, quam ad rem ipsam, ut ex ea deriventur notiones illis jungendæ, ne iisdem affingamus, de quibus minime cogitarunt. Poteramus ulterius vi propositionis præsentis ostendere, quomodo fuga vincat cupiditatem, ne voluptas nocua nos seducat; sed de eo rectius agetur inferius. Placuit casum fugæ actionum malarum diserte commemorare, quia ejus magnum momentum est in praxi morali.

§. 393.

De metu, timore & desperatione concitandis.

Si alteri persuaseris, malum quoddam eventu possibile esse, metus concitatur: si persuaseris, malum jam appropinquare, seu imminere, timor concitatur: si denique persuaseris malum, quod appropinquat, non esse evitabile idemque fore intolerabile, desperatio concitatur. Quodsi enim alicui persuaseris, malum quoddam eventu possibile esse, is sibi malum hoc tanquam eventu possibile repræsentat. Quamobrem cum metus oriatur, si quis sibi malum tanquam eventu possibile repræsentat (§. 822. *Psych. empir.*); si cui persuaseris malum quoddam eventu possibile esse, metus concitatur. *Quod erat primum.*

Similiter si quis alteri persuaserit, malum jamjam appropinquare, seu imminere; is sibi malum tanquam appro-

pinquans, ſeu imminens repræſentat. Quamobrem cum opinione mali appropinquantis, ſeu imminentis, timor excitetur (§. 823. *Pſych. empir.*); idem concitabitur, ſi alteri perſuaſeris, malum jamjam appropinquare, ſeu imminere. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi alteri perſuaſeris, malum eſſe evitatu impoſſibile idemque ipſi fore intolerabile; is ſibi malum tanquam inevitabile atque intolerabile repræſentat. Quamobrem cum deſperatio oriatur, ſi nobis malum tanquam inevitabile, ac inprimis ſi ſimul tanquam intolerabile repræſentemus (§. 825. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris, malum eſſe invitabile, idemque fore intolerabile, deſperatio concitatur. *Quod erat tertium.*

Metus, timor & deſperatio ſunt affectus nonniſi gradu differentes. Pendet gradus affectus a probabilitate eventus, quem in ſuo genere auget magnitudo mali, ita ut metus & timor nunc major ſit, nunc minor, prouti opinione noſtra malum majus, vel minus eſt. In deſperatione autem tantum cenſetur malum, ut a nobis tolerari non poſſit, & opinio intolerabilitatis gradum deſperationis maxime intendit. Quando autem nobis malum repræſentamus tanquam inevitabile, pro certo habemus, id eventurum. Quamobrem deſperationi quoque locus eſt, ſi nobis certum ſit id eventurum eſſe, veluti ſi ſententia de ultimo ſupplicio ad idem condemnato publicatur, ſi quis videt ſe ex flammis feralibus ſalvum evadere non poſſe, vel fieri non poſſe, ut incendium ab ædibus ſuis avertatur. Varia ad differentiam horum affectuum ſpectantia commemoravimus, cum definitiones metus, timoris & deſperationis recepto ſignificatui conformes evinceremus (§. 826. *Pſych. empir.*), quæ ibidem legi poſſunt. Major probabilitas requiritur, ut malum tanquam appropinquans ſpectetur, quam ut tanquam

eventu poſſibile conſideretur. In caſu poſteriori ſubinde fere ſufficit probabilitas intrinſeca, cum in priori requirantur etiam ad extrinſecam requiſita, & in caſu deſperationis jam adſunt, quæ extrinſecam determinant, aut ſaltem determinare poſſunt. Conſtat vero etiam, quantum varient hominum in æſtimanda probabilitate opiniones, præſertim cum ea nondum ſit certis regulis adſtricta, ut nec eruditi & ſcientia excellentes eam ex vero æſtimare didicerint. In concitandis autem affectibus, immo in reliqua etjam praxi morali multum uſum haberet Logica probabilium.

§. 394.

Quod metus præſupponat fugam.

Quoniam repræſentatione mali, quod ſibi obtingere poſſe quis opinatur, fuga concitatur (§. 818. *Pſych. empir.*), quando vero quis ſibi repræſentat malum tanquam eventu poſſibile, attentione ſcilicet in poſſibilitatem eventus directa, metus (§. 822. *Pſych. empir.*), & ſi alteri perſuadere velis, malum quoddam eventu eſſe poſſibile, ipſi quoque perſuadere debes id, quod eventu poſſibile, eſſe malum, quod ipſi obtingere poteſt; *quando metus concitandus, ante concitanda fuga* (§. 393.), *aut fuga & metus uno quaſi actu concitantur.*

Metus opponitur ſpei. Sicuti ergo ſpes concitari nequit, niſi ſupponatur te bonum cupere, ita ut cupiditas præcedat ſpem, ſpes ſequatur, aut veluti illam comitari ut plurimum videatur; ita etiam nemo metuit malum, quod non fugit, cum id parum curet, ideoque animus ad idem indifferenter ſe habeat. Dubium, quod oriri poterat in modo concitandi utrumque affectum, ſupra jam removimus, cum de cupiditate concitanda ageremus (*not.* §. 387. quæ enim ibidem de ſpe & cupiditate dicta ſunt, ea etiam ad metum & fugam applicanda. Diximus ideo, ſi malum tanquam eventu poſſibile repræſentetur, attentionem potiſſimum diri-

gi

gi in poſſibilitatem eventus: aſt quando malum, quod nobis obtingere poteſt, repræſentatur, attentio potiſſimum dirigitur ad moleſtiam, quam creat, ſiquidem præſens ſit. Cetera repetere nolumus, quæ quivis per ſe ad affectus præſentes facile applicabit: ſed demus exemplum. Qui ſpectra metuit, manus violentas ſibi ab iis inferri poſſe arbitratur. Quando igitur cogitatio de vi a ſpectris illata animum ſubit, cum hanc illationem poſſibilem eſſe putet, fuga concitatur. Enimvero ſi in tenebris ſolus commoretur, atque ſpectra comparere poſſe, conſequenter vim ſibi inferre putet, metu concutitur, immo ſi forte ſtrepitum quendam audit, cujus ipſi cauſa ignota eſt, cum vi imaginationis ſpectrum tanquam præſens & ad nos accedens propius ſiſtitur, metus in timorem degenerat. Notandum vero eſt malum, quod metuimus, non eſſe ſpectrum, ſed vim, qua ipſum impetiturum eſſe corpus noſtrum putamus. Quamvis itaque ſpectrum nobis jam præſens eſſe videatur, metus tamen adhuc durat, quoniam malum, quod imaginamur, nondum adeſt, ſed ſaltem adhuc tanquam eventu poſſibile conſideratur.

§. 395.

De difficultate rei, quam cupimus, potiundæ.

Si cui rei, quam cupit, potiundæ difficultatem repræſentas; metus concitatur. Quod enim cupimus, id nobis repræſentamus tanquam bonum (§. 808. *Pſych. empir.*), conſequenter ejus jacturam tanquam malum (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*). Quodſi putemus, adeſſe difficultatem rei, quam cupimus, potiundæ; jacturam iſtam tanquam eventu poſſibilem nobis repreſentamus. Quamobrem cum metus concitetur, ſi alteri perſuaſeris malum quoddam eventu poſſibile eſſe (§. 393.); metus quoque concitabitur, ſi alteri perſuaſeris rei, quam cupit, potiundæ difficultatem.

Ad hunc caſum particularem reſpexit *Carteſius* in definiendo metu (§. 816. *Pſych. empir.*), quem dubio procul ipſi in memoriam revocaverat ſpes, de qua modo cogitaverat, attentionem ab aliis avocans. Conſtat nimirum ſpem degenerare in metum, quando cogitatio difficultatis rei, cujus ſpem conceperamus, potiundæ animum ſubit, nos ſpem abjicere & metui locum facere. Obtinet etiam hic differentia inter timorem, metum ac deſperationem, quam ſupra notavimus (§. 393.), pro diverſitate ſcilicet difficultatis rei potiundæ, quæ nunc magis, nunc minus probabilem reddit ſpei fruſtrationem. Fieri haud raro ſolet, ut magnam rei potiundæ ſpem concipiamus; aſt ubi poſthac emergunt, aut nobis innoteſcunt difficultates antea cognitæ, metus ſpei ſociatur, ut inter ſpem & metum quaſi medii hæreamus, aut metus ſpem prorſus vincat, præſertim ſi ad eum gradum propius acceſſerit, in quo deſperatio conſiſtit.

§. 396.

Quo tendat metus, timor & deſperatio.

Metus, timor & deſperatio tendunt ad malum venturum a nobis amoliendum, eſtque ſollicitudo id faciendi major in timore, quam in metu, & in deſperatione major, quam in timore. Quod enim metuimus, id nobis repræſentamus tanqum malum eventu poſſibile (§. 821. *Pſych. empir.*), conſequenter idem averſamur (§. 590. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum omnis averſatio tendat ad aliquid depellendum (§. 250.), & huc etiam tendat omnis affectus, qui in averſione vehementiori conſiſtit (§. 252. *h.* & §. 603. *Pſych. empir.*), in metu autem ſpectetur malum venturum (§. 820. *Pſych. empir.*); metus tendit ad malum venturum a nobis amoliendum. *Quod erat unum.*

Cum timor & deſperatio non ſint niſi gradus majores metus & gradus in deſperatione ſit ſummus (§. 823. 825.

825. *Pſych. empir.*); timor quoque & deſperatio tendunt ad malum venturum amoliendum, *per demonſtrata n. 1.* Quoniam vero in timore malum ſpectatur tanquam appropinquans (§. 823 *Pſych. empir.*), in deſperatione tanquam inevitabile (§. 825. *Pſych. empir.*); ſollicitudo idem amoliendi major eſt in timore, quam in metu, & in deſperatione major, quam in timore. *Quod erat alterum.*

Sollicitudinem mali amoliendi in metu & timore produnt facta metuentium, prodit quoque ſermo. Si ædes non longo admodum intervallo a noſtris remotæ ardent, quo noſtras etiam corripi poſſe putamus; de rebus noſtris ſervandis & ædibus noſtris adverſus flammas tuendis ſolliciti ſumus. Quicquid ad reſtingvendum incendium conferre poſſumus, id conferimus, alios ad reſtingvendum adhortamur & de neglectu in reſtingvendo obſervato conquerimur, aliorum quoque auxilium imploramus. Creſcit hæc ſollicitudo cum ipſo affectu, quo magis incendium appropinquat. Quando malum jam imminens inevitabile videtur, deſperatio ducit ad extrema tentanda, ut homines e. gr. in incendiis rerum ſervandarum cauſa ſubeant periculum vitæ, vel ex lecto proſilientes per flammas ab utroque latere ſævientes fugiant itaque veſtimenta iis conſumendas relinquant. Pertinet huc fuga criminis capitalis rei, omnia ſua bona, quæ poſſidet, derelinquentis. Immo huc etjam pertinet, ſi quis pœnæ evitandæ cauſa violentas manus ſibimet ipſi infert, aut ſi deſperatio huc ducit eum, cujus omnia bona incendio abſumta ſunt.

§. 397.

Quoniam metus tendit ad malum venturum amoliendum (§. 396.), pœna vero malum phyſicum eſt, quod propter malum morale, hoc eſt, factum lege prohibitum, *Quo tendat metus pœnæ.*

infligitur (§. 285. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & pœna evitatur, ideoque malum iſtud a nobis amolimur, ſi ab actione lege prohibita committenda nos abſtineamus, quod per ſe patet; *metus pœnæ tendit ad factum lege prohibitum non committendum, vel præceptum non omittendum.*

Hinc patet ratio, cur alterum obligemus ad actiones lege prohibitas non committendas ſanctione pœnali. Hac ipſa enim non aliud intenditur, quam ut metus incutiatur iis, qui actiones iſtas committere mallent. Actionis enim omiſſio nonniſi mediate intenditur, aut intendi poteſt. Quodſi in omiſſionem facti, quod lege præcipitur, pœna fuerit ſtatuta, cum tunc omiſſio ſit prohibita, perinde omnino eſt factum præceptum non omittere, ac prohibitum non committere. Exempla ut dentur opus non eſt, cum adeo obvia ubivis ſint, ut a nemine ignorentur.

§. 398.

Quando deſperatio in triſtitiam abeat.

Si nobis certi eſſe videmur, quod malum adventurum evitare nequeamus; deſperatio in triſtitiam abit. Quando enim nobis certi eſſe videmur, quod malum adventurum evitare nequeamus; nulla novimus media, quibus uti poſſemus id evitaturi, conſequenter ceſſat omnis ſollicitudo malum iſtud a nobis amoliendi. Quamobrem cum malum adventurum inevitabile nobis repræſentemus per modum rei præſentis, id quod tanto facilius contingit in perceptionibus confuſis affectuum genetricibus (§. 605. 609. *Pſych. empir.*), ex quali autem præſentis repræſentatione oriatur triſtitia (§. 623. *Pſych. empir.*); ſi nobis certi eſſe videmur, quod malum adventurum evitare nequeamus, deſperatio in triſtitiam abit.

Experientia propoſitionem præſentem confirmat. Videmus enim quod homines, qui deſperant ſe malum adventurum a ſe

a ſe amoliri poſſe, lachrymis & luctui ſe dent, non aliam rationem allegantes, quam quod ignorent, quomodo malum, quod adventurum eſt, effugere poſſint. Cum deſperatio ſupponat malum eventu poſſibile, ſi eveniat, nobis inevitabile fore; quando de ejus adventu non amplius dubitamus & id a nobis evitari non poſſe pro certo habemus, deſperatio utique ceſſat. Probant idem exempla maleficorum, publicata ſententia ſupplicii ultimi.

§. 399.

Quoniam deſperatio in triſtitiam abit, ſi nobis certi eſſe videmur, quod malum adventurum evitare nequeamus (§. 398.); triſtitia vero tendit ad depellendam infelicitatem (§. 279.); *ſi nobis certi eſſe videmur, quod malum evitare nequeamus, quod jamjam imminet, triſtitia, in quam abit deſperatio, tendit ad implorandum opem aliorum & hac deficiente ad effundendum querelas.* *Quo tendat triſtitia iſta.*

Ita ſi quis ædibus conflagrantibus inde exire non poſſit vitam ſuam ſervaturus; eum audias triſti clamore implorare opem aliorum &, ubi impoſſibile eſt, ut opem ferant alii, triſtiſſimas audias ingemiſcentis querelas, & omni ſpe auxilii deſtitutum adhuc quærere, an nemo ſit, qui ſibi opem ferre poſſit. Reus ad mortem condemnatus cum videat ſe ultimum ſupplicium evitare non poſſe, totum ſe triſtitiæ dat. Quodſi tamen oblata videatur occaſio aufugiendi ex carcere; eam ambabus manibus amplectitur & fuga vitæ ſuæ conſulere conatur. Redux igitur facta deſperatio jubet tentari medium extremum, quod ipſi ſupereſſe videtur ad vitam ſervandam, conſequenter ad malum imminens a ſe amoliendum. Aſt ſi in triſtitia manet, opem aliorum ſaltem implorat in miſeria ſublevanda, quam fruſtra implorari agnoſcit, ut ab ea liberetur. Audias tamen etiam ab eo querelas, quod omni auxilio ſe deſtitutum ſentiat, nec quisquam ſit, qui ipſi opem ferre poſſit.

§. 400.

§. 400.

De terrore concitando.

Si quis certior redditur, præter omnem opinionem & expectationem eveniſſe aliquod malum, quod ingens eſſe putat; terror ipſi injicitur. Quodſi enim quis certior fit, præter omnem opinionem & expectationem ingens quoddam malum eveniſſe; is malum hoc ſibi repræſentat. Quamobrem cum terror oriatur ex adventu mali improviſi, præter omnem expectationem & opinionem accidentis (§. 829. *Pſych. empir.*); ſi quis certior redditur, præter omnem opinionem & expectationem eveniſſe aliquod malum, quod ingens eſſe putat, terror ipſi injicitur.

Ponamus tibi nunciari, in prædio tuo ſævire incendium; quin terrorem tibi injiciat nuncius dubitandum non eſt. Ita qui incendia valde metuit, audito ſigno ſuborti incendii, quod publice dari ſolet, in terrorem conjicitur, quo exemplo jam uſi ſumus alias in definitione reali terroris illuſtranda & confirmanda (§. 829. *Pſych. empir.*). Sufficit nimirum ad concitandum terrorem in incerto opinio probabilis periculi præſentis. Quantum vero variet hominum de probabilitate periculi præſentis opinio, nemo eſt qui neſciat. Quamobrem non eſt, quod miremur, eundem caſum non omnibus inferre terrorem, nec omnibus eundem. Pertinet huc quoque exemplum eorum, quos terror invadit, ſi ex improviſo ſibi apparere putant ſpectrum, a quo ſibi timere ſolent. Probe autem notandum eſt, in terrore mali repræſentationem potiſſimum influere in averſationem ſenſitivam, quatenus ex improviſo adventat; adventu improviſo enim abſente non terror, ſed vel metus, vel timor, vel deſperatio, vel ſaltem triſtitia concitatur, prouti circumſtantiæ ceteræ huic, vel alii affectui locum faciunt. Hoc tamen non obſtante magna quoque vis eſt magnitudinis mali, in quo æſtimando unusquisque ſuo ſenſu abundat, quodque

que ab omnibus eodem modo æſtimari nequit: quod enim uni graviſſimum eſt atque intolerabile, id alteri leve ac tolerabile eſſe poteſt. Quantum igitur dandum ſit opinioni ejus, cui terror infertur, ex circumſtantiis ſingularibus definiendum.

§. 401.

Quoniam terror ei injicitur, cui adventus mali improviſus nunciatur (§. 400.), quem vero quis amat, eundem conſiderat tanquam ſe ipſum (§. 659. *Pſych. empir.*), conſequenter quod ipſi accidit malum, id ſibimet ipſi eveniſſe putat, aut ſaltem ejus ſe participem eſſe arbitratur; *ſi cui nunciatur malum, quod præter omnem opinionem & expectationem obvenit perſonæ, quam impenſe amat, ipſi terror injicitur.* *De malo improviſo, quod obvenit perſonæ amatæ.*

Amant parentes liberos, niſi adſint cauſæ ſingulares affectum naturalem ſupprimentes. Quodſi patri nunciatur, filium in flumine ſubmerſum periiſſe, cum de eo minime cogitaret, terror ipſi injicitur. Idem contingit, ſi literis redditur certior, filium ſuum abſentem, quem bene valere putabat, mortuum eſſe. Similiter uxor terrore concutitur, ſi ex improviſo nunciatur, maritum apoplexia extinctum eſſe, vel a famulo conclave ingrediente mortuum humi jacentem inventum eſſe.

§. 402.

Terror impedit, quo minus de amoliendo malo cogitemus. Etenim cum terrorem injiciat adventus mali improviſus, malum, quatenus moleſtiarum creatrix eſt, omnem attentionem in ſe trahit, ut cogitatio de mediis, quibus periculum nobis imminens averti poteſt, animum ſubire nequeat. Terror itaque impedit, quo minus de malo a nobis amoliendo cogitemus. De *affectu terroris.*

Terror ideo affectus moleſtiſſimus eſt & maxime noxius, etiamſi non omnibus noceat eodem modo, nec omnes æque noxium eundem experiantur. Non tamen propterea neceſſe eſt, ut affectuum numerum multiplices propter varietatem ſcilicet effectuum, quos pro varietate perſonarum aliarumque circumſtantiarum producit terror. Ponamus incendium ſubito ortum præter ullam opinionem & expectationem terrorem injicere ædes inhabitanti, quæ ardent. Terrore concuſſus, cum attentionem omnem defigat in malo præſente, non cogitat de periculo, quod ſibi & rebus ſuis imminet, ut idem avertere, & ſe resque ſuas ſervare ſtudeat. Unde ad ſe redeuntem confiteri audias, ſeſe ignorare quid ſibi faciendum ſit. Et, ſi vel maxime res quasdam ſervare vult, neſcius tamen quid agat res viliſſimas rebus pretioſiſſimis præfert, non aliter poſtea ſe excuſans, quam quod præ terrore ignoraverit, quid agat. Non eſt, quod excipias, malum, quo terror injicitur, haud raro tale eſſe, quod depelli minime poteſt, veluti ſi nunciatur obitus inopinatus filii, vel ſtrages, quam grando dedit frugibus: etenim cum terror ſit ſanitati ipſique vitæ admodum inimicus, periculum adeſt quod depellendum, ſeu malum, quod ex malo præſente naſci poteſt. Afferenda quoque eſt malo, quod nos affligigit, medela, ad quam tendit alias triſtitia, utpote tendens ad infelicitatem depellendam (§. 279). Quoniam vero terror attentionem omnem ab eo avertit, cujus cogitatio animum ſubire poterat, immo ſubinde mentem adeo ſtupefaciat, ut ne quidem perceptiones præſentes appercipiat, quo in caſu homines ſe quaſi extra ſe raptos opinantur; de his omnibus minus cogitant, nec dici poteſt, quod huc eos ducat affectus. Langveſcente autem terrore, cum quaſi ad ſe redit animus, remanet timor, metus vel triſtitia & cogitatur de mediis vel evitandi, vel, ſi id fieri minime poſſit, imminuendi, aut leniendi malum.

§. 403.

§. 403.

De fluctuatione animi.

Si in aliquo concitas cupiditatem boni abſentis, ipſum autem docere non potes media, quibus idem obtinetur, aut quorum executio in poteſtate ipſius eſt, aut plura ſuppeditas media, quorum quod ſit melius ipſi perſuadere nequis; fluctuatio animi concitatur. Quodſi enim cupiditas concitatur, ea tendit ad bonum abſens obtinendum (§. 388.). Enimvero ſi ipſum docere nequis media, quibus bonum, quod cupit, obtineri poteſt, vel media, quorum executio in poteſtate ipſius eſt, aut media, de quibus ſollicitus eſt, ignorat, aut quomodo ea exequi debeat neſcit. Quodſi vero plura eum doceas media, quorum quod præſtet ceteris ipſi perſuaderi non poteſt, quodnam eligere debeat anceps hæret. Enimvero ex ignorantia mediorum, quibus bonum, quod cupimus, obtineri poteſt, vel electionis, aut executionis eorundem oritur fluctuatio animi (§. 835. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo in aliquo concites cupiditatem boni abſentis, ipſum autem docere non potes media, quibus idem obtinetur, aut quorum executio in poteſtate ipſius eſt, aut plura ſuppeditas media, quorum quod ſit melius, ipſi perſuadere nequis, fluctuatio animi concitatur.

Cum cupiditas tendat ad bonum abſens obtinendum, quando ea flagrat animus, ſollicitudinem de mediis parit, quibus id obtineri poteſt. In mediis duo ſpectantur, nimirum utrum ad finem obtinendum ſufficiant, nec ne, & quomodo ea executioni ſint danda, & num eorum executio in poteſtate noſtra ſit. Quodſi plura dentur media, electione opus eſt. Appetitus vero naturaliter determinatus eſt ad id alteri præferendum, quod judicatur melius (§. 898. *Pſych. empir.*). Antequam igitur decreveris, quibus mediis uti velis, opus ipſum non aggrederis. Ignorantia mediorum,

aut executionis eorundem, hæſitatio in electione ſive mediorum, ſive modi exequendi ad fugam boni abſentis trahit, cujus cupiditatem fovet ipſius boni repræſenratio. Atque ita quaſi pugna quædam oritur inter fugam & cupiditatem, quamdiu affectus unus alterum non vincit.

§. 404.

Quo tendat fluctuatio, animi.

Fluctuatio animi tendit ad audaciam, ſi fuga eventus contrarii fuerit minor cupiditate boni: ad ſegnitiem vero, vel patientiam, ſi fuga eventus contrarii prævalet adverſus cupiditatem boni. Quando enim animus fluctuat, bonum quoddam cupimus & ſolliciti ſumus de mediis idem obtinendi, quæ ſi reperire, aut executionem eorundem detegere non poſſimus, vel ſi difficultates appareant, quæ quomodo ſuperandæ ſint non videmus, vel denique ſi ob rationes diverſa media ſuadentes decidere nequeamus quodnam eorum ſit melius, ita ut ex dubiorum fluctibus emergere nequeamus, aut audaces fortunæ arbitrio nos committere debemus expectaturi, utrum nos juvare, an auxilio deſtituere velit, aut a bono proſequendo nos abſtinere tenemur, quantacunque ſit habendi cupido. Quibus parum curæ eſt, utrum conatui reſpondeat eventus, nec ne, cum fuga eventus contrarii minor ſit cupiditate boni abſentis, illi audaces fortunæ arbitrio ſe & eventum committunt; aſt ſi fuga eventus contrarii major ſit cupiditate boni, utut vel maxime inviti a propoſito bonum, quod cupiunt, proſequendi deſiſtunt. Quamobrem patet, fluctuationem boni tendere ad audaciam, ſi fuga eventus contrarii fuerit minor cupiditate boni; ad ſegnitiem vero, vel patientiam, ſi illa adverſus hanc prævalet.

Mul-

Multa hic dicenda forent, ſi ad particularia deſcendere vellemus. Sed dabitur alibi de hiſce plura dicendi occaſio, inprimis quando de patientia acturi ſumus. Sed demus exemplum. Ponamus Sempronium decreviſſe, ut uxorem ducat, & flagrare cupiditate ducendi *Caeciliam.* Cum cupiditas tendat ad matrimonium cum eadem contrahendum, ea ducit ad conſultationem, quomodo ad eam convenire & conſenſum ejus atque parentum impetrare poſſit. Quodſi parum curæ habeat, ſi repulſam ferat; patrem vel matrem adire audet, utut nulla ipſi cum illo, vel hac intercedat conſuetudo, & deſideria ſua exponit. Hic igitur omnem eventum fortunæ committit, fretus illo pervulgato: fortunam juvare audaces, repellere timidos. Aſt ſi ex adverſo ignominioſam ſibi judicet repulſam fore, eamque obſtituram, quo minusſucceſſum poſthac ſperare poſſit in ambienda alia; a propoſito deſiſtit, utut non ſine ægritudine, quam fovet cupiditas manens. Ab ea ſi liberari cupit, neceſſe eſt, ut patienter ferat, quod mutare non poteſt. Fieri etiam poteſt, ut, ſi hortentur alii ut aleam jaciat, vix ac ne vix quidem ad id faciendum ſe adduci patiatur, repugnantiæ cujusdam internæ ſibi conſcius. Atque ita patet, quomodo & quando fluctuatio animi tendat ad audaciam, vel ad patientiam, aut ſegnitiem. Fluctuatio animi affectus valde moleſtus eſt. Quamobrem quando torquet animum, ex dubitationum fluctibus emergere conamur, quamvis haud raro contingat, ut omnis conatus in caſſum cadat. Quæ porro hic expendenda ſunt, ad conſultationem pertinent, in qua magna vis eſt accurata probabilium æſtimatio.

§. 405.

De horrore concitando.

Si cui parſuaſeris malum quoddam ingens eſſe, nimirum ſi phyſicum fuerit, quod cruciatus intolerabiles creat, ſi morale, quod de homine vix concipi poſſit; horror concitatur. Etenim ſi cui perſuaſeris, malum quoddam ingens eſſe, quod, ſi phyſi-

cum fuerit, intolerabiles cruciatus creat, ſi morale, de homine vix concipi poteſt, is malum iſtud ſibi hoc modo repræſentat. Quamobrem cum ex repræſentatione iſtiusmodi mali oriatur horror (§. 837. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris malum quoddam phyſicum eſſe intolerabilium cruciatuum creatricem, vel morale iſtiusmodi, ut de homine vix concipi poſſit, horror concitatur.

Horrore omnino perfunditur animus, ſi perpendamus cruciatus incredibiles, quos perpeſſi ſunt martyres: horreſcimus crudelitatem tyrannorum in homines innocentes tam immane ſævientium. Atque ideo ipſos cruciatus martyrum horrendos & crudelitatem tyrannorum horrendam dicimus. Notandum vero, quando ſcelus horrendum dicimus, id duplici modo intelligi poſſe, vel quatenus in ſe ſpectatur, vel quatenus morſus conſcientiæ creat. Priori reſpectu ad naturam humanam infertur, quam malitia excedere videtur, ita ut qui ſcelus committit naturam humanam exuiſſe exiſtimetur. Poſteriori reſpectu morſus conſcientiæ tanquam intolerabiles repræſentantur, ſeu tales, quos perpeti hominem poſſe vix creditur. Notandum præterea, quando horreſcimus cruciatus, vel angores animi, nos eos ad nos referre, ac nobis repræſentare ſtatum, qui foret, ſi ipſimet eos perpeti deberemus, ita ut nobis inſit præſenſio quædam tantorum malorum: quo ipſo efficitur, ut ea nobis tanquam intolerabilia repræſentemus. Qui horrore perfunditur, quantum moleſtiarum ſibi crearet malum conſiderat & quomodo ſcelus ad ſe ſeſe habeat perpendit, non vero cruciatus æſtimat atque conſcientiæ morſus ex ſenſu aliorum, nec ſcelus ex depravatis facultatibus animæ aliorum. Obtinet ſane idem in æſtimatione cujusvis voluptatis & moleſtiæ, ac ideo in ciendis appetitionibus & averſionibus atque in concitandis affectibus ſemper attentenda eſt opinio ejus, cujus appetitus vel averſatio cieri debet & in quo affe-

affectus concitandus. Hæc e. gr. ratio eſt, cur quis horreſcat ſupplicium, quo latro afficitur, cum alii absque horrore idem ſpectant, & cur quis horreſcat ſcelus quoddam, quod narratur, cum alii absque ullo honore idem narrari audiant. Ita veritatum moralium convictus horreſcit errores pſeudophilosophorum non minore audacia, quam temeritate contendentium, virtutem eſſe nullam, vitium eſſe nullum, niſi quod efficiat dira in ſtatu civili a ſuperiore conſtituta pœna & quod inde recipiat menſuram, propterea quod qui rectius ſentit omnem rationis uſum ſe ejurare debere agnoſcit, ut tam abſurdum errorem pro vero amplectatur & generi humano adeo pernicioſum publice diſſeminare non vereatur, cum alii opinioni tam abſurdæ, tam periculoſæ, vel ſubſcribant, vel eam rideant & contemnant.

§. 406.

Horror tendit ad malum, cujus repræſentatione concitatur, omni animi contentione a ſe depellendum. Etenim horror concitatur repræſentatione mali, quod cruciatus prorſus intolerabiles nobis crearet, vel quod a nobis committi non poſſit, niſi ipſam naturam humanam exuere velle nobis videamur (§. 405.). Quamobrem cum fieri aliter non poſſit, quam ut malum iſtud averſemur (§. 590. *Pſych. empir.*), & ut averſatio ex magnitudine mali capiat vires (§. 596. 598. *Pſych. empir.*); omnis autem averſatio tendat ad malum depellendum (§. 250.); horror tendit ad malum, cujus repræſentatione concitatur, omni animi contentione a ſe depellendum. *Quo tendat horror.*

Horroris hunc eſſe effectum, noto notius eſt. Neque enim alia de cauſa pœnæ horrendæ decernuntur delictis gravioribus, quam ut horror, quo animum perfundit eorum cogitatio, ab iisdem avocet ad delinquendum pronos. Videmus

demus enim eos, qui ab aliquo abhorrent, nullo modo permoveri poſſe, ut id patiantur, vel faciant. Ita qui abhorret a venæ ſectione, nullo modo adduci poteſt, ut venam ſibi ſecari patiatur. Similiter qui abhorret a nuptiis, eum fruſtra perſuadere conaris, ut uxorem ducat, & cujus voluntas ab homine quodam abhorret, is perſuaderi nequit, ut familiaritatem cum eo contrahat. Nimirum antequam id fieri poſſit, ex animo evellenda eſt opinio mali horroris creatrix; id quod non adeo facile, quemadmodum forſan putatur, nec ſemper in poteſtate noſtra deprehenditur. Quemadmodum vero omnes affectus ſuos habent gradus, ita ut ſubinde vix agnoſcantur, nec ſibi ſimiles videantur, niſi acute diſcernere noris eam ſimilitudinem, per quam ſpecies conſtituitur, nulla quantitate varianda; ita idem quoque valet de horrore. Quamvis itaque ad illuſtrandum ea, quæ de hoc affectu demonſtravimus, ad exempla provocavimus, in quibus gradus hunc affectum palpabilem facit, non tamen propterea in hiſce ſubſiſtendum, quaſi ultra ea non ſit extendendus. Et ea fini modo etiam exempla quædam alia allegavimus, quæ cum ceteris non comparanda videntur. Cum ſpecies quædam metus ſit, qui concitatur, quatenus malum, etiam ſi aliis accidat, ſpectatur tanquam eventu poſſibile, ſeu tale, quod etiam utut ſub certa conditione etjam in nos cadere poſſit, horrori etiam proprius quidam gradus eſt, a quo dependet animi contentio, qua malum depellendum. Unde videmus eadem animi contentione aliquos fugere venæ ſectionem, qua alii fugiunt exquiſitiſſima tormenta, immo majore.

§. 407.

De puſillanimitate.

Si cui perſuaſeris, tantam eſſe boni, quod cupit, obtinendi difficultatem, quæ ſuperari non poſſit; puſillanimitas concitatur. Si quis enim bonum cupit, ad idem obtinendum tendit appetitus (§. 388.): aſt ſi ipſi perſuaſeris, tantam eſſe ejus obti-

obtinendi difficultatem, quæ ſuperari non poſſit; qui bonum cupit, is impedimenta, quæ obſtant quo minus obtineat, tanquam inſuperabilia ſibi repræſentat. Enimvero ſi quis impedimenta, quo minus bonum, quod cupit, obtineat, tanquam inſuperabilia ſibi repræſentat, vel, quod eodem redit, media bonum, quod cupit, obtinendi nulla novit, nec conſiliis aliorum juvatur; puſillanimitas oritur (§. 842. 845. *Pſych. empir.*). Quamobrem eadem concitatur, ſi cui perſuaſeris, tantam eſſe boni, quod cupit, obtinendi difficultatem, quæ ſuperari minime poſſit.

Monuimus jam alias (*not.* §. 842.), impoſſibilitatem obtinendi diſtingvendam eſſe a difficultate, cui tollendæ num pares ſimus quamvis dubitatur, nondum tamen propterea ſublatio impoſſibilis habetur. Exemplum habemus in eo, qui ſpem munus, quod ambit, obtinendi abjicit, animadverſis difficultatibus opinione ſua inſuperabilibus, manente tamen cupiditate. Hac enim evaneſcente in jacturam boni intentus ſaltem contriſtatur, aut, prouti variant circumſtantiæ, alio affectu inquietatur.

§. 408.

Quoniam evitatio mali & liberatio ab eodem bo- *De puſillani-*
na eſt (§. 754. *part.* 1. *Jur. nat.*), & utramque cupimus, *mitate ob im-*
quatenus eam nobis repræſentamus tanquam bonam (§. *poſſibilitatem*
812. *Pſych. empir.*); *ſi cui perſuaſeris, evitationem mali adventu- evitandi ma-*
ri vel liberationem a præſenti tot difficultatibus obſeptam eſſe, ut & li,& liberati-
ab eo ſuperari nequeant, puſillanimitas concitatur; conſequenter *onis ab eo-*
ſi quam evitationis, vel liberationis ſpem concepit, eam omnem dem.
abjicit.

Major plerumque eſſe ſolet puſillanimitas, quæ animum occupat, deficiente ſpe omni mali evitandi, vel liberationis

ab eodem, quam boni non obtinendi, niſi jactura ejus conjuncta ſit cum malo ingente inde conſequente, aut damno irreparabili. Exemplum puſillanimitatis huc referendum præbent malefici, qui ad locum ſupplicii ducuntur. Idiomate patrio hanc puſillanimitatis ſpeciem dicimus das Verzagen: quod vocabulum forte reddideris per animum fractum, ut quo quis ſe vertat neſciat. Neceſſe tamen eſt, ne ab eodem ſepares contriſtationem ſummam, quæ animum conſternat & ſenſus ſtupidos reddit, attentione omni in impoſſibilitatem evitationis mali, vel liberationis ab eodem converſa. Gradus hic utique ſummus eſt, quo affectus præſens facillime diſcernitur ab aliis, ut in caſibus quoque aliis, ubi tantus non eſt, agnoſcatur. Hæc nimirum ratio eſt, cur in illuſtrandis affectuum notionibus allegentur exempla, quæ eos omnium clariſſime produnt.

§. 409.

Quo tendat puſillanimitas.

Puſillanimitas tendit ad omnem de mediis bonum obtinendi aut malum evitandi, vel præſens depellendi cogitationem abjiciendam & ad periculum impedimenta tollendi non faciendum. Puſillanimitas enim oritur, ſi impedimenta, quæ nobis objiciuntur, quo minus bonum, quod cupimus, obtineamus, conſequenter etiam quo minus malum adventurum, quod evitare cupimus, evitemus, aut a malo præſente, a quo liberari cupimus, liberemur (§. 408.), tanquam inſuperabilia nobis repræſentamus (§. 844. *Pſych. empir.*). Enimvero qui impedimenta a ſe ſuperari non poſſe putat, quæ ſibi objiciuntur, quo minus bonum, quod cupit, obtineat, vel malum, quod evitare cupit, evitet, aut denique a malo præſente, a quo liberari cupit, liberetur; is nec amplius cogitat de mediis bonum obtinendi, vel malum evitandi, aut quibus a malo præſente liberetur, nec impe-

pedimenta tollendi periculum facit, quod per ſe patet. Quamobrem puſillanimitas tendit ad omnem de mediis bonum obtinendi, aut malum evitandi, vel præſens depellendi, cogitationem abjiciendam & ad non faciendum periculum impedimenta tollendi.

Inde eſt, ſi puſillanimes bono jubemus eſſe animo, ne de bono obtinendo, & de evitatione mali, aut liberatione ab eodem deſperent, ut impoſſibilitatem regerant, allegantes tot ac tantas difficultates, quibus ſuperandis non ſint pares. Immo ſi horteris eos, ut nihil intentatum relinquant, eo ſe adduci minime patiuntur, ultro confitentes, ſe jam ſcire, onem, quam in eo collocaturi ſint, operam inanem fore. Puſillanimitas itaque hominem ſegnem reddit ad agendum, (§. 546. *Pſych. empir.*). Quodſi dicas omnem affectum moleſtum tendere ad malum depellendum (§. 252.), conſequenter hinc inferendum eſſe, quod etiam puſillanimitas ad malum depellendum, conſequenter ad faciendum periculum tollendi impedimenta, utut inſuperabilia viſa, tendat; tenendum eſt, affectum, quatenus continet averſionem mali, tendere quidem ad id depellendum, aſt cum impedimenta nobis inſuperabilia videntur, tendentiam ſubſiſtere in votis, non vero procedere usque ad conatum, quem fruſtraneum fore putamus. Sane hinc audias puſillanimes dicentes ingemiſcendo, utinam impedimenta, quæ mihi objiciuntur, tollere poſſem! Perſuaſiſſimos enim ſe eſſe putant, quod nullo modo ipſis ſubveniri poſſit, inanem eſſe omnem de mediorum executione, aut impedimentorum ſublatione cogitationem. Immo ſe de eo loquenti aures amplius præbere nolle.

§. 410.

Si cui perſuaſerit, difficultates boni, quod cupit, obtinendi, ſi non certo ſuperabiles, certe ſuperatu non prorſus impoſſibiles, De animoſitate & au-

dacia concitanda.

les videri; animoſitas concitatur: immo ſi perſuaſeris, præſtare ut, licet ſpe maxime dubia, faciamus, quicquid a nobis fieri poteſt, quam ut ab omni conatu bonum obtinendi deſiſtamus, audacia concitantur. Etenim ſi cui perſuaſeris, difficultates boni, quod cupit, obtinendi, ſi non certo inſuperabiles, certe ſuperatu non prorſus impoſſibiles videri, is putat, difficultates bonum, quod cupit, obtinendi eſſe iſtiusmodi, quæ forſan adhuc ſuperari poſſint, ſeu non prorſus ſuperatu impoſſibiles habendæ. Enimvero ſi difficultates boni, quod cupimus, ſi non certo ſuperabiles, ſuperatu tamen non prorſus impoſſibiles videantur, animoſitas oritur (§. 848. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi cui perſuaſeris difficultates boni, quod cupimus, obtinendi, ſi non certo ſuperabiles, certe ſuperatu non impoſſibiles videri, animoſitas concitatur. *Quod erat unum.*

Quodſi vero alicui perſuaſeris præſtare, ut licet ſpe maxime dubia faciamus, quicquid a nobis fieri poteſt, quam ut ab omni conatu agendi deſiſtamus, cum appetitus naturaliter feratur ad id, quod melius videtur, alteri præferendum (§. 898. *Pſych. empir.*), omnem conatum ad bonum, quod cupimus, obtinendum adhibere malumus, quam ab eodem deſiſtere. Quamobrem cum cupiditas boni obtinendi adhuc vincat metum ex difficultate boni obtinendi ortum, quamvis ſpes vix ulla ſupereſſe videatur, animoſitas vero conſiſtat in prædominio cupiditatis ac ſpei vincentis metum ex difficultate boni obtinendi ortum (§. 847. *Pſych. empir.*); qui bonum, quod cupit, obtinere tentat, animoſior videtur, quam eſſe debebat, ideoque audacia concitatur. *Quod erat alterum.*

Equi-

Equidem animoſitas & audacia tanquam ſynonyma promiſcue ſumuntur (§. 847. *Pſych. empir*); audacia tamen communiter in malam partem, ita ut exceſſus animoſitatis habeatur (*not.* §. *cit.*). Præſtat itaque hoc modo audaciam ab animoſitate diſtingvi, quam ut affectum utrumque in unum confundamus. Ex ipſa nimirum demonſtratione propoſitionis præſentis patet, non eodem modo concitari audaciam, quo animoſitas concitatur. Equidem fieri poteſt, ut, qui nimium audeat, in temeritatem incidat; non tamen audacia omnis temeritati obnoxia eſt. Sed iſtiusmodi dijudicatio, ſi exacta eſſe debet, ab æſtimatione probabilium dependet, quam eſſe adhuc mancam & perdifficilem, cum Logica probabilium adhuc in deſideratis ſit, nemo eſt qui neſciat. Quamobrem nec eſt, quod miremur, animoſitatem cum audacia vulgo confundi, & animoſitati tribui, quod fortunæ, quæ audacem juvabat, tribuendum erat. Conſtat rationes ad perſuadendum idoneas admodum variare, nec in quolibet ſubjecto eandem vim exerere, & ipſam cupiditatem magnum pondus iisdem addere, & aditum ad appetitum quaſi aperire. Maxima inprimis in eo vis eſt exemplorum, quibus audacia fortuna adjuta pro animoſitate venditatur. Exemplum animoſitatis dedimus alias (*not.* §. 847. *Pſych. empir.*).

§. 411.

De animoſitate & audacia in declinatione mali & liberatione ab eodem.

Quoniam animoſitas concitatur, ſi cui perſuaſeris, difficultates boni, quod cupit, obtinendi, ſi non certo ſuperabiles, certe ſuperatu non prorſus impoſſibiles eſſe; audacia vero, ſi perſuaſeris, præſtare ut licet ſpe maxime dubia faciamus, quicquid a nobis fieri poteſt, quam ut ab omni conatu bonum obtinendi deſiſtamus, (§. 401.), evitatio vero mali adventuri ac liberatio a præſente bonis annumeranda eſt (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*); *animoſitas quo-*

que concitatur, ſi cui perſuaſeris, difficultates evitationis mali, vel liberationis ab eodem, ſi non certo ſuperabiles, attamen ſuperatu non prorſus impoſſibiles videri; audacia vero, ſi perſuaſeris præſtare ut licet ſpe maxime dubia omnia tentemus, quam ut ab omni conatu malum venturum evitandi vel præſens a nobis amoliendi deſiſtamus.

Quamvis audacia plerumque in malam partem accipiatur, eidem tamen in declinando, vel amoliendo malo facilius quid condonandum, quam ubi agitur de bono poſitivo obtinendo, præſertim ſi grande fuerit malum & in mora periculum, quamvis hæc conſideratio nec prorſus negligenda ſit, quando agitur de bono poſitivo obtinendo. Temeritas tamen in hoc caſu non tam facilem habet excuſationem, quam in anteriori, cum levius ſit carere bono quodam, quam incidere in malum, aut eidem obnoxium manere. Propoſitio præſens probe notanda, cum in caſu mali, cujus evitatio, vel amolitio intenditur, vulgo magis ſpectetur animoſitas & audacia, quam in caſu boni obtinendi. Si malum non procul abeſt, aut ex improviſo irruit, conſternatio vix ac ne vix quidem patitur, ut in conſultatione, quando ex arena capiendum conſilium, omnia expendantur, quantum ſatis eſt, ac tum inprimis facilius excuſatur temeritas, quam in caſibus aliis, ubi non adeo urget ancipitem ad media primum obvia, qualiacunque tandem fuerint, arripienda neceſſitas. Nemo non videt, quam multa conſideranda ſint in caſibus datis, ſi ſatis circumſpectum in judicando te præbere volueris, ut ideo deproperata judicia non cadant in admirationem.

§. 412.

Quo tendat animoſitas.

Animoſitas tendit ad alacritatem in bono obtinendo, aut malo venturo evitando, vel præſenti a ſe amoliendo, non obſtantibus difficultatibus quibuscunque obviis. Qui enim animoſus eſt, is difficultates in proſecutione boni, quod cupit, emergentes

tes ſi non pro ſuperatu poſſibilibus, ſaltem pro non prorſus impoſſibilibus habet (§. 849. *Pſych. empir.*). Quamobrem difficultates a bono, quod cupit, proſequendo ſe deterreri minime patitur, nec ſpem id obtinendi omnem abjicit, quin potius omnem movet lapidem, ut difficultates ſuperet, quæ obſtare videntur, quo minus bono, quod cupit, potiatur. Quoniam itaque alacritatem in agendo prodit, qui ſine hæſitatione ad aggrediendum pergendumque promptus eſt; animoſitas tendit ad alacritatem in bono obtinendo. *Quod erat unum.*

Enimvero cum mali venturi evitatio, aut præſentis amolitio bonis accenſenda ſit (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque evitare bonum venturum, vel a ſe amoliri præſens idem ſit ac bonum, quod cupimus, obtinere, animoſitas autem tendat ad alacritatem in bono obtinendo, *per demonſtrata n. 1.* eadem quoque tendit ad alacritatem in malo venturo evitando, aut præſenti a ſe amoliendo. *Quod erat alterum.*

Per *alacritatem in agendo* intelligimus eam animi contentionem, qua id, quod agendum, aggredimur & in agendo pergimus, ſicuti *Cicero* canibus alacritatem tribuit in venando. Quod animoſo recte tribuatur iſtiusmodi alacritas, exemplum militum probat, qui in prælio animoſi ſunt, omni animi contentione id agentium, ut hoſtem vincant, ſicque vim hoſtilem & periculum ab ea ſibi imminens a ſe depellant, tanto quidem majore, quanto major apparet vincendi difficultas.

§. 413.

Si cui perſuaſeris, adventum boni, quod ſperat, non adeo propinquum eſſe, quemadmodum ipſi videtur, aut ipſe optat; deſi-

De deſiderio concitando.

deri-

derium concitatur. Etenim ſi cui perſuaſeris, adventum boni, quod ſperat, non adeo propinquum eſſe, quemadmodum ipſi videtur, aut ipſe optat; is moram boni venturi, quod ſperat, ſibi repræſentat. Quamobrem cum mora boni, quod ſperamus, ſi ad eam animum attendimus, deſiderium gignat (§. 853. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris, adventum boni, quod ſperat, non adeo propinquum eſſe, quemadmodum ipſi videtur, aut ipſe optat, deſiderium concitatur.

Exemplum deſiderii alias dedimus (*not.* §. 852. *Pſych. empir.*). & alia complura ſuppeditat experientia, cum hic affectus non infrequens ſit. Impatientiam in expectando eo, quod ſperatur, produnt deſiderantes, quando ajunt, ſeſe omnes numerare horas, donec evenerit, quod ſperant; produnt etiam eorum vota, accelerationem adventus boni, quod ſperatur, continentia. Immo haud raro ipſimet impatientiam in expectando confitentur, vel aliis quoque ſignis indicant.

§. 414.

De deſiderio liberationis a malo præſente, aut averſionis periculi imminentis.

Quoniam liberatio a malo præſente, aut periculi imminentis averſio bonis annumeratur (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), deſiderium autem concitatur, ſi cui perſuaſeris, adventum boni, quod ſperatur, non adeo propinquum eſſe, quemadmodum putat, aut optat (§. 413.); *deſiderium quoque concitatur, ſi cui perſuaſeris liberationem a malo præſente, aut averſionem periculi imminentis, quæ ſperatur, non adeo propinquam eſſe, quemadmodum is putat, aut optat.*

Ponamus in vicinia amici exortum eſſe incendium, a quo periculum imminet ipſius ædibus. Cum ſperamus, incendium reſtinctum iri, ut ædes amici mancant intactæ, anxii expe-

expectamus nuncium de incendio reſtincto. Impatiens hujus expectatio deſiderium prodit. Uxor convaleſcentiam mariti ſperans cum Medicorum aſſeverationibus fidem habeat, anxie exſpectat diem, quo ex morbo aſſurgit. Si bellum in vicinia exardeſcit, quod ad nos usque facile extendi poterat, ſperamus autem fore, ut hoſtis profligetur & a finibus noſtris arceatur, impatienter expectamus nuncium de ſtrage hoſtium in prælio commiſſo. Antequam igitur de eadem nuncium fuerit allatum, deſiderium inquietat animum.

§. 415.

Deſiderium tendit ad accelerandum adventum boni quod ſpe- Quo tendat
ratur, aut liberationem a malo præſente, vel depulſionem periculi deſiderium.
imminentis, ſi quid a nobis ad id conferri poſſit, aut in caſu oppoſito ad vota, ut bonum mox adjit, vel a malo præſente mox liberemur, aut periculum imminens avertatur. Cum enim deſiderium oriatur ex mora boni venturi, quod ſperatur (§. 853. *Pſych. empir.*), deſiderans utique cupit, ut id quantocyus adveniat. Et eodem modo patet, eundem cupere, ut mox a malo præſente liberetur, aut ut periculum imminens mox avertatur. Quoniam itaque cupiditas tendit ad bonum abſens obtinendum, & ad malum abſens evitandum, præſens vero auferendum (§. 388.); quin deſiderans non omittat, quicquid ad id conferre poteſt, dubitandum non eſt. Deſiderium itaque tendit ad accelerandum adventum boni, quod ſperamus, aut depulſionem periculi imminentis, liberationem a præſente. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi accleratio in poteſtate noſtra non eſt, quod facere non poſſumus, ſaltem optamus. Tunc igitur deſiderium ad vota tendit. *Quod erat alterum.*

Qui quid desiderat, nil magis in votis habet, quam ut id statim eveniat. Desiderium tædium sive molestiam creat (§. 852. *Psych. empir.*): a molestia autem quilibet quantocyus liberari cupit. Ita si quis desiderat adventum amici repetita vice famulum circumspicere jubet, num veniat, vel etiam ad eundem mittit rogaturum, ut veniat. Vota prodit sermo desiderantium. Exempla, quæ ante dedimus (*not* §. 414), veritatem propositionis præsentis itidem confirmant.

§. 416.

De hilaritate concitanda

Si cui persuaseris malum præteriisse, vel metum ejus evanuisse; hilaritas concitatur. Qui enim sibi persuadet, malum præteriisse vel metum ejus evanuisse, is sibi malum, quo angitur, aut periculum, quod metuebat, tanquam tædia non amplius creaturum repræsentat. Quoniam itaque hilaritas oritur, si nobis repræsentemus malum, rem tædii creatricem, tanquam tædia nobis non amplius creaturum, hilaritas oritur (§. 856. *Psych. empir.*); eadem quoque concitatur, si cui persuaseris, malum præteriisse, vel metum ejus evanuisse.

Idem etiam ostenditur hoc modo. Quoniam hilaritas oritur ex eo, quod malum sit præteritum, vel metus mali evanuerit (§. 855. *Psych. empir.*); si cui persuaseris malum præteriisse, vel metum ejus evanuisse, ratio hilaritatis sufficiens ponitur (§. 56. *Ontol.*). Quamobrem cum posita ratione sufficiente ponatur etiam id, quod propter eam potius est, quam non est (§. 118. *Ontol.*); si cui persuaseris, malum præteriisse, vel metum ejus evanuisse, hilaritas concitatur.

Si

Si quis morbo periculoſo decumbit, & medicus eum certiorem facit, quod periculum evanuerit; hilaritate perfunditur æger. Si quis cruciatibus podagræ torquetur, ubi ab iis ſe liberatum ſentit, hilari eſt animo. Similiter ſi incendium in vicinis ædibus ortum periculum minatur tuis; hilaritas concitatur, quam primum nunciatur, incendium extinctum eſſe, ut nullum amplius periculum ſit metuendum. Ita ſi incendium ſævit eo in loco, in quo ſitum eſt prædium tuum, & vehementer metuis, ne flamma feralis corripiat prædium tuum, ubi nunciatur, incendium poſuiſſe vires, nec prædio tuo damna dediſſe, ab ægritudine liberatur animus & hilaris evadit. Liberatio a malo æquiparatur bono præſenti, gaudii creatrici (§. 624. *Pyſch. empir.*), in quo hilaritas conſiſtit (§. 855. *Pſych. empir.*). Hilaritas gaudium eſt, quod arcet triſtitiam præſentem, & quatenus cauſa gaudii, liberatio nimirum a malo præſente, vel quaſi præſente, continet cauſam triſtitiæ, aut affectus alteriut moleſti, ipſum nimirum malum præſens, vel quaſi, gaudium hoc ſingulari modo modificatur, ut peculiaris affectus formam induat. Ipſius angoris & moleſtiæ, quamcunque cauſabatur mali repræſentatio, memoria in appetitum ſimul influit, cujus ideo ut nullus ſit effectus, fieri haud quaquam poteſt.

§. 417.

Hilaritas tendit ad malum, a quo liberati ſumus, aut periculum, quod evanuit, in poſterum præcavendum, quantum in poteſtate noſtra: quodſi in ea non fuerit præcavere malum, ſaltem ad vota tendit. Qui enim hilaris eſt, is gaudet, quod malum præterierit, vel metus mali evanuerit (§. 855. *Pſych empir.*). Quamobrem cum gaudium tendat ad conſervandam felicitatem (§. 279.), conſequenter eum ſtatum in præſenti caſu, in quo liberi ſumus ab iis tædiis, quibus

Quo tendat hilaritas.

nos torquebat malum, quod præteriit, aut periculum, quod evanuit, (§. 636. *& ſeqq. Pſych. empir.*), ſtatus vero iſte conſervatur, ſi malum, quod jam præteriit, aut periculum, quod evanuit, in poſterum præcavetur, quod per ſe patet; hilaritas tendit ad malum, a quo liberati ſumus, aut periculum, quod evanuit, in poſterum præcavendum. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi malum præcavere non ſit in poteſtate noſtra, veluti quando conſiſtit in damno, quod datur a grandine, vento impetuoſo, fulgure, imbre, inundatione; aliud nobis non relinquitur, quam ut optemus, ne tale quid iterum accidat. Quamobrem hilaritas, quæ ad malum præcavendum alias tenderet *per demonſtrata n. 1.* ultra vota tendere nequit. *Quod erat alterum.*

Qui hilares ſunt, ſi a periculo incendii, quod culpa ſua oriri poterat, niſi tempeſtive fuiſſet animadverſum, antequam vires caperet, liberati fuerint, ultro aſſeverant, ſe in poſterum fore cautiores. Quodſi periculum, quod tempeſtas nobis minabatur, fuerit averſum; hilares optamus, ut idem Numen benigniſſimum in poſterum quoque a nobis avertat. Immo ſi quis caſus funeſtus contigit, qui nos afflixit, optamus ne iſtiusmodi caſus denuo contingat. Hilaritatis itaque magnum momentum habet in praxi morali, prouti ſuo loco clarius eluceſcet.

§. 418.

De faſtidio concitando.

Si cui perſuaſeris, id quod bonum eſſe putat malum eſſe, aut ſaltem non bonum; faſtidium concitatur, aut ſaltem ad hunc affectum diſponitur averſatio ſenſitiva. Etenim ſi cui perſuaſeris, id quod bonum eſſe putat, malum eſſe, is mutata opinione ſibi jam tanquam malum repræſentat, quod repræſen-

præſentaverat tanquam bonum. Enimvero ſi, quod nobis tanquam bonum repræſentabamus, idem deinceps tanquam malum repræſentemus, faſtidium oritur (§. 859. *Pſych. empir*). Quamobrem faſtidium concitatur, ſi cui perſuaſeris, quod bonum eſſe putat, id eſſe malum. *Quod erat unum.*

Quoniam vero in concitandis affectibus bonum ſpectatur tanquam voluptatis, malum vero tanquam moleſtiæ creatrix, id quod per antecedentia ſatis claret, ex eo autem, quod quid nullam voluptatem creat, aut ſaltem voluptatem contemnendam, nondum ſequitur, quod moleſtiam creet; ſi cui perſuaſeris, quod bonum eſſe putat, non eſſe bonum, is nondum perſuaſus eſt, id eſſe malum, ideoque in ſtatu indifferentiæ manet (§. 587. *Pſych. empir.*), conſequenter nec faſtidium concitatur. Quoniam tamen faſtidium facilius concitari poteſt, ſi cupiditas, quæ ex boni abſentis repræſentatione oritur (§. 810. *Pſych. empir.*), non refragatur; ideo averſatio ſenſitiva, in qua affectus moleſti ſedes eſt (§. 609. *Pſych. empir.*), ad faſtidium diſponitur, ſi cui ſaltem perſuaſeris, bonum non eſſe, quod bonum putat. *Quod erat alterum.*

Cum in affectibus concitandis bonum ſpectetur tanquam voluptatis, malum tanquam moleſtiæ ſeu tædiorum creatrix; difficile omnino eſt alteri perſuadere, malum eſſe, quod bonum eſſe putat. Voluptatis enim præſentis, quam percipit, ſibi conſcius eſt; aſt moleſtias, quibus aliquando eam luere cogetur, nondum ſentit, immo ſi vel maxime ponas, eum moleſtias jam percepiſſe, quas bonum apparens ipſi creavit, præteritorum tamen memoria multum cedit ſenſui præſenti. Taceo cauſas alias, quæ moleſtias futuras in dubitationem adducere ſolent. Niſi itaque ratio in

ſubſidium vocetur, eique aker benignas præbeat aures; parum aut nihil effeceris. Aſt hoc pertinet ad regimen affectuum, de quo in ſequentibus dicemus. Voluptates ſenſuales in ſe tales ſunt, ut ſenſim ſenſimque decreſcant, præſertim ſi fiant quotidianæ, & ideo faſtidium veluti ſua ſponte ſequatur, quamvis etiam plures ſint cauſæ, quæ iis pretium, quod ſtatuitur, detrahunt. Et huc reſpicit *Carteſius*, quando ait, durationem boni gignere ſatietatem, ſeu faſtidium. Immo dantur etiam cauſæ; cur quid voluptatem creet, quod per ſe nulla animum perfundere amplius poterat.

§. 419.

Quo tendat faſtidium.

Faſtidium tendit ad abſtinendum ab eo, quod faſtidimus: immo huc etiam jam tendit diſpoſitio facultatis averſandi ad faſtidiendum. Etenim faſtidium oritur, ſi, quod nobis tanquam bonum repræſentabamus, idem deinceps tanquam malum nobis repræſentemus (§. 859. *Pſych. empir.*). Quamobrem quod antea cupiditatem gignebat (§. 810. *Pſych. empir.*), id orto faſtidio fugæ cauſa eſt (§. 813. *Pſych. empri.*). Quoniam itaque fuga tendit ad impediendum, ne malum, quod præſens fieri poterat, præſens fiat (§. 391.), hoc vero impeditur, ſi eo, quod faſtidimus, abſtinemus, quod per ſe patet; faſtidium tendit ab eo abſtinendum, quod faſtidimus. *Quod erat unum.*

Enimvero ſi alteri perſuadeas, quod bonum eſſe putat, bonum non eſſe cum appetitus non determinetur niſi repræſentatione boni (§. 893. *Pſych. empir.*); quod antea appetebat, non amplius appetit. Ceſſante igitur actu appetitus, ceſſat quoque actus externus, quo quod nondum præſens, eſt præſens ſiſtitur (§. 250.). Quamobrem cum tunc eo, quod antea

antea appetebamus, abſtinemus, facultas autem averſandi ſenſitiva ad faſtidiendum diſponitur, ſi alteri perſuaſeris, quod bonum eſſe putat bonum non eſſe (§. 418.); ipſa diſpoſitio facultatis averſandi ad faſtidiendum jam tendit ad abſtinendum eo, quod antea appetebat. *Quod erat alterum.*

Faſtidium rei non alio fine concitare ſtudemus, quam ut alter eadem abſtineat. Quilibet igitur pro certo habet, faſtidium tendere ad abſtinendum eo, quod appetitur. Adhiberi ſubinde ſolent media phyſica, veluti ſi cibo, vel potui, quem quis nimis avide appetit, ſaporem ingratum concilias, qui nauſeam excitat. Aſt talia non pertinent ad philoſophiam moralem, quamvis ex hujus principiis definiendum, quando mediis iſtis uti liceat; & quomodo ab iis pendeat mutatio facultatis appetendi & averſandi ſenſitivæ demonſtrandum. Animus facilius diſponitur ad faſtidiendum, quam faſtidium concitatur, id quod ex propoſitione præcedente abunde liquet (§. 418.). Quamobrem cum hac diſpoſitione idem obtineatur, quod faſtidio intenditur, quamvis negari non poſſit abſtinentiam, quæ huic debetur, magis conſtantem eſſe, quam quæ ab illa venit; in praxi morali in diſponenda facultate averſandi ſenſitiva ad faſtidiendum acquieſcere poſſumus, præſertim ſi accedat voluntatis atque noluntatis emendatio, ſeu regimen affectuum, de quo deinceps dicemus. Quoniam delectationes ſenſuales licitæ ſunt, ſi fuerint innocuæ (§. 409. *part. 1. Jur. nat.*); faſtidio concitando in praxi morali locus non eſt, niſi quando fuerint nocuæ. Cenſentur vero etiam nocuæ, ſi in ſe ſpectatæ quidem innocuæ ſunt, aſt ob circumſtantias ſingulares iisdem frui non licet niſi cum neglectu officiorum, qui prorſus indispenſabilis.

§. 420.

§. 420.

De ira concitanda.

Si cui perſuaſeris, quod ipſi injuria facta fuerit ab alio, ira concitatur. Etenim ſi cui perſuaſeris, quod ipſi injuria facta ſit ab alio, injuriam iſtam ſibi repræſentat. Quamobrem cum ex repræſentatione injuriæ ſeu ex opinione mali ex facto alterius nobis emergentis ira oriatur (§. 868. *Pſych. empir.*); ira concitatur ſi cui perſuaſeris, quod ipſi injuria facta ſit ab alio.

Ira affectus impetuoſiſſimus eſt, qui facillime agnoſcitur, præſertim cum verſetur circa perſonam, quæ nobis injuriam fecit. Injuriam faciens ſemper nobis infert malum quoddam, cujus adeo cauſam alterum nobis repræſentamus. Supponit itaque ſemper factum alienum, ex quo malum quoddam in nos redundat, veluti quod famam noſtram læſit, quod damnum quoddam dedit, quod defraudavit, quod vulnus corpori noſtro inflixit. Hinc facile intelligitur, ſi ira concitanda, commemorandum eſſe aliquod factum, atque oſtendendum, quale & quantum malum inde in eum redundet, qui ad iram provocandus. Solent autem alii ad iram eſſe procliviores aliis, ut ideo non omnes eadem facilitate ad eam provocentur. Et differt ira gradu non modo quod non omnium eadem ſit de malo ſibi ab alio facto opinio, verum etiam quia naturalis iſta ad iram proclivitas in aliis major eſt, in aliis minor. Pendet etiam gradus iræ ab affectibus ceteris, quæ cum eadem permiſcentur (§. 867. *Pſych. empir.*).

§. 421.

Quænam obſervanda in concitanda ira ob injuriam.

Si ira concitanda adverſus eum, qui non tibi, ſed tertio cuidam injuriam fecit, ante concitandus eſt amor ejus, cui injuria facta, aut odium ejus, qui injuriam fecit. Patet ex iis, quod alibi demonſtravimus, nos iraſci ei, qui alteri, quem amamus

amamus, injuriam fecit (§. 874. *Pſych. empir.*), atque ei, quem odio habemus, ob injuriam aliis factam (§. 875. *Pſych. empir.*). *rium tertio cuidam factam.*

Hinc videas parentes ad iram commoveri injuria liberis facta, quos amant. Iraſcimur latronibus, qui crudelitatem adhibuerunt in alios, in quos odium habemus ob malitiam per ſe ipſos delectantem. Conſtat nos vel amare, vel odiſſe alios, vel eſſe indifferenti in eos animo. Qui alterum odit, is tædium ejus appetit (§. 669. *Pſych. empir.*), conſequenter delectatur malo ipſi illato (§. 156.), ideoque fieri nequit, ut injuriam inferenti iraſcamur (§. 862. *Pſych empir.*). Si indifferente in alterum animo ſumus, ea, quæ ipſi obtingunt bona vel mala, parum curamus, tanquam ad nos minime ſpectantia. Qui alterum amat, ex ejus tædio ipſemet tædium percipit (§. 642. *Pſych. empir.*), atque ita amor animum diſponit ad iram adverſus eum concipiendam, qui perſonæ amatæ injuriam facit (§. 862. *Pſych. empir.*). Quando igitur iraſcimur ei, quem odio habemus, ob injuriam factam alteri, in quem alias indifferente animo ſumus, amor naturalis, quo natura hominem homini commendat, & qui hactenus quaſi concluſus latuit, vires capit.

§. 422.

Ira tendit ad vindictam, ſeu malum malo referendum &, ſi in poteſtate noſtra id non fuerit, ad mala imprecandum. Ira enim cum vindictæ cupiditate conjungitur (§. 872. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum cupiditas tendat ad id, quod cupimus, obtinendum (§. 388. vindicta autem conſiſtat in actibus, quibus alteri tædium creatur, propterea quod nos offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*); ira tendit ad ea, quæ alteri tædia creare poſſunt, ſeu ad vindictam. *Quod erat primum.* *Quo tendat ira.*

Aſt malum malo referimus, ſi alter nobis extitit cauſa mali & nos viciſſim ipſi cauſa mali exiſtimus, quia ipſe extitit (§. 798. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum ira tendat ad vindictam *per demonſtrata n. 1.* & vindicta conſiſtat in actibus, quibus alteri tædium creatur, propterea quod nos offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quibus malum alteri infertur (§. 569. *Pſych. empir.*), quia ipſe nobis intulit (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*); ira tendit ad malum malo referendum. *Quod erat ſecundum.*

Enimvero ſi in poteſtate noſtra non fuerit, ut alteri malum interamus, cum tamen malum ipſius appetamus, non aliud nobis relinquitur, quam ut mala eidem imprecemur. Quamobrem ira tum tendit ad mala imprecandum. *Quod erat tertium.*

Quo tendat ira, facta & verba iraſcentium abunde produnt. Ecquis eſt, qui neſciat, quam multi ira commoti occiderint alios? Nonne indies experimur, iratos plagis afficere alios? Experientia quotidiana docet, nihil moderabile ſuadere iram, ideoque ira furor brevis dicitur. Imprecationes noto notiores ſunt, quam ut eas commemorari opus ſit. Ira omnino affectus nocentiſſimus eſt, & tendit ad id, quod lege naturæ prohibitum. Debemus enim habere animum ab omni vindictæ cupiditate alienum (§. 948. *part. 1. Jur. nat.*), nec ideo iraſci alteri, quia nos offendit (§. 949. *part. 1. Jur. nat.*). Malum malo referre non debemus (§. 809. *part. 1. Jur. nat.*), nec mala alteri imprecari (§. 868. *part. 2. Jur. nat.*), multoque minus alios execrari (§. 869. *part. 1. Jur. nat.*). Differt nimirum imprecatio ab execratione, quod mala majora imprecemur ei, quem execramur (§. 865. *part. 3. Jur. nat.*).

§. 423.

Si cui perſuaſeris, injuriam ipſi factam eſſe ab alio, is tamen animum habet a vindictæ cupidine alienum; indignatio concitatur. Etenim ſi cui perſuaſeris, injuriam ipſi factam eſſe ab alio, ira concitatur (§. 420.). Quoniam tamen animum habet a vindictæ cupidine alienum, *per hyoth.* ab ira ſejungitur cupiditas vindictæ. Quamobrem cum indignatio ſit, ſi ad iram concitatus habeat animum a vindictæ cupidine alienum (§. 873. *Pſych. empir.*), cujus cupiditas cum ira conjungitur (§. 872. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris, injuriam ipſi factam eſſe ab alio, is tamen animum habet a vindictæ cupidine alienum; indignatio concitatur. *De indignatione concitanda.*

Indignatio facilius concitatur, ſi injuria afficiuntur alii, in quos indifferenti ſumus animo. Cum enim hic plerumque deficiat ratio cupiditatis vindictæ, nec perſonam, quæ injuriam facit, alia de cauſa jam oderimus, ut magis oderimus factum, quam facientem; vindictæ quoque cupido non oritur, ſine qua ira non concipitur (§. 872. *Pſych. empir.*).

§. 424.

Quoniam indignatio concitatur, ſi cui perſuaſeris injuriam ipſi factam ab alio, is tamen habet animum a vindictæ cupiditate alienum (§. 422.), ira autem langveſcente, cum ad ſe redeat animus, cupiditas victæ exſpirat non una de cauſa; *ſi iratus ad ſe rediens rationes attendit, quæ a cupiditate vindictæ animum revocant, ira in indignationem abit.* *Quando ira in indignationem abeat.*

Variæ omnino ſunt rationes, ob quas cupiditatem vindictæ miſſam facit iraſcens. Ita ſi quis animadvertit impotentiam ſuam, vel rationes aliæ efficiant vindictam impoſſibilem,

aut ſaltem difficillimam, vanam eſſe ſine viribus iram agnoſcens de injuria vindicanda non amplius cogitat. Similiter ſi cujus bona fuerit voluntas, & vindictam omnem illicitam agnoſcit, eam ſuſpicere non vult. Idem contingit, ſi quis videt, quod injuriam vindicando in malum majus ſe conjecturus ſit. Huc etiam pertinet, ſi patientia vincit dolorem, quem cauſatur injuria ſibi facta.

§. 425.

Quo tendat indignatio.

Indignatio tendit ad factum injuriam facientis improbandum, vel, niſi occaſio deſit, idem ipſi exprobrandum, tum etiam ad commercium cum eo fugiendum, ſi verendum, ne denuo injuriam faciat. Etenim vindicta, quæ conſiſtit in actibus, quibus alteri tædium creatur, propterea quod nos offendit (§. 947. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quia nobis tædia creavit (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), aliud intendi nequit, niſi ut alterum ab injuria facienda deterreamus, quando videt quod nos impune laceſſere non poſſit. Quamobrem ſi cupido vindictæ ceſſat, ut ægre facere alteri nolimus; ex facto tamen ipſius tædium adhuc percipimus, quamdiu eidem indignamur (§. 873. *Pſych. empir.*); nihil nobis relinquitur, quam ut id ipſi exprobremus, niſi deſit occaſio, aut hac deficiente ſaltem improbemus, quaſi ad exprobrandum parati. Indignatio igitur tendit ad factum improbandum &, niſi deſit occaſio, injuriam facienti exprobandum. *Quod erat unum.*

Quoniam indignans alteri ex injuria ab altero ſibi illata tædium percipit (§. 873. *Pſych. empir.*), id omnino averſatur (§. 156.). Quamobrem cum omnis averſatio tendat ad aliquid depellendum (§. 250.), id ſcilicet, quod averſamur; indignans alteri injuriam ulteriorem a ſe depel-

pellere intendit. Quoniam itaque vitanda occaſio eſt, indignatio ad commercium cum eo, cui indignatur, fugiendum, ſi verendum ne denuo injuriam faciat. *Quod erat alterum.*

Equidem irati quoque, quando injuriam factis rependere nequeunt, minis, convitiis, improbationibus & exprobrationibus eam compenſare ſolent; attamen cupiditas ulciſcendi propterea non ceſſat, quia hoc modo injuriam ulciſci volunt, quam factis ulciſci minime poſſunt. Alia vero longe eſt injuriæ improbatio & exprobratio, quando cupiditas vindictæ abeſt. Differentiam manifeſto produnt vultus, vocis, immo etiam geſtuum atque ſermonis diverſitas, cum in indignatione nihil horum ſit minax, quemadmodum in irato.

§. 426.

Iraſcuntur etiam homines animantibus brutis, ſi læſionem ali- Quando ho-
is factam per modum injuriæ ſibi repræſentant; immo etiam rebus in- mines ani-
animatis, per quas ipſis damnum datur, ſi eas ſibi repræſentant mantibus
tanquam damni dati cauſam. Etenim ſi a brutis læduntur, ſeu *brutis &* re-
malum quoddam ab iis ipſis infertur, moleſtiæ ſive dolo- *bus inanima-*
ris creatrix, & per modum injuriæ hoc ſibi repræſentant; *tis iraſcantur*
perinde ipſis eſt ac ſi ab homine injuria facta fuiſſet. Quamobrem cum ad iram concitentur, ſi ab hominibus injuria ipſis fiat (§. 868. *Pſych. empir.*); animantibus quoque brutis iraſcuntur, ſi læſionem ab iisdem factam per modum injuriæ ſibi repræſentent. *Quod erat unum.*

Similiter ſi damnum homini datur per res inanimatas & is ſibi eandem repræſentat tanquam cauſam damni, cum damnum in ſe trahat omnem attentionem & actio, qua datum, inter cauſam liberam & neceſſariam non diſtingvit, conſequenter damnum ſibi datum eodem loco

habet, ac ſi ab homine datum fuiſſet. Atque ideo patet, ut ante, quod ad iram concitetur. *Quod erat alterum.*

Homines iraſci animantibus brutis experientia docet: id quod mirandum non eſt, cum vulgo actiones brutorum humanis æquiparentur, actiones externas, quæ externis cum humanis convenientibus reſpondent, humanis internis aſſimulando. Neque etiam eſt, quod miremur, actiones brutorum non diſcerni ab humanis. Ira enim naſcitur ſubito & perturbatio animi incipit cum ipſa perceptione facti, quo tædium nobis creatur. Et eadem eſt ratio, cur rebus quoque inanimatis homines imputent actiones ſuas, iisdemque iraſcantur. Nihil vero hic inſoliti, quod non æque obſervetur, quando hominibus iraſcuntur. Ecquis enim eſt qui neſciat, iram quoque naſci ex imputatione actionum, quæ imputari minime debebant, aut culpa facile condonanda committuntur. Hinc audias excuſationes eorum, quibus iraſcuntur, quod non lubenter fecerint, vel quod caſum evitare non potuerint.

§. 427.

Quo tendat ira in bruta vel res inanimatas concepta.

Quando homines brutis, vel etiam rebus inanimatis iraſcuntur, ira quoque tendit ad vindictam, aut, ſi eam exequi nequeant, ad imprecationes & execrationes. Quando enim homines brutis, vel rebus etiam inanimatis iraſcuntur, actiones brutorum & rerum inanimatarum ab humanis non diſcernunt, ſed hiſce æquiparant (*not.* §. 426.). Quoniam igitur bruta atque res inanimatas perinde ac homines ſpectant tanquam autores facti, quod tædium ſibi creat, ira eodem quoque tendit, quo tendit, quando hominibus iraſcuntur. Enimvero ſi hominibus iraſcuntur, ira tendit ad vindictam, aut ſi eam exequi nequeant ad imprecationes aut execrationes (§. 422.). Ergo quando iraſcuntur brutis,

tis, vel rebus inanimatis, ira quoque tendere debet ad vindictam, aut, ſi eam exequi nequeunt, ad imprecationes & execrationes.

Probant hoc facta & dicta eorum, qui brutis & rebus inanimatis iraſcuntur. Videas enim iratos ſævire in bruta & res inanimatas, audias imprecationes & excreationes. Non eſt quod dicas, eſſe hoc furioſi hominis, non ejus, qui ſanæ mentis eſt: ira enim furor brevis eſt, nec magis ad furorem accedit, quam quando in bruta ipſasque res inanimatas ſe exerit. Affectus præſertim perturbatiores, qualis ira eſt, non permittunt, ut per ea, quæ in perceptionibus confuſis ipſorum creatricibus latent, a ſe invicem diſcernantur, quæ diverſa ſunt, primo tamen adſpectu tanquam eadem apparent.

§. 428.

Gaſſendus Phyſ. ſect. 3. memb. 2. lib. 10. c. 7. f. 500. *lenitatem* conſiderat tanquam affectum iræ oppoſitum. Quamvis vero ea referri minime poſſit ad commotiones animi vehementiores, quales ſunt affectus (§. 603. *Pſych. empir.*), ideóque eandem in Pſychologia empirica affectibus non annumeraverimus (§. 349. *Log.*); non tamen hic eandem prætermittere voluimus, quia uſum habet in praxi morali. Cum ira ſit tædium inſigne ortum ex injuria nobis vel aliis illata, conjunctum cum odio ejus, qui eam intulit (§. 862. *Pſych. empir.*), & cupiditatem vindictæ alat (§. 872. *Pſych. empir.*); *lenitas* erit tædium lene ortum ex perceptione mali, quod opinione noſtra injuria nulla videtur, aut ſaltem levis, atque ab animo ulciſcendi alienum. *Quid lenitas ſit.*

Lenitas eſt quaſi indignatio naſcens (§. 873. *Pſych. empir.*), & potiſſimum conſpicitur in eo caſu, quando ei, quem amamus, ne quidem indignamur (§. 877. *Pſych. empir.*): amor

amor enim indignationem refrænat, ne tendat ad improbationem, vel exprobrationem facti, ſed ut id facilem habeat apud nos excuſationem, cum alteri idem non imputemus, quia non improbo animo, vel nulla etiam culpa, aut facile condonanda feciſſe videtur. Non diſſentit in hiſce *Garſendus*, qui ſedationem potius, quam commotionem & perturbationem animi eſſe lenitatem dicit, ut propterea ab affectibus excludenda videri poſſit: quoniam tamen non mera privatio eſt, ſed omnino aliqua motio, eaque placida ac iræ oppoſita, quæ motio turbulenta eſt, eam affectibus accenſere maluit. Parum vero refert, utrum lenitatem affectum voces, nec ne, modo concedas eam dari.

§. 429.

De lenitate concitanda,

Quoniam lenitas tædium leve eſt ortum ex perceptione mali quod opinione noſtra injuria nulla videtur, aut ſaltem levis, atque ab animo ulciſcendi alienum (§. 428.), malum autem, quod tædium lene creat, exiguum eſſe debet, quod per ſe patet; *ſi lenitas concitanda, malum, quod alteri factum, extenuandum, id non improbo animo factum, ſed culpa facile condonanda, vel prorſus nulla, ideoque nullam rationem eſſe, ut de vindicta cogitetur, oſtendendum.*

Conſtat remediis hiſce uti omnes ad iram mitigandam, ſeu animum irati leniendum. Eo ipſo autem non aliud intenditur, quam ut ab ira ad ſtatum eidem oppoſitum animus perducatur, in quo lenitas conſiſtit (§. 429.). Quamobrem idem quoque fieri poteſt, ſi iram præcavere & lenitatem ſtatim concitare velis. Atque tum facilior ſperatur ſucceſſus, quia animus adhuc quietus ad ſingula ponderanda aptior eſt, quam ubi affectu turbulentiſſimo jam fuerit commotus.

§. 430.

Digitized by Google

§. 430.

Lenitas tendit ad injuriam ſibi factam alteri condonandam. Qui enim leni eſt animo factum alterius, quod ipſi tædium quoddam leve creat, aut ſaltem creare poterat, pro injuria non habet, aut ſaltem levi, ideoque ulciſcendi animum non habet. Quamobrem cum offenſam, ideoque factum, quod tædium creare poteſt (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), condonet, qui cupiditatem vindictæ deponit (§. 959. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter qui a vindictæ cupidine alienum habet animum; lenitas tendit ad injuriam ſibi factam condonandum. *Quo tendat lenitas.*

Dantur cauſæ complures, quæ cupiditatem vindictæ refrenant, ut ideo cautione opus ſit, ne lenitati tribuatur, quod aliam prorſus cauſam habet. Sed de his plura dicemus ſuo loco. Aliud nimirum eſt vindictam omittere, aliud injuriam vindicare nolle. Illud fieri poteſt ac ſæpiſſime fieeri ſolet, manente cupiditate, quæ differtur, conſequenter injuria ſibi facta non condonatur; aſt condonatio injuriæ fugam vindictæ continet ac omne odium perſonæ, quæ injuriam fecit, excludit. Quamobrem ab ira ad lenitatem non datur progreſſus, niſi depoſita omni vindictæ cupiditate & odio extincto, ut ſaltem remaneat levis quædam commotio animi ad triſtitiam referenda, quæ efficit, ut factum infectum fieri malles, niſi id eſſet impoſſibile. Unde qui leni ſunt animo ajunt, malle ſeſe, ne hoc factum fuerit, aſt cum factum ſit, id mutari non poſſe. Factum igitur in ſe ſpectatum non approbatur, non tamen refertur ad perſonam tanquam ejus autorem, ut inde odium in eam concipiatur, cupiditatem vindictæ excitaturum. Quodſi hoc perpendas, lenitatem vere talem rariſſimam deprehendes. Videntur equidem nonnulli natura ad lenitatem propenſi; aſt iidem natura ſunt meticuloſi, ut cupiditas vindictæ me-

tu refrenetur & odium occultetur, tunc demum effundendum, quando qui male ipſis fecit, malo & damno mactatur, quo dignum pronunciant hoc malo. Taceo molimina clandeſtina nocendi.

§. 431.

Quid ſit ſedatio affectuum.

Affectus ſedari dicuntur, quando aut extingvuntur, aut ſaltem mitigantur. *Extingvuntur* autem, ſi prorſus ceſſant, ut animus ab iis liberetur; *mitigantur*, ſi gradus imminuitur, ut animus minus perturbetur. Quamobrem cum affectus in appetitionibus & averſionibus vehementioribus conſiſtant(§. 603. *Pſych. empir.*); *ſi affectus extingvuntur, appetitiones & averſiones, ſeu actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ prorſus ceſſant, ſi vero mitigantur, vehementia horum actuum minuitur, ſeu minus fortes, aut debiliores efficiuntur.*

Egimus hactenus de modo concitandi affectus, cum iidem excitandi ſint, quatenus uſui ſunt in praxi morali; nunc vero porro demonſtrandum, quomodo ſedentur, cum iidem ſedandi ſint, quatenus tollendus abuſus. Regimen itaque affectuum, de quo deinceps dicemus, non minus modum ſedandi quam concitandi affectus ſupponit: neque enim affectus uſui nobis eſſe poſſunt, niſi eos concitare poſſimus, quando e re noſtra videtur, neque etiam abuſum vitare valemus, niſi ſponte naſcentes ſedare noverimus. Affectus animum perturbant, eſtque perturbatio nunc major, nunc minor pro diverſitate gradus eorundem. Quando animus ſedandus, a perturbatione iſta liberandus: quæ ſi non omnis auferri poſſit, ut tranquillitas animi adſit, ſaltem imminuenda, ut tranquillior reddatur. Quamvis enim illud intendatur, non tamen ſemper votis reſpondet eventus, ideoque præſtat animi perturbationem eſſe minorem, quam majorem, quando abuſus affectuum impediendus. Atque inde eſt, ut ſedatio duo disjunctive complectatur, nimirum affectus plenariam extinctionem

onem, aut ejusdem mitigationem. Uberiorem lucem hiſce affundet ſpecialis tractatio.

§. 432.

Si cui perſuaſeris, opinionem, quam de bono vel malo fovet, eſſe falſam, affectus eadem concitatus ſedatur. Etenim affectus oriuntur ex confuſa boni & mali repræſentatione (§. 605. *Pſych. empir.*). Quodſi vero alicui perſuaſeris, opinionem, quam de bono vel malo fovet, eſſe falſam, is agnoſcit vel bonum non eſſe quod putaverat eſſe bonum, vel non eſſe malum, quod opinatus fuerat, vel bonum atque malum non eſſe tale, quemadmodum viſum fuerat, vel denique non tantum, quemadmodum videbatur (§. 507. *Log.*). Quamobrem cum affectus, quo commovebatur animus, vel prorſus ceſſet, vel ſaltem gradus ejus imminuatur, quando vero alterutrum evenit, affectus vel extingvatur, vel mitigetur, ideoque ſedetur (§. 431.); ſi cui perſuaſeris, opinionem, quam de bono vel malo fovet, eſſe falſam, affectus eadem concitatus ſedatur. *Quomodo affectus ſedentur.*

Exempla non addimus, dabuntur enim deinceps, quando de affectibus ſedandis in ſpecie acturi ſumus. Hic ſaltem notandum, non confundendam eſſe ſedationem affectus cum ſedatione animi. Quando enim animus ſedatur tunc ab omni prorſus perturbatione liberatur, nullo amplius affectu eundem commovente: aſt ſi affectus præſens ſedatur, fieri poteſt, ut mutata opinione, qua concitabatur, concitetur alius, conſequenter perturbatio alia in locum evaneſcentis ſuccedat. Immo ſi animus prorſus tranquillus eſſe debet, nec commotionem ejus extraordinariam imminui ſufficit, ſed ea prorſus ceſſet neceſſe eſt. Dico commotionem extraordinariam ceſſare debere; ordinariæ enim, quarum ſtimulus eſt voluptatis placidæ, vel tædii animum minime in-

quietantis ſenſus, appetitioni & averſioni omni inſunt (§. 156.). Appetitiones vero & averſiones ordinariæ ſimplices ſunt & ad certum quid tendunt, veluti ad exſpatiandum cœlo ſereno, vel non ad non egrediendum domo cœlo pluvio. Quoniam abſentia ejus, quod averſamur, ſimul repræſentatur tanquam bonum, ſeu oppoſito melius, voluptas quædam temperat in averſione tædium, ut animum inquietare non poſſit. Atque hinc etiam eſt, ut averſioni reſpondens actio tam poſitive, quam negative explicari poſſit, veluti dum nolitio domo egrediendi tempeſtate pluvia etiam effertur per volitionem manendi domi, quamvis etiam utrumque ſimul dicatur.

§. 433.

Quæ in perſuaſione obſervanda.

Quoniam ſi cui perſuaſeris opinionem, quam de bono vel malo fovet, qua affectus concitatur, eſſe falſam, conſequenter quod pro bono habeat, quod non eſt, aut quod malum eſt, vel ex adverſo malum eſſe putet, quod non eſt, aut quod bonum eſt (§. 507. *Log.*), affectus ſedatur (§. 432.), ut autem quis judicet aliquid eſſe bonum, vel malum, principio quodam opus eſt, quod ad id applicatur (§. 50. 51. *Log.*); *ſi affectus ſedandus, vel perſuadendus eſt, principium, quo judicat aliquid eſſe bonum, vel malum, eſſe falſum, vel id, ad quod principium iſtud applicatur, non eſſe, aut falſo ſupponi.*

E. gr. ſi cupiditas cibi cujusdam capiendi extingvenda, is eum bonum judicat, quia bene ſapit, vel quod putet, eum ſanitati ac vigori corporis prodeſſe. In priori caſu opinio quam fovet de cibo explicatur diſtincte per hunc ſyllogiſmum: Quicunque cibus bene ſapit, bonus eſt. At qui hic cibus bene ſapit. Ergo bonus eſt. Cum de guſtu non ſit diſputandum, quia quod uni bene ſapit non ideo

ideo quoque bene ſapit alteri & contra; ſi vel maxime minime gratus tibi fuerit ſapor, ut cibo iſto non delecteris, non tamen perſuadebis alteri eum non bene ſapere. Quamobrem in hoc caſu oſtendendum eſt, bonitatem cibi non eſſe æſtimandam ex ſapore, ſed ex eo, num conducat ſanitati, an eidem adverſetur, ideoque perſuadendum eſt ejus capiendi cupido, eum ſanitati ipſius adverſum eſſe. Quodſi vero judicet cibum eſſe bonum, qui ſanitati ac vigori corporis prodeſt, in caſu hoc poſteriori opinio ejus explicabilis diſtincte per hunc ſyllogiſmum: Quicunque cibus ſanitati ac vigori corporis conducit: bonus eſt. Atqui hic cibus ſanitati & vigori corporis conducit, Ergo cibus hic bonus eſt. Cum principium, quo judicatur de cibo, utrum bonus ſit, nec ne, verum ſit (§. 399. *part. 1. Jur. nat.*); falſitatem minoris ei perſuadere teneris, nimirum quod cibus ſanitati ac vigori corporis minime conducat, ſed potius eidem adverſetur. Abſit ut puerile judices perceptionis confuſæ boni & mali reductionem ad notionem diſtinctam fieri per ſyllogiſmum formalem, confuſa enim perceptio in diſtinctam reſolvi nequit, niſi ſigillatim a ſe invicem diſtingvendo ea, quæ eidem inſunt, non vero inſunt niſi tres notiones tribus ſyllogiſmi propoſitionibus, ex quibus is conſtat, reſpondentes & notio reſpondens propoſitioni diſtincte explicari nequit niſi per propoſitionem determinatam. Opinionis boni & mali, qua affectus concitatur, per ſyllogiſmum formalem explicatio, quæ in eadem quaſi involuta latent, ea a ſe invicem ſeparata in conſpectum producit & veluti manibus palpanda ſiſtit, ut ſingula accurate expendi poſſint, ne quia irrepat tacite in perceptionem affectus creatricem, quod a veritate alienum eſt, atque ita non modo omni animi contentione præcavetur omnis in judicando præcipitantia adeo familiaris etiam illis, qui ceteris acutiores ſunt & ipſo Argo oculatiores ſibi videntur; verum etiam clariſſime perſpicitur, quid faciendum ſit in affectibus tam concitandis, quam ſedandis, ne quid præter-

mittatur, quod fieri poterat, vel committatur, quo abſtinendum erat. Juvat igitur hæc opinionis boni atque mali per ſyllogiſmum formalem explicatio plurimum acumen, quod alias facile deſiderari in nobis patimur, cum ſic ex tenebris in lucem revocentur, ut quaſi in oculos incurrant, quæ alias tenebris obducta nonniſi caſu felici animadvertuntur. Dici equidem poterat perpendendum eſſe, num id, quod affectu commotus ſibi repræſentat, revera ſit, aut num ſit tale, quale ſibi repræſentat, & num ratio, cur bonum, vel malum id judicet, ſit genuina, ut pateat utrum in perceptione affectus genetrice inſit aliquid erronei, nec ne: aſt quis non videt tum recte menti inſinuari, quæ aperte dicuntur, ſi per ſyllogiſmum formalem explicantur. Abſonum vero eſt ſibi metuere, ne repueraſcere videamur, ſi in offenſo pede in recto tramite incedere malimus, ut ſecuri metam optatam contingamus.

§. 434.

De revocatione animi a perceptione confuſa ad diſtinctas notiones.

Affectus ſedatur, ſi animus revocatur a perceptione confuſa, affectus genetrice, ad notiones diſtinctas. Etenim affectus concitantur confuſa boni & mali repræſentatione (§. 605. *Pſych. empir.*), quæ cum ſit eorundem ratio ſufficiens (§. 586. 603. *Pſych. empir*), tamdiu iidem ſubſiſtunt, quamdiu anima illi inhæret (§. 118. *Ontol.*). Enimvero ſi a perceptione confuſa ad diſtinctas notiones revocemur, quæ intellectus objectum ſunt (§. 275. *Pſych. empir.*); attentione ab illa in has retracta, ut harum magis nobis conſcii ſimus, quam illius (§. 234. *& ſeqq. Pſych. empir.*), notio confuſa evaneſcit, ſicque affectus ſucceſſive imminutus tandem extingvitur (§. 431.). Quoniam itaque affectus ſedatur, ſi imminuitur, aut prorſus extingvitur (§. *cit.*); affectus ſedatur, ſi anima a perceptione confuſa, affectus genetrice, ad notiones diſtinctas revocetur.

Notio-

Notiones diſtinctæ cum requirant attentionem & reflexionem (§. 88. *Log.* & §. 257. 258. *Pſych. empir.*), omnem quoque attentionem in ſe attrahunt & a perceptione confuſa retrahunt, ficque ea vel prorſus extingvitur, vel minimum vix ac ne vix quidem appercipitur: id quod unusquisque in ſe experiri poteſt. Notandum vero eſt, ſedandi affectus cauſa non præciſe requiri, ut perceptio confuſa, affectus genetrix, ad diſtinctam notionem revocetur; ſed ſufficit mentem occupari circa notiones diſtinctas alias quascunque. Experientia idem confirmat, ut ideo quoque quaſi natura duce affectum ſedaturi ad cogitationes alias, quam de objecto affectus, animum divertere ſtudeamus non tamen in utroque caſu unus idemque prorſus eſt effectus. Etenim ſi objectum notionis diſtinctæ diverſum fuerit ab objecto perceptionis confuſæ, a qua attentio ad illam retrahitur, affectus non tam extingvitur, quam ſopitur, ut hæc memoriam ſubiens eundem rurſus ſuſcitet. Quodſi vero perceptionis diſtinctæ & confuſæ idem fuerit objectum, affectus extingvitur, aut, ſi vel maxime denuo ſuboriatur, facilius quam ante reprimitur. Eo nimirum in caſu intellectus ducit ad agnitionem erroris in perceptione confuſa latentis & locum facit remedio anteriori (§. 433. 434.). Eſt igitur remedium præſens præparatorium anterioris, quo aufertur cauſa affectus & cum eadem tollitur ipſe affectus. Varia equidem adhuc obſervanda ſunt in praxi; ſed ea facilius innoteſcent ex tractatione ſpeciali, quæ ſequitur.

§. 435.

Si cui perſuadendum, opinionem, quam de bono vel malo fovet, affectus creatricem eſſe falſam, probe conſiderandum eſt, num influxu imaginationis bonum vel malum intendatur, ſeu efficiatur ut ſunt in demajus appareat, quam revera eſt. Quoniam enim ideam boni, quando rem tanquam bonam confuſe nobis repræſentamus, ingrediuntur voluptates quæcunque ex re iſta, vel cum

De iis, quæ obſervanda ſunt in detegenda falſitate opinionis affectu creatricis.

cum eadem antea perceptæ (§. 593. *Pſych. empir.*), tuncque bonum majus videtur, quam ipſo ſenſuum judicio deprehenditur (§. 597. *Pſych. empir.*), ac ſimiliter ideam mali, quando rem tanquam confuſe nobis repræſentamus, ingrediuntur tædia ex re iſta vel cum eadem antea ſimul percepta (§. 594. *Pſych. empir.*), tumque malum majus videtur, quam ipſo ſenſuum judicio deprehenditur (§. 598. *Pſych. empir.*); opinio, quam de bono vel malo fovemus, utique falſa eſt, quatenus majus, vel minus habetur ipſo ſenſuum judicio, quam revera eſt (§. 507. *Log.*). Et quia in hoc caſu appetitus fortior efficitur (§. 595. *Pſych. empir.*), itidemque averſatio, quam perceptione boni, vel mali ab errore purgata foret (§. 596. *Pſych. empir.*), affectus vero ſunt actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ vehementiores (§. 603. *Pſych. empir.*); error, qui in opinionem affectus creatricem influit, in cauſa eſt, ut vel affectui concitando ſufficiat, cum alias non ſufficeret, vel ut affectus ſit impetuoſior, quam alias foret. Quodſi itaque alicui perſuadendum, opinionem, quam de bono vel malo fovet, affectus creatricem eſſe falſam, probe conſiderandum, num influxu imaginationis bonum vel malum intendatur, ſeu efficiatur, ut majus appareat, quam revera eſt.

Error de magnitudine boni vel mali maximam vim habet in concitandis affectibus. Alias nimirum omnes actus appetitus ſenſitivi vel averſationis ſenſitivæ forent affectus, cum omne bonum excitet appetitionem (§. 589. *Pſych. empir.*), malum omne averſionem (§. 590. *Pſych. empir.*), nec unus idemque affectus unquam gradu differret, ſed ſemper eadem eſſet ejus vehementia: quod tamen utrumque abſurdum eſſe cum ratio, tum experientia docet, quæ ambæ con-

contradicunt. Quamobrem in ſedando affectu magnam quoque vim habet agnitio erroris de magnitudine boni vel mali. Equidem non cujusvis eſt, neque etiam adeo facile detegere influxum imaginationis in opinionem de magnitudine boni, vel mali, & quod huic tribuendum ſeparare ab eo, quod ſenſui debetur, immo difficilius adhuc eſt, idem perſuadere alteri, præſertim ei, qui de influxu iſto nunquam cogitavit, ut ignotum quid & ipſa novitate ſuſpectus ipſi videatur: non tamen propterea influxus iſte ſilentio erat præteerundus erat nec ejus conſideratio prorſus intulis cenſeri poterat, præſertim cum maxime hæc conveniat præparationi ad caſus futuros, de qua ſuo loco dicemus.

§. 436.

Qui affectus ſedare voluerit; is ut bonum & malum apparens a vero diſcernere norit, neceſſe eſt. Qui enim affectum ſedare vult, alteri perſuadere debet, opinionem, quam de bono & malo fovet, eſſe falſam, ſi nempe per errorem pro bono habet, vel etiam pro malo, quod non eſt, ſed ſaltem apparet (§. 435.). Quamobrem neceſſe eſt, ut bonum & malum apparens a vero diſcernere norit.

De neceſſitate bonum & malum apparens a vero ſeparandi.

Si opinio erronea, qua affectus concitatur, detegenda, prima omnino cura eſſe debet, ut inquiratur, num error in eo committatur, ut bonum videatur, quod non eſt, vel etiam malum, quod non eſt. Hoc enim facit ad affectum extingvendum cum ex adverſo error de magnitudine boni, vel mali plerumque ſaltem faciat ad eundem imminuendum. Ultro autem quilibet largietur, præſtare ut affectus extingvatur, quam ut ſaltem mitigetur. Quamobrem probe perpendenda ſunt, quæ ſupra de bonorum differentia & malorum diſcrimine prolixe admodum demonſtravimus (§. 43. *& ſeqq.*). Perfectio voluntatis conſiſtit in determinabilitate ejusdem per bonum nonniſi verum, & no-

luntatis perfectio in determinabilitate per malum nonnisi verum (§. 271. *part. I. Jur. nat.*). Quamobrem sedatio affectuum plurimum dependet a perfectione voluntatis & noluntatis, cum hæc animum ducat ad aversandum id, quod nonnisi boni vel mali apparentis repræsentatione oritur, consequenter affectum, qui opinione hujus boni, vel mali concitatur. Quoniam affectus pravi, a quibus animus liberandus, morborum instar sunt respectu animæ; natura tum fit quasi animæ medicatrix, ut affectus sua quasi sponte absque ullis remediis sedetur, quemadmodum natura expellendo materiam peccantem morbi causam medicatrix est corporis, quod absque remediis a medico propinatis a morbo liberat. Pertinent hæc ad nexum modificationum animæ & per consequens ad latebras atque recessus in animis hominum, de quibus jam multoties diximus.

§. 437.

Quænam observanda in refellenda opinione boni, vel mali, qua affectus concitatur.

Si affectum sedare volueris alteri persuadendo opinionem boni, vel mali esse falsam, qua concitatur, ratio habenda notionis boni & mali, vi cujus sibi aliquid tanquam bonum vel malum repræsentat, quantum datur, præsertim ubi medela prompte afferenda. Etenim si alteri persuadere volueris, opinionem boni, vel mali esse falsam, qua affectus concitatur; ostendendum est, ipsum pro bono habere, quod non est, aut malum ipsi videri, quod non est (§. 507. *Log.*). Enimvero si quis pro bono vel malo aliquid habet, necesse est, ut aliqua ipsi sit boni, vel mali notio, quam ad id applicat. Quamobrem aut ostendendum notionem boni & mali, quam applicat, esse erroneam, nimirum quod tale est, quale is bonum esse supponit, bonum non esse, aut quod tale est, quale is malum esse supponit, malum non esse, aut id, ad quod notionem boni vel mali applicat, non

non eſſe tale, quale ſupponit. Quodſi poſterius obtinet, multo facilius id ipſi perſuaſeris, quam ut eundem ad agnitionem notionis erronea perducas, cum præjudicia, quæ altas in animo radices egerunt, difficillime eradicentur. Quamobrem ſi ſedare affectum volueris alteri perſuadendo opinionem boni, vel mali eſſe falſam, qua concitatur, ratio habenda notionis boni & mali, vi cujus ſibi aliquid tanquam bonum vel malum repræſentat, quantum datur. *Quod erat unum.*

Quodſi affectui ſedando non multum temporis impendi poteſt, ideoque medela ſtatim afferenda; in refellenda opinione erronea, qua affectus concitatur, utendum eſt rationibus, quibus facilius errorem alteri perſuaſeris, quam aliis, quibus idem difficilius obtinetur. Quoniam itaque errorem ſuum alteri facilius perſuades, ſi oſtendas, ſtante notione boni & mali, vi cujus id, quod animo ipſius obverſatur, tanquam bonum, vel malum ſibi repræſentat, idem bonum, vel malum non eſſe, quam ubi perſuadere volueris, notionem boni, vel mali, quam habet, erroneam eſſe, *per demonſtrata*; ſi affectum ſedare volueris alteri perſuadendo, opinionem boni, vel mali eſſe falſam, qua concitatur, ratio inprimis habenda eſt boni vel mali, vi cujus ſibi id, quod animo ipſius obverſatur, tanquam bonum vel malum repræſentat, ubi medela prompte afferenda. *Quod erat alterum.*

Monuimus jam in ſuperioribus (*not.* §. 433.), ſi immutanda opinio, qua concitatur affectus, ut is ſedetur, totum negotium redire ad refellendum ſyllogiſmum practicum, cujus concluſio eſt, objectum affectus eſſe bonum, vel malum, nimirum ſequentem: Quicquid tale eſt, id bonum vel malum. Atqui

objectum tale eſt. Ergo objectum hoc bonum, vel malum eſt. Quodſi notio, boni vel mali, vi cujus objectum affectus tanquam bonum, vel malum repræſentatur, refellenda, major impugnanda; ſi vero falſitas opinionis, quam de eadem fovet, ſtante iſtâ notione oſtendenda, minor refutanda. Quodſi minor revera fuerit falſa perinde ac major, falſitatem minoris facilius omnino perſuaſeris erroneam de objecto affectus opinionem foventi, quam majoris. Ita ſi quis factum alterius ſibi repræſentat tanquam famæ ſuæ adverſum, ideoque ipſi iraſcitur, quia dogma quoddam ſuum refutavit, facilius omnino ipſi perſuaſeris errorem ubi oſtenderis ipſum inſulſe admodum perſtringere, quod non intelligit, quam dogmatis refutationem non eſſe famæ adverſam. Notiones boni & mali erroneæ non adeo facile corriguntur, ubi ad ſpecialia deſcendimus, quam veritate tantiſper ſepoſita ex notionibus domeſticis aliquis redarguitur erroris ſui. Similiter ſi quis munus ambire cupit, quod cum præſente permutet, quia reditus pingviores præſentibus eſſe putat; facilius cupiditatem delebis, ſi ipſi perſuaſeris, tantos non fore redius, quanti ipſi videntur, quam ſi oſtendere volueris in eligendo munere non præferendum eſſe iſtud, quod pingviores reditus affert. Quemadmodum vero ſæpius jam monuimus, ea, quæ affirmantur, vel negantur, non extendenda eſſe ultra hypotheſin, ſeu ea quæ ſumuntur; ita idem hic quoque inculcandum. Fieri enim poteſt, ut aliæ ſuperveniant conditiones, ob quas error in majore latens facilius alteri perſuadetur, quam qui in minore deprehenditur, vel etiam ut uterque eadem facilitate perſuadeatur. Quemadmodum in omni praxi morali multa circumſpectione opus eſt, ne qua circumſtantia prætermittatur, quæ attendenda eſt; ita eadem circumſpectione quoque opus eſt in ſedandis affectibus.

§. 403.

§. 438.

Affectus contrarii dicuntur, qui ſimul exiſtere neque- *Affectus contrarii quinam.*
unt in eodem ſubjecto.

Ita gaudium & triſtitia affectus contrarii ſunt, quia fieri nequit, ut qui gaudet ſimul contriſtatus ſit. Aſt odium & cupiditas vindictæ ſibi invicem non contrariantur, cum in ira conjungantur. Simul autem exiſtunt non modo, quæ una ponuntur, verum etiam quæ tempuſculo imperceptibili ſe invicem conſequuntur, ut quaſi in unum confuſa ſimul appercipiantur, ſicuti videmus in exercitio habituum plures actus diverſi tanta celeritate ſe invicem conſequi, ut actum unum mentiantur, & in perceptionibus confuſis animæ idem obſervatur.

§. 439.

Si affectu uno præſente concitetur alius, ille *prædo-* *Quinam affectus prædominetur.*
minari dicitur, qui vehementior eſt, ut alterum ſupprimat.

Si quis valde contriſtatus eſt, eique dones nummum aureum, quo alias multum delectatur, triſtitia prædominatur, ſi ea non extingvitur; ſed gaudium in ipſo ortu ſupprimit, nec ullum ipſi relinquit locum. Aſt gaudium prædominatur, ſi triſtitiam arcet.

§. 440.

Affectus præſens affectu contrario ſedatur, ſi hic prædomi- *De affectu ſedando contrario concitato.*
natur. Etenim ſi affectus, qui concitatur, fuerit contrarius præſenti, quo animus commovetur, cum illo ſimul exiſtere nequit (§. 438.). Quodſi is prædominetur, vehementior eſt & præſentem ſupprimit (§. 439.), conſequenter hunc arcet & eo ſolo jam commovetur animus. Quamobrem cum affectus ſedetur, ſi exſtingvitur, ut exiſtere deſi-

nat (§. 431.); affectus præſens affectu contrario ſedatur, ſi hic prædominatur.

Ira ſi gaudio ſeu lætitia ſedare velis triſtitiam, neceſſe eſt ut gaudio vehementius commoveatur animus, quam triſtitia: quodſi enim triſtitia prædominetur, nihil efficeris, cum triſtitia in ipſo ortu gaudium ſupprimat, ut vires capere non poſſit. Hinc etiam videmus, irrito conatu tentari, ut ad gaudendum permoveatur, qui valde contriſtatus eſt. In *Laurentio*, qui carbonibus candentibus toſtus tyrannum irridebat, repræſentatio beatitudinis externæ, quam a morte expectabat, lætitiam ineffabilem concitabat, eamque augebat cogitatio gloriæ martyrum, ut dolorem horrendos cruciatus paſſus non apperciperet, ideoque minime contriſtaretur, quemadmodum etiam legitur de Apoſtolis, quod lætitia exultaverint contumelias Chriſti cauſa perpeſſi.

§. 441.

Quænam eo fine prognoſcenda.

Quoniam affectus præſens affectu contrario ſedatur, ſi hic prædominatur (§. 440.), cumque affectus ex confuſa boni & mali repræſentatione oriantur (§. 605. *Pſych. empir.*), vehementia eorundem dependeat ab opinione magnitudinis boni atque mali & certitudine viſa hujus opinionis; *affectum præſentem affectu contrario ſedaturus noſſe debet, quinam affectus ſibi invicem contrarii ſint, & quænam ſit opinio boni vel mali, qua affectus concitatur, quamque firma ſit perſuaſio.*

Bonum & malum admittere gradus, ut unum altero majus appareat, noto notius eſt. Quamobrem in opinione boni & mali affectus creatrice non modo ſpectanda eſt ratio, ob quam objectum affectus bonum, vel malum eſſe putatur, verum etiam conſideranda eſt magnitudo boni, vel mali, quæ videtur affectu commoto. Qui veritatis convictus eſt, is prorſus certus eſt de veritate judicii ſui: aſt opi-

opiniones cum non ſint niſi probabiles, probabilitas vero ſuos habeat gradus, perſuaſio quoque, qua gignuntur, gradus admittit, ut quis certior ſibi videatur de eo, quod putat, quam alius, utut rationes ſuaſoriæ utrique ſint eædem. Ab hoc autem gradu pendet firmitas perſuaſionis, ita ut vix ac ne vix quidem ab opinione ſua quidam ſe abduci patiantur, ſicque quoad effectum perſuaſio æquipolleat convictioni. Cum in praxi morali multum dandum ſit opinionibus, quibus maxima pars hominum regitur, ea difficillima redditur, quæ tantis difficultatibus non implicaretur, ſi veritas ubique regnaret. Ipſi ſane philoſophi philoſophia morali opinionibus vulgaribus inhærent & qui ſibi ſoli philoſophi videntur aliosque ſe longe perſpicaciores contemnunt inſulſa opinionum commenta pro veritate aliis obtrudunt. Quid ergo expectandum eſt ab aliis?

§. 442.

Affectus omnes moleſti & jucundi ſibi invicem contrarii ſunt, niſi averſatio ſenſitiva influat in appetitum ſenſitivum, quatenus objectum affectus certo reſpectu ſimul repræſentatur ut bonum ei, qui affectu moleſto inquietatur. Cum enim natura averſemur, quod opinione noſtra malum eſt (§. 590. *Pſych. empir.*), & ex adverſo appetamus, quod bonum nobis videtur (§. 589. *Pſych. empir.*), & affectus moleſti in averſando (§. 609. *Pſych. empir.*), jucundi autem in appetendo conſiſtant (§. 608. *Pſych. empir.*), ut autem idem eodem reſpectu conſiderantes ſimul appetamus & averſemur, fieri non poſſit, affectus moleſti & jucundi omnes ſive repræſentatione diverſorum objectorum, ſive ejusdem mutata opinione concitatorum una exiſtere nequeunt in eodem ſubjecto. Quamobrem cum affectus contrarii ſint, qui una in eodem ſubjecto exiſtere nequeunt (§. 438.); affectus omnes moleſti & jucundi ſibi invicem contrarii ſunt *Quod erat unum.*

Principium generale de contrarietate affectuum moleſtorum & jucundorum.

Enim-

Enimvero ſi unum idemque objectum certo reſpectu ſpectatur tanquam nobis malum, ideoque affectus moleſtus concitatur *per demonſtrata*, idem vero alio reſpectu nobis videtur bonum, ideoque appetitum movet (§. 589. *Pych. empir.*), atque hoc. quod appetitum movet, convenit ei, ad quod tendit affectus moleſtus *per ſuperius paſſim demonſtrata;* averſione in appetitum influente affectus jucundus una excitatur, qui cum moleſto permiſcetur, ſi quidem opinio boni fuerit ſufficiens ad affectum concitandum. Quodſi ergo objectum affectus certo reſpectu ſimul repræſentatur tanquam bonum ei, qui affectu moleſto inquietatur; averſatione ſenſitiva in appetitum ſenſitivum influente affectus jucundus & moleſtus ſibi invicem non contrariantur. *Quod erat alterum.*

Nemo non agnoſcit, gaudium contrariari triſtitiæ, cupiditatem fugæ, ſpem metui, fiduciam deſperationi & ita porro, quamdiu ſupponimus idem objectum eodem modo conſideratum, vel diverſa objecta illorum affectuum. Sicuti enim impoſſibile eſt, ut idem eodem modo conſideratum & appetamus & averſemur, ita etiam fieri nequit, ut dum attentio tota trahitur in opinionem boni, qua affectus jucundus concitatur, eadem attentio afferatur ad opinionem mali, qua affectus quidam moleſtus cietur, qualiscunque tandem ſit affectus uterque, anima cogitationem ab objecto uno, quod antea videbatur malum, nunc bonum eſſe putamus & contra diuertente. Tum enim ceſſat ratio affectus moleſti & ponitur ratio jucundi, conſequenter moleſtus in jucundum mutatur, veluti triſtitia in gaudium, & contra. Aſt hæc adeo manifeſta ſunt, ut nemo ea in dubium vocare auſit. Altioris vero indaginis eſt, quod de permixtione affectus jucundi cum moleſto dicitur, averſatione in facultatem appetendi influente. Conſultum igitur eſt, ut hoc exemplis decla-

declaretur. Exemplum habemus in ira, qui affectus mixtus eſt. Cum ejus cauſa ſit injuria, ſeu malum ab alio nobis illatum (§. 868. *Pſycb. empir.*), quod cum nobis repræſentemus per modum mali præſentis, animus contriſtatur (§. 623. *Pſycb. empir.*). Aſt quatenus factum injuriam facientis nobis diſplicet (§. 542. *Pſycb. empir.*), odium triſtitiæ aſſociatur (§. 674. *Pſycb. empir.*), quod cum animum diſponat ad voluptatem percipiendam ex alterius infelicitate (§. 661. *Pſycb. empir.*), conſequenter malo, quo ipſi tædium affertur (§. 637. *Pſycb. empir.*), averſio in appetitum ſenſitivum influit, ut quod alteri malum eſt cupiamus (§. 156. *Pſycb. empir.*), atque ita cupiditas accedit, quatenus quod alteri malum eſt ſpectamus tanquam bonum quoad nos (§. (§. 805. *Pſycb. empir.*). Taceo affectus alios, qui pro diverſitate circumſtantiarum ſeſe aſſociant. Idem conſpicitur in odio, quod cum proprie in averſione ejus, quod nobis diſplicet, conſiſtat (§. 677. 603. *Pſycb. empir.*), ac ſubinde etiam in eadem terminetur, ut conſpectum alicujus perſonæ ferre non poſſimus, ad eam cupiditas accedit, quatenus, quemadmodum modo diximus, averſione in appetitum influente, malum ejus appetimus, quod quatenus nos delectat, tanquam bonum quoad nos nobis repræſentamus. Variæ autem ſunt rationes, cur quod alteri malum eſt nobis repræſentemus tanquam bonum quoad nos: aſt eas perſpicere non datur, niſi vitia omnia ante nobis fuerint perſpecta, ut perceptiones appetitionum & averſionum creatrices in dato caſu concurrentes diſcernere valeamus. Quoniam hæc pertinent ad latebras & receſſus in animis hominum, fieri quoque haud quaquam poteſt, ut talia ad propoſitiones determinatas revocentur, antequam Ethica integra fuerit pertractata. Immenſum vero campum ingredietur, qui tantum opus aggredi voluerit.

§. 443.

De contrarietate affectuum jucundorum inter ſe & moleſtorum inter ſe.

Affectus omnes jucundi ſibi invicem contrariantur, niſi quatenus idem objectum ſimul diverſis modis repræſentatur, quibus repræſentari debet ad diverſos affectus concitandos. Idem valet de affectibus moleſtis inter ſe. Etenim affectus omnes jucundi concitantur opinione boni (§. 605. *Pſych. empir.*), ut tamen certus affectus concitetur, bonum iſtud ſingulari quodam modo repræſentari debet, qui affectui cuilibet proprius eſt, quemadmodum ex ſingulorum affectuum jucundorum definitionibus præſertim realibus apparet. Quatenus itaque unum idemque objectum, vel etiam diverſa eodem modo repræſentari nequeunt, nec plures affectus jucundi ſimul in appetitu ſenſitivo exiſtere poſſunt. Quoniam ergo affectus contrarii ſunt, qui ſimul exiſtere nequeunt in eodem ſubjecto (§. 438.); affectus quoque omnes jucundi, quamdiu in ſe ſpectantur, ſibi invicem contrarii ſunt. *Quod erat primum.*

Enimvero ſi forſan contingat, ut objectum quoddam nobis bonum viſum, duplici modo repræſentari poſſit, quemadmodum duplici affectui proprium eſt, vi definitionum præſertim realium, cum tunc ponatur ratio ſufficiens utriusque affectus, uterque etiam ſimul concitari debet (§. 118. *Ontol.*), ita ut mixtus quidam ex duobus oriatur. Quoniam itaque affectus contrarii non ſunt, qui ſimul in eodem ſubjecto exiſtere poſſunt (§. 438.), utut una exiſtentes invicem permiſceantur, ideoque ad unum ab altero diſcernendum acumine ſingulari opus ſit; ſi forſan contingat, ut objectum quoddam nobis bonum viſum ſimul diverſis modis repræſentetur, quibus repræſentari debet ad diverſos affectus concitandos, affectus jucundi, qui alias forent contrarii ſibi invicem, contrarii amplius non ſunt. *Quod erat ſecundum.* Simi-

Similiter omnes affectus moleſti concitantur opinione mali (§. 605. *Pſych. empir.*), ut tamen certus affectus concitetur, malum iſtud ſingulari quodam modo repræſentandum, qui affectui cuilibet proprius eſt, quemadmodum ex ſingulorum affectuum moleſtorum definitionibus præſertim realibus abunde patet. Quatenus itaque unum idemque objectum, vel etiam diverſa objecta eodem modo repræſentari nequeunt, nec plures affectus moleſti ſimul in facultate averſandi ſenſitiva exiſtere poſſunt, utpote deficiente eorundem ratione ſufficiente, ſine qua concitari nequeunt (§. 70. *Ontol.*). Quamobrem cum affectus contrarii ſint, qui ſimul exiſtere nequeunt in eodem ſubjecto (§. 438.); affectus quoque omnes moleſti, quamdiu in ſe ſpectantur, ſibi invicem contrarii ſunt. *Quod erat tertium.*

Enimvero ſi caſu contingat, ut objectum quoddam nobis malum viſum duplici modo repræſentari poſſit, ſicuti duplici affectui concitando convenit, vi definitionum præſertim realium affectus utriusque, cum tunc ponatur ratio ſufficiens utriusque affectus, uterque etiam ſimul concitari debet (§. 118. *Ontol.*), ſi vel maxime duo affectus diverſi coëxiſtentes, quatenus a nobis percipiuntur & appercipiuntur, in unum confundantur, ita ut mixtus quidam ex duobus oriatur, non ſine ſingulari acumine a ſe invicem diſcernendis. Quoniam tamen revera in facultate averſandi ſenſitiva coëxiſtunt, contrarii autem affectus non ſunt, qui ſimul in eodem ſubjecto exiſtunt (§. 438.); ſi forſan contingat, ut objectum quoddam nobis malum viſum ſimul repræſentari poſſit diverſis modis, quibus ad diverſos affectus concitandos repræſentari debet, affectus moleſti

leſti, qui alias forent contrarii, ſibi invicem contrarii amplius non ſunt. *Quod erat quartum.*

Cum gaudium concitetur opinione boni præſentis (§. 624. *Pſycb. empir.*), ſpes autem opinione boni, quod tanquam obtentu poſſibile repræſentatur (§. 800. *Pſycb. empir.*), unum autem idemque non ſimul præſens & abſens eſſe poteſt, quod adhuc obtinendum, conſequenter præſens demum fieri poſſe putatur, ideo objectum ſpei idem eſſe nequit cum objecto gaudii. Quamobrem cum de alio objecto cogitandum ſit, ſi ſperare debemus, quam ſi gaudemus, gaudium & ſpes una in eodem ſubjecto exiſtere nequeunt. Quodſi objicias exemplum *Laurentii*, qui inter horrendos cruciatus lætitia exultavit, cum ſperaret beatitudinem æternam a morte conſequendam; tenendum eſt, bonum, quod certo brevi tempore obtentum iri putatur, repræſentari tanquam jam præſens, tuncque non ſpem, ſed gaudium concitari. Quod enim obtentu poſſibile eſſe putamus, id a nobis certo obtentum iri nondum perſuaſi ſumus. Et quamvis fiducia, qui ſummus ſpei gradus eſt, in gaudio de bono obtinendo conſiſtat (§. 796. *Pſycb. empir.*); gaudium tamen hoc ſingulari adhuc modo modificatur, ut a gaudio ex opinione boni præſentis orto differat. Opinionem boni, quo fiducia concitatur, & præſens aliquid, & futurum repræſentat. Futurum nimirum eidem ineſt, quatenus bonum repræſentatur tanquam adhuc obtinendum, præſens autem, quod nobis ideo felices videmur, quod id certo obtenturi ſimus. Perceptio itaque cum pariat affectum, & ab eadem pendeat, ut talis præciſe ſit, ſi ea diverſa fuerit, appetitum quoque eodem prorſus modo ciere nequit. Non eam afferimus attentionem ad animi commotiones, ut earum diverſitatem animadvertamus, nec ſibi invicem agnatas facile confundamus: multa minus autem adeo diſtincte eas concipimus, ut earundem differentiam verbis exprimere valeamus. Quoniam qui alterum amat,

amat, eum conſiderat tanquam ſe ipſum (§. 659. *Pſych. empir.*); bonum, quod ipſi obtingit, conſiderat tanquam bonum, cujus ipſemet compos factus fuerat. Ac ideo contingit, ut idem objectum, nimirum perſona, quæ nobis placet, bono quodam ornata, ſit & amoris, & gaudii. Tumque amor & gaudium non ſunt affectus contrarii, vi propoſitionis præſentis. Hinc videmus parentes, quando gaudent de bono a liberis obtento, variis ſignis prodere amorem, quo eos complectuntur. Immo quemadmodum boni repræſentatio excitat gaudium, ita quoque amor eodem inflammatur, quatenus nobis placet, quod perſona amata ejusdem compos facta fuerit. Notandum vero, nos hic ſpectare gaudium, non quatenus ex amore oritur; ſed quatenus cum eodem coëxiſtit. Differentia hæc evidentior eſt in commiſeratione, quæ ex amore oritur (§. 688. *Pſych. empir.*). Etenim ſi liberis, quos impenſe amant parentes, aliquid mali caſu accidit, dum eorum commiſerantur amoris quoque ſigna edunt, qualia non videas, ſi quis commiſeretur hominum aliorum miſerorum. Maximi momenti eſt ortum affectus utrius ex altero a coëxiſtentia eorundem diſcernere, ne in affectuum contrarietate dijudicanda aberres a vero. Aberratio tamen metuenda non eſt, ſi objectum duorum affectuum fuerit prorſus diverſum, quemadmodum plerumque obtinet, aut obtinere ſaltem debet, ſi affectus præſens contrario quodam ſedandus. Poteramus quoque exemplo affectuum moleſtorum propoſitionem præſentem illuſtrare; ſed nolumus eſſe prolixiores.

§. 444.

Si ei, qui gaudet, perſuaſeris, quod ipſi bonum videtur, vel eſſe malum, vel ſaltem boni quandam ſpeciem habere, aut id, ob quod rem bonam judicat, eidem non convenire; gaudium evaneſcit. Etenim gaudium naſcitur opinione boni præſentis

De gaudio ſedando.

(§. 624. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo alicui perſuaſeris, quod ipſi bonum videtur bonum non eſſe, vel ſpeciem ſaltem boni habere, aut id, ob quod rem bonam judicat, eidem non convenire; opinionem, quam de re fovet, falſam eſſe agnoſcit. Gaudium igitur evaneſcit (§. 431. 432.).

Ponamus tibi donari nummum quem aurea lamella obductum aureum eſſe putas, ac ideo gaudio exultare. Quodſi cognoſcas, nummum eſſe cupreum, auri ſaltem lamella tenuiſſima obductum; gaudium protinus evaneſcit. Ratio nimirum, cur nummo pretium ſtatuebas, erat, quod ſit aureus. Objecto igitur lætitiæ non convenit, quod eidem tribuebas. Ponamus te accipere librum, ex quo multa te diſcere poſſe putas, quorum cognoſcendorum ardore flagras, ac ideo gaudio perfundi. Quodſi alius tibi perſuadeat, in libro iſto non extare, quæ addiſcere cupis, aut quod inde addiſcere potes, non eum habere uſum, quem intendis; gaudium extingvetur. In caſu priori refutatur minor ſyllogiſmi, per quem explicatur perceptio gaudii creatrix; in poſteriori major (*not.* §. 437.). Gaudium ſi non prorſus extingvatur, multum tamen imminuetur, ſi gaudenti perſuaſeris, dari librum alium, vel etiam plures, qui ſcopo ipſius magis conveniunt, quia ſcilicet ea, quæ addiſcere vult, ex iisdem vel facilius, vel accuratius addiſcere poteſt, vel quia multo plura, quam in præſente, in iisdem continentur. Quodſi ſpecies boni rei detrahenda, voluptatem, quam creat, nocuam eſſe oſtendendum.

§. 445.

De triſtitia ſedanda.

Si, qui ei contriſtatur, perſuaſeris malum non eſſe, quod ipſi videtur, vel id mali ſaltem ſpeciem habere, vel certo reſpectu eſſe bonum, vel etiam ad bonum tendere, aut ea, ob quæ objectum affe-

affectus ipſi malum videtur, eidem minime convenire; triſtitia ſedatur. Etenim ſi cui perſuaſeris malum non eſſe, quod ipſi videtur, vel id mali ſaltem ſpeciem habere, aut ea, ob quæ objectum affectus ipſi malum videtur, eidem minime convenire; opinio mali præſentis mutatur. Quamobrem cum opinio mali præſentis concitet triſtitiam (§. 623. *Pſych. empir.*); cauſa triſtitiæ tollitur, conſequenter etiam triſtitiæ (§. 898. *Ontol.*), ideoque affectus ſedatur (§. 432.). *Quod erat. unum.*

Enimvero ſi malum, quod videtur, certo quidem reſpectu tale eſt, vel etiam abſolute ſpectatum, alteri tamen perſuaſeris idem certo reſpectu eſſe bonum, vel etjam ad bonum tendere; in caſu priori opinio boni præſentis, gaudii cauſa (§. 624. *Pſych. empir.*), & in poſteriori boni futuri, quod tanquam obtentu poſſibile ſpectatur, ſpei cauſa (§. 800. *Pſych. empir.*), triſtitiam ſi non ſupprimit, ſaltem lenit (§.868. *Ontol.*), conſequenter triſtitia ſedatur (§. 432. *Quod erat alterum.*

Non abhorrent hæc a praxi communi: ducit enim huc homines ipſa natura, rerum optimarum in moralibus quoque magiſtra. Ejus beneficio ſi deſtitueretur genus humanum, peſſime eidem conſultum foret. Sicuti datur Logica naturalis, Arithmetica naturalis, immo etiam Ars inveniendi naturalis; ita etiam datur Ethica naturalis. Abſit tamen ut tibi perſuadeas propterea Ethicam artificialem eſſe contemnendam, aut naturali ſaltem poſtponendam. Incides enim in errorem eorum, qui Logicam artificialem naturali opponunt & illam vel damnant, vel huic longe poſtponunt, aut quem committerent illi, qui Arithmeticam artificialem damnarent, propterea quod vulgo ejus ignari naturali in communibus negotiis feliciter utuntur, immo quando ipſis

res

res eſt cum hominibus Arithmeticæ ignaris multo felicius, quam artificiali ad hos convincendum minus apta. Sed noſtrum jam non eſt oſtendere, quomodo natura ſe rerum cognitu utilium magiſtram præbeat ſive in genere, ſive etjam ſaltem in praxi morali. Vaſtum enim dicendorum campum ingrederemur, quæ nonniſi ex intima penitus philoſophia haurienda eſſent, quamvis principia noſtra præſertim pſychologica hiſce demonſtrandis abunde ſufficerent. Talia relinquuntur iis, qui ulterius progreſſuri fundamento a nobis poſito ædificium magnificum ſuperſtruere voluerint: neque enim homo unus ſufficit omnibus, ſed aliorum indiget auxilio, ſive præſente, ſive futuro. E re igitur præſente potius eſt, ut uno vel altero exemplo propoſitionem præſentem illuſtremus. Ponamus viduam contriſtari obitu mariti, relictis liberis nondum educatis. Ponamus porro maritum luxui deditum fuiſſe, bona ſua dilapidare ſolitum & impuris moribus imbutum. Obitus mariti ſpectatur tanquam malus, quatenus nimis immaturus & liberi nondum educati ſumtibus educationis privari videntur. Enimvero cum bona ſua tandem omnia dilapidaturus fuiſſet maritus, cujus obitum luget uxor, ſi diutius in vivis fuiſſet, & quoniam valde verendum erat, ne pravo patris exemplo mores filiorum corrumperentur, nec educationi debita cura impenderetur; hoc reſpectu obitus mariti præmaturus omnino exiſtimandus eſt bonus. Cumque liberi bene educari fortunam ſibi polliceri poſſint magis faventem, quam ſi male educarentur; idem tendit ad bonum finem. Quodſi igitur hoc perſuaſeris viduæ, ſi eandem a triſtitia non prorſus liberes, attamen eam lenies, ut tandem evaneſcat. Ponamus debitorem tuum mortuum eſſe, ac famam ad te perveniſſe, quod ære alieno onuſtus obierit, ut nulla ſpes ſit quod tibi debetur ſolutum iri. Quodſi tibi perſuadeantur, famam eſſe fallacem, vel tibi ſaltem nullum periculum imminere; triſtitia, quæ occupaverat animum, evaneſcet. Idem evenit, ſi cer-

ſi certus reddaris nuncium de obitu filii ſtudiorum cauſa abſentis eſſe falſam.

§. 446.

Quoniam triſtitia ſedatur, ſi alteri perſuaſeris, quod ipſi malum videtur, certo reſpectu eſſe bonum (§. 445.), opinione autem boni præſentis gaudium ëoncitatur, ſi ſcilicet tantum videatur, quantum gaudio concitando ſufficit (§. 624. *Pſych. empir.*); *ſi quod malum videbatur tanquam bonum inſigne agnoſcatur, triſtitia, quæ ſedatur, in lætitiam abit, aut, ſi quod malum videbatur, agnoſcatur tanquam medium liberationis a malo ingente*, cum hilaritas oriatur, ſi a malo nos liberatos eſſe, vel metum ejus evanuiſſe agnoſcimus (§. 855. *Pſych. empir.*), *in hilaritatem.* *Quando triſtitia in gaudium, aut hilaritatem convertatur.*

Exempli loco eſſe poteſt, quod modo dedimus de vidua obitum mariti lugente. Quodſi enim conſideret, bona adhuc quædam ſupereſſe, quæ niſi maritus mortuus fuiſſet, tandem omnia dilapidata fuiſſent. nec prorſus deſint neceſſarii vitæ ſuæ atque educationis liberorum ſumtus; ſi porro perpendit, ſe liberatum eſſe a metu, ne tandem cum marito ad egeſtatem redigatur, & ne liberi, quibus bona educatione plus conſulitur, quam divitiis, pravis parentis moribus corrumpantur; cum in hilaritatem, tum in gaudium convertetur triſtitia. Facile autem apparet animum attendendum eſſe ad ea, quæ gaudium & hilaritatem gignunt, revocandum ab iis, quæ triſtitiam creant.

§. 447.

Si cui perſuaſeris, quod in altero ipſi placet, non adeſſe, aut quod id diſplicere potius debeat, aut talia adeſſe, quæ magis diſplicent quam illud placet; amor extingvitur, aut ſaltem imminuitur. Quodſi enim alicui perſuaſeris, quod in altero ipſi pla- *De amore extingvendo, aut imminuendo.*

placet, non adeſſe, aut quod idem diſplicere potius debeat; opinionem, quam fovet, falſam eſſe agnoſcit (§. 507. *Log.*). Quamobrem cum amor oriatur, ſi quid in altero obſervemus, quod nobis placet (§. 648. *Pſycb. empir.*), ſi vero cuidam perſuaſeris opinionem, qua affectus concitatur, eſſe falſam, affectus ſedetur (§. 432.), ideoque vel extingvatur, vel ſaltem imminuatur (§. 451.); ſi cui perſuaſeris, quod in altero ipſi placet, non adeſſe, aut quod diſplicere potius debeat, amor extingvitur, vel ſaltem imminuitur. *Quod erat unum.*

Quodſi perſuaſeris talia adeſſe, quæ magis ipſi diſplicent, quam iſtud placet, quo affectus concitatur, cum jam cauſa odium producere apta (§. 674. *Pſycb. empir.*), prævaleat adverſus cauſam amoris (§. 648. *Pſycb. empir.*), amor vel extingvitur, vel ſaltem imminuitur. *Quod erat alterum.*

E. gr. Si quem ames propter pulchritudinem, virtutem autem præferas pulchritudini, vitia ſummopere deteſteris, & narrentur tibi ſcelera, quæ is patrare ſolet; amor ſi non prorſus extingvitur, langveſcit, cum odium naſcens vires ejus infringat. Neque opus eſt, ut odio habeas ipſam perſonam; ſufficit ut oderis ſcelera & flagitia, quibus deditus eſt, & quæ tanto magis diſplicent, quanto pronior eſt animus ad eum amandum. Aliæ nimium concurrunt cauſæ, cur pulchritudo alium magis, alium minus commoveat ad amandum alterum. Si quis alterum amat, quem in Philoſophia, vel Matheſi progreſſus minime vulgares feciſſe arbitratur, poſtea vero agnoſcit, profectus ejus eſſe admodum exiguos, immo propemodum nullos, aut eum in philoſophia abſurdarum opinionum commentis imbutum eſſe, quin amor evaneſcat nemo dubitabit. Si quis alterum

rum amat, quem prudentem eſſe putat, ipſi autem perſuadetur, hominem magis callidum & verſutum eſſe, quam prudentem; amor, ſi non prorſus extingvatur, plurimum tamen imminuitur. Quodſi quis alterum amet ob libidinem, qua & ipſe deditus eſt, amorem minime extingves, niſi voluptatem, cui ambo inhiant, nocuam eſſe eidem perſuaſeris eandemque ipſi exoſam reddideris: ſupponimus nimirum aliis modis, de quibus ante diximus, non eſſe locum. Nihil hic aſſeritur, quod a praxi, quem natura magiſtra homines docet (*not.* §. 445.), alienum ſit. Quamobrem neceſſe ſaltem eſt, ut animum attendamus ad ea, quæ indies fiunt, non otioſi rerum humanarum ſpectatores. Sed vix ac ne vix quidem ſatis diligentem te præbueris, niſi conſtet, ad quænam attendendus ſit animus: id quod in præſenti docere intendimus.

§. 448.

Quoniam amor extingvitur, aut ſaltem imminuitur, ſi cui perſuaſeris, quod in altero ipſi placet non adeſſe, aut quod id diſplicere potius debeat, aut talia adeſſe, quæ magis diſplicent, quam iſtud placet (§. 447.); *Si amorem extingvere, aut ſaltem imminuere pro virili velis, neceſſe eſt ut ante omnia inquiras in rationem, cur quis alterum amet*, cumque haud raro ratio hæc adeo lateat, ut, qui alterum amat, ipſe ignoret, cur amet, *tanto majore animi contentione eadem inveſtiganda, ſi amans ipſe eandem ignoret.* *Quænam ea ſine præcognoſcenda.*

Equidem ſimpliciter impoſſibile non eſt alteri perſuadere, quod perſona, quam amat, amore ipſius indigna ſit, etiamſi ratio, cur eandem amet, ignoretur; immo etſi ipſimet amans ignoret, cur amet (§. 444.); nemo tamen in dubium revocare auſit, multo melius id fieri poſſe, ſiquidem ratio iſta nobis nota fuerit (§. *cit.*). Dari autem caſus multos, in quibus ipſemet amans ignorat rationem, cur

alterum amet, experientia adeo obvia docet, ut vix quenquam fore exiſtimem, qui id in dubium ſit revocaturus. Sane quod *Lucretius* de odio canit:

Non amo te, Voluſi, nec poſſum dicere, quare:
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

id quoque de amore valet, ut multi dicere tantum poſſint, amo te, non vero dicere poſſint quare. Non ignoro eos, qui cum ſint in philoſophia prima hactenus parum, aut non quemadmodum fieri debebat, exculta hoſpites fere ac peregrini, vim principii rationis ſufficientis non capiunt, ſibi aliisque perſuadere conari, quod nulla detur in hoc caſu ratio amoris: cui errori tanto facilius ſubſcribunt, qui præjudicio Carteſiano imbuti nihil in anima admittunt, niſi cujus ſibi conſcii ſunt. Aſt ſatis ſuperque certum eſt, ſi quis alterum amet, neceſſe eſſe, ut detur etiam ratio ſufficiens hujus amoris. Immo mihi exploratum eſt, in caſibus datis fieri quoque poſſe, ut ratio illa detegatur, modo ſatis acutus fueris in expiſcandis iis, quæ in animis hominum latent, & in parando aditu ad latebras & receſſus in iisdem. Dedi jam olim exemplum in philoſophia morali, quam patrio ſermone edidi, nec piget idem huc tranſcribere. *Narciſſus* amat virginem, quam quod formæ pulchritudo parum commendet ipſe confitetur. Facta inquiſitione tandem fatetur, ſe in oculis quid deprehendere, quod incitamentum amoris ſit, ab aliis tamen videri, nec ab ipſo, in quonam conſiſtat, dici poteſt. Continuata inquiſitione tandem detegitur, virginem iſtam ſimile quiddam in oculis habere cum perſona alia, quam antea adamavit. Cum rationem clare non percipientes, ob quam perſonam quandam amamus, tacite ſupponamus, quæ non ſunt, quatenus imaginatio perceptionem eorum, ob quæ perſonam aliam amaueramus, confundit cum perceptione horum, quæ huic perſonæ inſunt, in qua ſimile quidpiam deprehendere nobis videmur; ratione amoris detecta facile corrigitur opinio falſa amoris creatrix &

cum

cum ea extinguitur, niſi adhuc alia obſtiterint. Ubivis enim, objici poſſint multifaria impedimenta, quæ praxin moralem in actu ſignato, ut cum ſcholaſticis loquar, certam in actu exercito incertam reddunt: id quod in genere probe notandum, ne quæ in ſe ſatis certa ſunt in dubitationem adducantur, quando applicatio ſpem fallit, vel exempla obvia theoriæ demonſtratæ contradicere videntur.

§. 449.

Si ratio amoris perveſtigari nequit, maxime conſultum eſt, ut amor odio concitato pellatur. Cum ratio amoris perveſtigari nequit, *ſultiſſimum affectum odio tolli.* per ſe patet, quod refutata opinione falſa, qua concitatus, extingvi nequeat (§. 432.) Quamobrem cum amor ſit affectus permanens, qui ſcilicet continuo renovatur, quoties perſona videtur, vel de eadem cogitatio animum ſubit; ideo neceſſe eſt, ut contrarius affectus, qui itidem permanet, excitetur (§. 440.). Quamobrem cum iſtiusmodi affectus odium ſit, quemadmodum ex collatione definitionum odii & amoris patet (§. 633. 661. *Pſych. empir.*); ſi ratio amoris perveſtigari nequit, maxime conſultum eſt, ut amor odio concitato pellatur. *Quando conmor odio concitato pellatur.*

Odium concitatur vel in perſonam, vel in id, quod eidem convenit, & in caſu poſteriori odium concitatur, non amor perſonæ. In utroque igitur amor extingvitur. Quoniam neminem odiſſe debemus (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*); non amor ſubſiſtere poteſt cum officiis erga alios, quatenus ſaltem tendit ad vitandum commercium cum perſona antea amata. Enimvero cum non amor & odium eodem modo concitetur, quatenus ſcilicet in perſona quædam deprehendimus, quæ nobis diſplicent; non noſtri arbitrii eſt, utrum non amorem, an odium concitare velimus, ſed id pendet a diſpoſitione animi alterius. Non amor in repu-

gnantia quadam conſiſtit ad habendum ullum commercium cum perſona non amata, etſi non malo ſimus in eam animo, nequaquam vero in mera amoris privatione conſiſtit, ut indifferenti ſimus in eam animo. Idiomate patrio decimus: man könne die Perſon nicht leiden, ſie ſey einem ganz zuwieder, quod idem fere ſignificat, nos ferre non poſſe præſentiam perſonæ, ipſam nobis accidere moleſtam. Eſt itaque non amor infimus quaſi odii naſcentis gradus, quatenus adoleſcere ac vires capere nequit, ut & ab odio differat, quemadmodum embryo in utero materno nondum homo perfectus eſt, & a privatione amoris, quæ nudam amoris abſentiam infert, quemadmodum fœtu nondum concepto in utero materno nihil adhuc adeſt, ex quo infans formari poſſit. Subtilia hæcce quidem eſſe videntur, non tamen propterea inutilia exiſtimanda ſunt, ſiquidem animos hominum intimius perſpicere volueris. Iſtiusmodi autem ſubtilitates qui cognoſcere voluerit, indefeſſam operam collocare tenetur in ſcrutandis obſervationibus Aſtronomos imitatus, qui hanc viam ingreſſi hodie detexerunt & adhuc detegunt ſubtilitates in phænomenis cœleſtibus, de quibus ne per ſomnium quidem cogitaverant veteres. Valet hic pervulgatum iſtud, etſi aliter intellectum, nihil eſſe tam tectum, quod detegatur, & ad tectum detegendum nos animare debet, quod vulgo inculcatur, laborem improbum omnia vincere.

§. 450.

De amore animalium & rerum inanitarum extingvendo, vel imminuendo.

Animalium & rerum inanimatarum amor eodem modo extingvitur, ac hominum, vel ſaltem imminuitur. Etenim amor animalium & rerum inanimatarum oritur, ſi quid in iis deprehenditur, quod nobis voluptatem creat. (§. 654. *Pſych. empir.*), ideoque quod nobis placet (§. 542. *Pſych. empir.*): aſt eadem de cauſa quoque oritur amor hominum (§. 649. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque amor hominum extingvitur, vel ſaltem imminuitur, mutata opinione de eo

de eo quod placet, vel inducta opinione alius, quod magis diſplicet, quam illud placet (§. 447), & hoc modo tollatur quoque vel vincatur cauſa amoris animalium & rerum inanimatarum *per demonſtrata;* amor animalium & rerum inanimatarum eodem modo, quo hominum, extingvitur, aut ſaltem imminuitur.

Patet itaque, propoſitionem ſuperiorem de amore extingvendo, vel imminuendo valere quoque de amore animalium atque rerum inanimatarum. Ponamus te amare nummum, quem a principe quodam accepiſti, & putabas eſſe aureum, ac ideo eundem æſtimaſſe tanquam ſignum meritorum agnitorum. Quodſi cognoveris, eum cupreum eſſe, lamella tenui aurea obductum, aut ex metallo ſophiſtico confectum; amare eundem deſines, aut minimum amor multum imminuetur. Ponamus te amare ſimiam. Quodſi damnum inferat ſpeculo, aut vaſi cuidam pretioſo, quod maximi feceras, ſiquidem tædium inde ortum ſuperet voluptatem, quam ex actionibus ſimiæ percipis, amor extingvitur, immo in odium vertitur, ut eandem e conſpectu tuo removeri jubeas. Simile exemplum habes in pavonibus, qui hortum ingreſſi damnum dederunt arboribus, vel plantis rarioribus, quibus magis delectabaris, quam pulchritudine pavonum. Sicuti experientia plurima ſuggerit exempla amoris animalium & rerum inanimatarum, qui variat plurimum, prouti unumquemque ſua trahit voluptas; ita quoque eadem haud pauciora offert exempla amoris extincti, vel imminuti, ut ſufficiat uno vel altero ſaltem excitaſſe ad eadem attentionem.

§. 451.

Si cui perſuaſeris, quod in altero ipſi diſplicet, revera non adeſſe aut quod ſine ratione diſpliceat, placere potius debeat, aut adeſſe alia, De odio extingvendo, *quæ vel imminuendo.*

quæ magis placent, quam hoc diſplicet; odium extinguitur, aut ſaltem imminuitur. Quodſi enim cui perſuaſeris, quod in altero ipſi diſplicet, revera non adeſſe, aut quod ſine ratione diſpliceat, placere potius debeat; is opinionem ſuam de eo, quod ſibi in altero diſplicet, mutat, conſequenter opinionem ſuam falſam eſſe agnoſcit. Quamobrem cum opinione ejus, quod nobis in altero diſplicet, odium concitetur & foveatur (§. 677 *Pſych. empir.*), ſi vero agnoſcamus opinionem, qua affectus concitatur, eſſe falſam, affectus ſedetur (§. 432.); ſi cui perſuaſeris, quod in altero ipſi diſplicet, revera non adeſſe, aut quod ſine ratione diſpliceat, placere potius debeat, odium extinguitur, aut ſaltem imminuitur (§. 431). *Quod erat unum.*

Quodſi vero perſuaſeris, adeſſe alia, quæ magis placent, quam hoc diſplicet, cum illud amoris (§. 649. *Pſych. empir.*), hoc odii cauſa ſit (§. 677. *Pſych. empir.*); cauſa odii fortior eſt cauſa amoris, ſeu hæc illam ſuperat. Quamobrem cum odium cedere debeat amori; odium vel prorſus extinguitur, aut, ſi funditus eradicari nequeat, ſaltem imminuitur. *Quod erat alterum.*

Odium ſubinde concitatur ob leviculas admodum cauſas, immo ſubinde ob cauſas, quæ propter influxum imaginationis minime obſervabilem, de quo ſupra diximus (*not.* §. 448.), aliæ videntur, quam ſunt. Quamobrem in priori præſertim caſu facillimum videtur pellere odium. Aſt cum hominum opiniones admodum varient, & cauſa uni levicula viſa, immo quæ revera talis eſt, non tamen levicula videatur alteri; ideo neceſſe eſt eas æſtimari ex opinione non ſua, ſed alterius, cuius odium pellendum, aut alteri oſtendendum cauſam odii leviculam eſſe, modo id ſibi perſuaderi patiatur.

tiatur. Ponamus Cajum odio habere Grachum, quem putat ad nocendum aliis eſſe pronum, nemini fidelem. Quodſi ipſi falſitatem opinionis perſuaſeris, odium ceſſabit. Equidem ſi odium jam firmas radices egerit in animo Caji, fieri non poterit, quin ſubinde ſuboriatur; quamprimum tamen recordatur falſitatis opinionis ſuæ, cui ortum illud debet, ſtatim ſupprimetur, ne vires capere poſſit: id quod etiam de aliis affectibus permanentibus tenendum & de odio inprimis valet, quando ratio ejus latet. Si quis alterum odit propter parſimoniam, propterea quod luxum amat, tu vero ipſi perſuaſeris, laudandam eſſe parſimoniam, quæ alias non agnoſcit cauſas, quam ut ſanitati ſuæ conſulatur, & familiæ ſuæ proſpiciatur, cum ex adverſo luxu ſanitas corrumperetur & ſplendor familiæ deleretur; rationem odii nullam eſſe agnoſcet. Deleta igitur opinione, qua odium concitabatur, ipſum quoque evaneſcet, quamvis amor luxus, quamdiu is ſubſiſtit, odium ſubinde reſuſcitet, recordatione tamen eorum, quæ a te edoctus eſt, refrenandum. Si quem oderis propter ſimilitudinem faciei cum inimico tuo, cum ratio tota pendeat a vi imaginationis, conſequenter ipſemet rationem reddere nequeas, cur eum oderis; ubi tibi perſuaderi poteſt, odium tuum concitari confuſa perceptione, in qua miſcentur aliena, quæ perſonæ huic minime conveniunt, odium extingvetur. Difficilis admodum cum ſit hæc perſuaſio, raro quicquam efficietur, niſi accedant alia, quæ perſonam commendant, ut, ſi non amore digna, ſaltem odio minime digna habeatur. Si quis diſplicet ob deformitatem corporis, ut eum ferre non poſſis; ubi agnoveris inſerviendi promptitudinem, quæ ipſum commendat, & quæ magis placet, quam deformitas diſplicet; amor odium gliſcens extingvet.

§. 452.

Quoniam odium extingvitur, aut ſaltem imminuitur, ſi cui perſuaſeris, quod in altero ipſi diſplicet, reve- *Quænam ea ratione ſcenda.*

ra non adeſſe, aut quod ſine ratione diſpliceat, placere potius debeat, aut adeſſe alia, quæ magis placent, quam hoc diſplicet (§. 451.); *ſi odium extingvere, aut ſaltem imminuere velis pro virili, neceſſe eſt, ut ante omnia inquiras in rationem, cur quis alterum oderit*, cumque haud raro ratio hæc adeo lateat, ut qui alterum odit, ipſe ignoret, cur eum odio habeat, *tanto majore animi contentione eadem inveſtiganda, ſi oſor ipſe eandem ignoret.*

Quæ ſupra de amore eo fine annotavimus (*not.* §. 448), ea etiam de odio tenenda ſunt. Patet autem præterea, ſi oſor ipſe ignoret rationem, cur odio alterum habeat, ſibi ſaltem conſcius, quod habeat, ipſi perſuadendum eſſe, quod hæc, quam detexiſti, ratio odii ſit, non alia: id quod etiam in caſu amoris, cujus rationem ignorat amans, obſervandum. Quoniam influxus imaginationis in perceptiones confuſas appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam moventes vulgo ignotus eſt & parum attenditur; rationem inde petendam difficulter perſuaſeris Pſychologiæ imperito, aut non ſatis perito, præſertim ſi adhuc alia ſuperaccedant impedimenta, quæ aſſenſui obſtant, niſi præjudicium autoritatis dictis tuis fidem faciat. Quodſi animum attendas ad exemplum, quod modo dedimus de perſona, quæ diſplicet ob ſimilitudinem faciei cum inimico tuo; difficultatem in perſuadendo obviam haud difficulter capies. Vix enim ac ne vix quidem alter ſibi perſuadere patietur, non ineſſe ipſi faciei perſonæ, quam odit, quod diſplicet.

§. 453.

Quando conſultiſſimum odium amore fugari.

Si ratio odii perveſtigari nequit, maxime conſultum eſt, ut odium amore concitato pellatur. Si ratio odii perveſtigari nequit, per ſe patet, quod refutata opinione falſa, qua concitatum fuit, extingvi nequeat (§. 432.). Quamobrem

rem cum odium ſit affectus permanens, qui continuo reviviſcit, quoties perſonam videmus, vel de eadem cogitatio animum ſubit; ideo neceſſe eſt, ut contrarius affectus itidem permanens excitetur (§. 440.). Quoniam itaque iſtiusmodi affectus amor eſt, quemadmodum ex collatione definitionum odii & amoris patet (§. 631. 661. *Pſych. empir.*); ſi ratio amoris perveſtigari nequit, maxime conſultum eſt, ut odium amore concitato pellatur.

Affectus prorſus idem eſt, ſi perceptio confuſa ejus creatrix idem objectum, ſive perſona fuerit, ſive res, & eadem de eodem repræſentet (§. 181. *Ontol.*). Quamvis itaque perceptio reproducta affectum reproducat; non tamen exiſtimandum eſt, interea temporis, dum appetitus ſenſitivus non actu commovetur, nihil prorſus eidem ineſſe: ineſt enim quædam diſpoſitio ad affectum facile concipiendum, ita ut cum cogitatione de objecto extemplo ponatur affectus, etiamſi ea, quæ perceptioni inſunt, ne confuſe quidem appercipiantur, quemadmodum videmus in habitu agendi, ubi ex obſcuris perceptionibus naſcuntur appetitiones & averſiones, quibus actus externi reſpondent. Atque hinc naſcitur difficultas extirpandi affectum, ne ſcilicet cogitatio de objecto eundem reproducat. Diſpoſitio enim illa appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, quæ in facilitate affectum concipiendi conſiſtit, rollenda, & ipſi contraria diſpoſitio inducenda: id quod tanto difficilius efficitur, ſi affectus fuerit inveteratus, cum hoc perinde ſit ac habitum dediſcere & contrarium acquirere. Probe hæc notanda ſunt, quoniam inde dependent alia, quorum ratio non apparet, niſi huc animum advertas. Diſtinximus in ſuperioribus non amorem ab odio, nec eum meram amoris privationem ſeu carentiam eſſe monuimus, ſed aliquid poſitivi in averſatione ſenſitiva ſupponere (*not.* §. 449.). Cauſæ tamen odii & non amoris cum genere eædem ſint, quæ

de odio extingvendo & imminuendo dicta ſunt, ad non amorem quoque applicanda, cujus plerumque ratio latet, aut ſaltem non ſatis patet.

§. 454.

De odio animalium & rerum inanimatarum extingvendo.

Animalium & rerum inanimatarum odium eodem modo extingvitur, aut imminuitur, quo hominum odium. Etenim odium animalium & rerum inanimatarum oritur, ſi quidpiam in iis deprehenditur, quod nobis tædium, ſive moleſtiam creat (§. 679. *Pſych. empir.*), conſequenter quod nobis diſplicet (§. 542. *Pſych. empir.*): ob eandem vero rationem etjam odium hominum oritur (§. 674. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque odium hominum extingvitur, aut ſaltem imminuitur, mutata opinione de eo, quod diſplicet, vel inducta opinione alius, quod magis placet, quam illud diſplicet (§. 451.), & hoc modo quoque tollitur, vel vincitur cauſa odii animalium & rerum inanimatarum, *per demonſtrata*; odium animalium & rerum inanimatarum eodem modo, quo hominum, extingvitur, aut imminuitur.

Propoſitio itaque ſuperior de odio extingvendo, vel imminuendo extenditur quoque ad odium animalium atque rerum inanimatarum. Ponamus te odio habere canem, quia damnum dedit, vaſe quodam pretioſo fracto, vel re quadam alia pretioſa corrupta. Quodſi vero perpendas vigilantiam & fidelitatem ejus, ſi hanc pluris æſtimes quam rem, in qua damnum datum, odium, quod conceperas, extingvitur. Simile exemplum habes in pavonibus, quos majoris facis, quam damnum, quod dederunt in horto, præſertim ſi id in poſterum præcaveri poſſe videatur. Si quis oderit monetam ponderis minus juſti, ubi reſcivit, eam eſſe admodum raram, ita ut eidem majus pretium ſtatuatur, quam monetæ alii juſti ponderis, odium extingvitur, præſertim

præſertim ſi monetæ rariores tibi voluptatem creent. Experientia plurima indies offert exempla obſervanda, modo cogites, quod unum quemque ſua trahat voluptas, ne ex tuo genio alios æſtimes.

§. 455.

Si alteri perſuaſeris, id quod nunc ipſi diſplicet in altero, cum antea placeret, rectius placere debere, quam diſplicere; odium, in quod amor converſus fuerat, rurſus in amorem vertetur, aut ſaltem odium extingvetur. Etenim ſi alteri perſuaſeris id, quod ipſi nunc diſplicet in altero, cum antea placeret, rectius placere debere, quam diſplicere; aut idem denuo placet, quod diſplicebat antea, aut ſaltem agnoſcitur id ſine ratione diſplicere. Quamobrem in caſu priore odium præſens in amorem convertitur (§. 684. *Pſych. empir.*), in caſu autem poſteriore odium extingvetur (§. 451.). Patet itaque in hypotheſi propoſitionis præſentis vel odium, in quod converſus fuerat amor, rurſus in amorem verti, vel odium ſaltem extingvi.

De odio, in quod converſus fuit amor

Quæ hic de converſione odii in amorem demonſtrantur, etiam ex adverſo de converſione amoris in odium tenenda ſunt (§. 684. *Pyſch. empir.*). Pendet a mutabilitate opinionis de eadem re, quæ cum antea placeret, nunc diſplicere poteſt & contra. Varius & mutabilis animus hominum, quia opinionibus regitur, quæ variabiles ſunt.

§. 456.

Si quis alterum aliqua de cauſa odit, ob aliam vero amat, odium, quando ſe exerit, refrenatur, ſi animus attendatur ad ea, quæ ſibi in altero placent. Etenim ſi quis alterum aliqua de cauſa odit, ob aliam vero amat, in eodem alia deprehendit, *amemus.*

De odio remquem aliam ob cauſam frenando,

dit, quæ diſplicent, alia vero quæ placent, & odium vel amor ſe exerit, prouti vel ad illa, vel ad hæc animum attendit (§. 685. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo odium ſe exerit, quia animum attendit ad ea, quæ diſplicent, ut id miſſum & amori locum faciat, neceſſe eſt ut ſibi in memoriam revocet ea, quæ placent, & attentionem omnem in eadem convertat. Quamobrem patet, ſi quis alterum aliqua de cauſa odit, ob aliam vero amat; odium, quando ſe exerit, refrenatur, ſi animum attendat ad ea, quæ in altero ſibi placent.

Quoniam odium ſuſcitant ea, quæ nobis diſplicent (§ 677. *Pſych. empir.*), amorem vero ea, quæ placent (§. 649. *Pſych. empir.*), vix autem quisquam ſit, in quo non deprehendantur tum quæ placent, tum quæ diſplicent; nihil omnino frequentius eſt, quam ut alios ſimul amemus & oderimus, nunc amore, nunc odio ſeſe exerente. Quia tamen neminem odiſſe debemus (§. 624. *part. 1. Jur. nat.*); ideo neceſſe eſt, ut odium, quando ſeſe exerit, refrenare diſcamus, ne permittamus, ut vires acquirat. Equidem haud facile eſt, attentionem revocare ab iis, quæ diſplicent, & defigere in iis, quæ placent, atque eandem in hiſce conſervare, quamdiu neceſſarium fuerit; exercitio tamen habitus hoc modo refrenandi odium acquiri poteſt. Quamobrem opera danda, ut ea cognoſcamus, quæ nobis in aliis placent, & memoriæ mandemus, ſi qua vero ſunt, quæ diſplicent, non multa attentione dignemur, niſi amor tendat ad eorum mutationem, qui jam altas radices egit in animo noſtro, ut ea potiſſimum nos commoveant, quia alterum amamus. Quodſi voluntas fuerit emendata, hæc & alia multo facilius præſtantur, quam ubi quisque ſua voluptate trahitur & moleſtia ſua retrahitur.

§. 457.

Si cui perſuaſeris, eum, cujus commiſeratur, non eſſe indignum malo, quo affligitur, vel eodem, quo putat, malo eundem minime affligi, aut tantum non eſſe malum, quantum ipſi videtur; commiſeratio extingvitur, aut ſaltem imminuitur. Quoniam enim commiſeratio oritur, ſi alterum indignum judicamus malo, quo affligitur (§. 695. *Pſych. empir.*); ubi alteri perſuaſeris, eum, cujus commiſeratur, non eſſe indignum malo, quo affligitur, ſeu, quod perinde eſt, eum meruiſſe, vel etiam culpa ſua ſibi contraxiſſe hoc malum, eundem commiſeratione indignum judicabit. Sublata igitur cauſa commiſerationis, ceſſabit quoque commiſeratio, ſeu extingvetur. *Quod erat primum.* *De commiſeratione extingvenda.*

Similiter ſi cui perſuaſeris alterum hoc malo minime affligi, quo eum vexari putat; errorem ſuum agnoſcet (§. 623. *Log.*). Ceſſante igitur cauſa commiſerationis (§. 695. *Pſych. empir.*), patet ut ante, commiſerationem extingvi. *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi cui perſuaſeris, malum, quo alterum affligi putat, non eſſe tantum, quemadmodum ipſi videtur, ideoque extenuetur, quantum datur; opinionem ſuam de magnitudine mali mutat: a qua cum dependeat gradus affectus, commiſeratio imminuetur, immo ſi magnitudo mali non tanta videatur, quanta ad concitandum affectum ſufficit, ſublata affectus cauſa, patet ut ante commiſerationem prorſus extingvi debere. *Quod erat tertium.*

Singulos caſus propoſitionis præſentis experientia confirmat. Ecquis eſt, qui neſciat, neminem eorum commiſerari, quos commiſeratione indignos judicat? Experimur in nobis ipſis ceſſare commiſerationem, ſi eadem indignos judicamus, quibus mala quædam accidunt. Dehortaturi alios,

lios a commiſeratione, hoc argumento utimur, quod is commiſeratione omni indignus ſit, quem malum quoddam vexat. Immo eodem argumento excuſamus defectum commiſerationis propriæ. Nemo commiſeratur latronis ad ſupplicium ultimum tracti, etſi atrox, qui atrocia ejus ſcelera deteſtatur, miſertus eorum, qui ipſius crudelitatem ſuo ſangvine explere non potuerunt. Et ſi quem ad commiſerationem permovet atrocitas ſupplicii, ei ad animum revocamus crudelitatem nefandam, qua tam atrox ſupplicium meruit. Si mendicus ſimulat defectum virium, ut labore victum acquirere nequeat; ſimulatione detecta ejus non commiſeramur, cum nulla ſit miſeria, quæ nos tangere poſſit, quamvis ad amandum alios quoscunque ſimus proni. Similiter ſi nos ad commiſerationem permovet obitus cujusdam, qui viduam & liberos adhuc parvos relinquit; commiſeratio ceſſat, ubi nobis innoteſcit, viduæ & liberis conſultum eſſe morte mariti ac parentis, propterea quod homo luxui deditus omnia tandem bona dilapidaſſet, ad tolerandam vitæ neceſſitatem & ſumtus educationis cauſa faciendos adhuc ſufficientia. Quodſi præterea defunctus peſſimis atque impuris moribus imbutum poſſedit animum; magnum quoque momentum huc affert ſublatio periculi educationi liberorum imminentis. Oſtendimus nimirum alterum meruiſſe malum, quo vexatur, ſi evincitur eum ſua culpa in hoc incidiſſe, vel malas actiones patraſſe, quarum pœna malum iſtud cenſeri poteſt. Magnitudo mali diminuitur, ubi oſtenditur, quænam bona cum eodem ſint connexa alias non eventura.

§. 458.

De commiſeratione evaneſcente, amore extincto.

Si amor extingvitur, commiſeratio evaneſcit. Qui enim alterius commiſeratur, eum amat (§. 692. *Pſych. empir.*), & qui amat, ejusdem quoque commiſeratur (§. 688. *Pſych. empir.*), ſi vero non amat, nec commiſeratur (§. 689. *Pſych. empir.*

empir.). Quoniam iraque poſito amore ponitur commiſeratio & ſublato amore tollitur commiſeratio, ſi amor extingvitur; commiſeratio evaneſcit.

Variæ ſeſe offerunt cauſæ, quæ amorem extingvunt, atque tum quaſi ſua ſponte commiſeratio evaneſcit. Quamvis vero homines omnes amare debeamus tanquam nos metipſos (§. 619. *part. 1. Jur. nat.*), ipſos etiam inimicos (§. 632. *part. 1. Jur. nat.*); commiſeratio tamen non ſemper procedit ex amore iſto univerſali, ſed plerumque ex amore quodam ſpeciali, quæ particulares habet cauſas. Atque ideo fieri poteſt, ut illæſo amore univerſali extingvatur particularis, eodemque extincto in auram abeat commiſeratio. Et quia dantur caſus, in quibus miſeri commiſeratione indigni ſunt; ideo non ſemper illicitum eſt extingvere amorem, ut commiſeratio evaneſcat. Sed de his diſertius dicendum, quando ſuo loco de miſericordia acturi ſumus. Accedit, quod affectus amoris non ſit confundendus cum dilectione ſeu charitate (§. 620. *part. 1. Jur. nat.*), ac interſit illum ab hac diſtingvi, cum ille ab omni labe non ſemper ſit immunis, a qua difficilius purgatur, quam extingvitur.

§. 459.

Quoniam extincto amore commiſeratio evaneſcit (§. 458.); *ſi commiſeratio conſervanda, opera danda eſt, ut amor ſeratione conſervetur, nec langveſcat*, conſequenter cum amor conſervetur, ſi alteri placere ſtudeamus (§. 649. *Pſych. empir.*), *homo miſer ſtudere debet, ut ei placeat, qui ſui commiſeratur.* *De commiſeratione conſervanda.*

Convenit hoc notionibus communibus. Videmus enim, quomodo placere iis ſtudeant miſeri, quorum commiſerationem conſervari intereſt. Conſtat etiam eos reprehendi, qui faciunt quod diſplicet ipſorum commiſerantibus.

§. 460.

De invidia extingvenda

Si cui perſuaſeris, judicium ipſius de felicitate alterius falſa niti opinione de felicitate, vel in facto eſſe erroneum; invidia extingvitur. Quodſi enim alteri perſuaſeris, judicium ipſius de felicitate alterius falſa niti opinione de felicitate, vel in facto eſſe erroneum; opinionem, quam de felicitate alterius fovet, falſam eſſe agnoſcit (§. 507. *Log.*). Quamobrem cum invidiæ mater ſit opinio de felicitate alterius (§. 705. *Pſych. empir.*), qua ipſum indignum judicamus (§. 713. *Pſych. empir.*); opinione hac ſublata invidia extingvitur (§. 431. 432.).

Ponamus Sempronium invidere Sulpitio divitias. Quodſi eidem perſuaſeris, eum divitem non eſſe, ſed ære alieno obrutum eſſe; invidia ceſſabit. Idem eveniet, ſi perſuaſeris, bona fortunæ neminem facere felicem (§. 410. *part. 1. Jur. nat.*), præſertim ſi præterea agnoſcat, animum ſorte ſua contentum in maximo lucro eſſe. Quodſi erroneæ de felicitate opiniones ex animis hominum evellerentur, invidia rariſſima foret: quamdiu autem eædem mentes hominum occupant, frequentiam ejus quod miremur non eſt.

§. 461.

Modus alius

Si cui perſuaſeris, cum bonis, quæ alteri invidet, connexa eſſe mala, quæ ſi ſimul habere deberet, bona habere nollet; invidia, ſi non extingvetur, ſaltem imminuetur. Etenim ſi cui perſuaſeris, cum bonis, quæ alteri invidet, connexa eſſe mala, quæ ſi ſimul habere deberet, bona habere nollet; non amplius in numero bonorum habebit, quæ antea habuerat, aut ſaltem pretio illorum multum detrahetur. Mutata igitur opinione invidiæ creatrice, vel prorſus extingvetur invidia, vel ſaltem imminuetur (§. 431. 432.).

Gra-

Gradus nimirum invidiæ dependet a magnitudine boni, quæ ſi non amplius tanta habetur, quanta antea videbatur, invidia quoque decreſcit. Ponamus te alteri invidere uxorem divitem: ubi cognoverit, eam eſſe Xantippem, mille tædia marito creantem, ita ut dies nulla ſit ſine moleſtia; ſi ſapit, eam non invidebit alteri, quam ipſe habere nollet. Quodſi autem divitiæ ſeortim ſpectatæ adhuc invidiam ſuſcitent, peſſimi tamen mores uxoris, quæ divitem facit maritum, eam vires capere vix ac ne vix quidem permittent, modo eorum cogitatio ſubeat animum.

§. 462.

De invidia evaneſcente odio extincto

Si odium extingvitur, invidia evaneſcit. Qui enim alterum odit, ea, quæ bona exiſtimat, alteri invidet (§. 707. *Pſych. empir.*), minime autem, ſi non odit (§. 708. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque poſito odio ponitur invidia, eodem autem ſublato tollitur; ſi odium extingvitur, invidia quoque evaneſcit.

Odium fons invidiæ eſt, quo obturato nec eidem locus relinquitur. Non autem facile eſt extingvere odium invidiæ matrem, quoniam cum diſpliceat alterum frui bono, quod ipſi invidemus, cauſa odii in cauſa invidiæ latet, ut uterque affectus una concitetur. Non tamen id propterea ad impoſſibilia eſſe referendum, ex ſuperioribus, quæ de odio demonſtrata ſunt, intelligitur.

§. 463.

De abſurditate invidiæ.

Si quis agnoſcit abſurdum eſſe, ut invidia animum ſuum torqueat, felicitati tamen alterius, quam ægre fert, nihil detrahere valens; invidia ſi non prorſus ceſſat, multum tamen imminuitur. Qui enim agnoſcit abſurdum eſſe, ut invidia animum ſuum torqueat, felicitati tamen alterius, quam ægre fert, nihil detrahere valens; is agnoſcit, ſe ſibimetipſi tædi-

um creare, quo carere poterat, temere (§. 276. *part. 3. Jur. nat.*), conſequenter ſe infelicem reddere (§. 639. *Pſych. empir.*), cum tamen alterum felicitate ſua frui pati teneatur. Quamobrem cum naturaliter infelicitatem ſuam averſetur (§. 324. *part. 2. Phil. pract. univ.*); invidiam quoque averſabitur. Ea igitur ceſſabit. *Quod erat unum.*

Quoniam tamen invidia ex odio naſcitur (§. 707. *Pſych. empir.*); ſi odium nondum extinctum adhuc reſuſcitet invidiam, abſurditatis tamen, quam diximus, cogitatio eandem vires acquirere non permittit. Quamobrem invidia ſaltem multum imminuetur. *Quod erat alterum.*

Abſurditas hæc, quamvis ſatis manifeſta videatur, non tamen adeo facile agnoſcitur, ut vim ſuam in appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam exerat, quia multæ admodum ſunt rationes tam proximæ, quam remotæ, ob quas ægre ferimus felicitatem alterius, tacite appetitum & facultatem averſandi moventes, ut minime animadvertantur. Quæ igitur in perceptione confuſa invidiæ creatrice latent ac minime patentes diſpoſitiones facultatis appetendi & averſandi invidiæ, quæ ſopita videtur, reſuſcitandæ ſufficiunt. Aſt talia magis eluceſcent, ſi Ethica integra fuerit pertractata, ut perceptionum in facultatem appetendi & averſandi influentium a ſe invicem dependentia intimius perſpiciatur.

§. 464.

De irriſione extingvenda.

Si cui perſuaſeris, ea, quæ famæ alterius adverſa judicat, adverſa minime eſſe, aut ipſum in facto errare; irriſio extingvetur. Etenim ſi cui perſuaſeris, ea, quæ famæ alterius adverſa eſſe putat, adverſa minime eſſe, aut ipſum in facto errare, is opinionem ſuam falſam eſſe agnoſcit (§. 507. *Log.*).

Quam-

Quamobrem cum opinio ejus, quod alteri vitio verti poteſt, vel famam ejus quomodocunque lædit, ſit irriſionis creatrix (§. 730. *Pſych. empir*); eadem ſublata tolletur quoque irriſio (§. 432.). Quodſi ergo alicui perſuaſeris, ea, quæ famæ alterius adverſa judicat, adverſa minime eſſe, aut ipſum in facto errare, irriſio exingvetur.

Si quis irridetur, quia claudicat, vel oculo uno privatus, irriſioni locus non erit, ſiquidem perſuaſus fuerit hunc corporis defectum nemini imputari poſſe, nec vitio cuidam verti. Solenne eſt ferram contentionis reciprocantibus, ut ſe invicem aliis deridendum propinent propter talia, quæ nemini vitio verti poſſunt: qui perverſus mos apud nos invaluit. Nemo tamen prudens ac ſapiens propterea irridet alios, ſed inconditos potius mores controvertentium deteſtatur. Quodſi quis Mathematicum faſtu turgidum & Dianam unice ſuam cultu idololatrico venerantem irridet, quod putat eum errorem minime condonandum commiſiſſe; ubi convincitur, falſum eſſe, quod errorem commiſerit, irriſio ceſſabit.

§. 465.

De irriſione extingvenda odii ſublatione.

Sublato odio, quo eum, quem irrides, proſequeris, irriſio quoque extingvitur. Etenim qui alterum irridet, is ex eo, quod eidem vitio verti poteſt, aut famam ejus quomodocunque lædit, gaudium percipit (§. 730. *Pſych. empir.*), conſequenter cum tædium ejus appetat, eum odit (§. 669. *Pſych. empir.*). Eſt itaque odium cauſa irriſionis (§. 881. *Ontol.*). Odio igitur ſublato, irriſio quoque tollatur neceſſe eſt, ideoque extingvitur (§. 432.).

Qui famæ ſuæ adverſum credit, ſi ab alio impugnetur, cum hoc ipſi diſpiceat, odium in impugnatorem concitatur (§. 674. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo hic adverſari-

um nactus fuerit, qui ipſum egregie depexum reddit; eundem irridebit. Aſt ſi odio nullum reliquit locum, nec irriſioni locum faciet.

§. 466.

De irriſione pudore fuganda.

Si ei, qui alterum irridet, perſuaſeris, haud paucas eſſe rationes, ob quas ipſe aliis deridendus propinari poſſit; pudore irriſio fugatur. Etenim ſi ei, qui alterum irriditet, perſuaſeris, haud paucas eſſe rationes, ob quas ipſe aliis deridendus propinari poſſit, ſiniſtra aliorum de ſe judicia ſibi repræſentat (§. 774. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum opinio de ſiniſtris aliorum de ſe judiciis concitet pudorem (§. 374.), pudor autem tendat ad impediendum, ne id, quod nos pudet, in notitiam aliorum veniat (§. 375.), conſequenter etiam ad vitandum ea, quæ memoriam illorum refricare poſſent, ideoque irriſionem alterius; ſi ei, qui alterum irridet, perſuaſeris, haud paucas eſſe rationes, ob quas ipſe aliis deridendus propinari poſſit, pudor irriſionem fugat.

Nemo eſt, cui placeat, ſi irrideatur ab aliis. Quodſi ergo cognoſcatur, irriſionem alterius in cauſa eſſe poſſe, ut ipſimet irrideamur ab aliis, ab eadem utique abſtinemus. Pudor, quem gignit metus, ne ab aliis viciſſim irrideamur, irriſioni obicem ponet.

§. 467.

Si quis præter ullam, ut alienis delectetur apparet, ra- tionem dam- nis alienis delectetur.

Si quis agnoſcit maxime abſurdum eſſe, ut quis damnis præter ullam, ut apparet, rationem; famæ ſuæ non fuerit negligens; pudor delectationem vincet, ne ſe exerat. Qui enim famæ ſuæ negligens non eſt, is actiones & mores ſuos ad aliorum opinionem refert, ſibique repræ-

repræſentat aliorum de ſe judicium (§. 553. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi ergo agnoſcit maxime abſurdum eſſe, ut qui damnis alienis præter ullam, ut apparet, rationem delectetur; ſiniſtrum aliorum de ſe judicium ſibi repræſentat (§. 774. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum hac repræſentatione oriatur pudor (§. *cit.*), pudor vero tendat ad impediendum, ne id, quod pudet, aliis innoteſcat (§. 375.) & ad emendationem ejusdem (§. 376.); pudor delectationem vincit, ne ſe exerat.

Qui famæ ſuæ rationem nullam habent, aut perſuaderi nequeunt, ſi quis præter ullam, quæ apparet, rationem damnis alienis delectetur, id famæ ipſius maculam adſpergere; ne præter ullam, quam allegare valent, rationem damnis alienis delectentur, adduci minime poterunt. Exemplum habemus in juvenibus, qui petulantiam nondum depoſuerunt & non nocendi animo aliis dant damna, non perpendentes facto ſuo damnum dari aliis, multo minus magnitudinem ejus reſpectu perſonæ æſtimant, ut & ipſi delectentur, & delectent alios ſui ſimiles. Quamobrem quod in Academia faciunt, id facere pudet eos in patria. Pudore autem vincendum eſſe hanc delectationem, vulgo agnoſcitur, cum eam reprehenſuri dicere ſoleant: pudeat te hoc facere. Quæ vero in juvenibus petulantia eſt, in iis in malitiam degenerat, quos malitia propter ſe delectat absque ullo emolumento inde ſperando. Atque hic malitiæ gradus ſummus eſt, qui naturam humanam excedere videtur; ad quam cum ducat delectatio, quæ in pueris, adoleſcentibus & juvenibus petulantiæ tribuitur, tanto majore animi contentione hoc irriſionis genus tempeſtive eradicandum, ne ſemina quædam in animo relinquantur nihil moderabile ſuaſura non uno in caſu.

§. 468.

§. 468.

De eo, qui promiſcue damnis alienis gaudet ob faſtum.

Si quis alienis damnis promiſcue gaudet, propterea quod ſupra omnes eminere vult; eum ad ſaniorem mentem non reduxeris, niſi faſtu extirpato. Etenim ſi quis alienis damnis promiſcue gaudet, propterea quod ſupra omnes eminere vult; delectatio ipſius a faſtu proficiſcitur (§. 583. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quoniam itaque effectus tolli nequit, niſi ſublata cauſa (§. 898. *Ontol.*); ſi quis alienis damnis promiſcue gaudet, propterea quod ſupra omnes eminere vult, eum ad ſaniorem mentem reducere non poteris, niſi faſtu extirpato.

Homo faſtoſus ſibi parem ferre nequit, multo minus autem ſe ſuperiorem. Quicquid igitur opinione ſua boni in altero deprehendit, id ipſi diſplicet, conſequenter odium gignit (§. 674. *Pſych. empir.*), quamvis concluſum foveatur, vim tamen ſuam exerens, quando occaſio alienis damnis delectandi ſeſe offert (§. 661. *Pſych. empir.*). Quamdiu igitur faſtus animum occupat, tamdiu quoque impediri nequit, ne faſtoſus damnis aliorum promiſcue delectetur. Quomodo corrigendus ſit faſtus, ſuo demum loco doceri poterit.

§. 469.

De acquieſcentia in ſeipſo delenda.

Si cui perſuaſeris, quod a ſe bene factum opinatur, bene factum non eſſe, aut factum non eſſe tale, quale ſibi repræſentat; acquieſcentia in ſe ipſo deletur. Etenim ſi cui perſuaſeris, quod a ſe bene factum opinatur, bene factum non eſſe, aut factum non eſſe tale, quale ſibi repræſentat; is agnoſcit, aut ſe non præſtitiſſe, quod a ſe præſtitum fuiſſe putat, aut judicium ſuum de eo, quod præſtitit, erroneo niti principio, conſequenter opinionem ſuam de bene a ſe facto falſam eſſe agnoſcit. Quoniam itaque acquieſcentia

centia in ſe ipſo oritur, ſi quis putat, quæ fecit, ea a ſe bene facta eſſe (§. 751. *Pſych. empir.*), ſublata autem opinione affectus creatrice, affectus ſedatur (§. 432.); ſi cui perſuaſeris, quod a ſe bene factum opinatur, bene factum non eſſe, aut factum non eſſe tale, quale ſibi repræſentat, acquieſcentia in ſe ipſo deletur.

Si quis putat ſe novi quidpiam inveniſſe, quod nemo adhuc noverit, atque invento ſuo delectatur; gaudium ipſius, in quo acquieſcentia in ſe ipſo conſiſtit, deletur, ſi agnoverit, ſe non inveniſſe, quod ſibi inveniſſe videbatur, aut ſi intelligit, dudum in vulgus notum eſſe, quod a ſe primum detectum exiſtimat. Conſtat in ſuperioribus, non eadem eſſe omnium de eo, quod bonum eſt, principia, cum falſæ opiniones plurimum varient. Quamobrem cum unusquisque de eo, quod bonum eſt, judicaturus ſuum applicet principium, in applicatione autem præſupponitur factum, aut res quædam alia, ad quam illud applicatur; ideo contingit, ut de facto ſuo judicaturi vel in principio errent, vel in facto, quod tale non eſt, quale vi principii eſſe debebat, vel etiam in utroque. Hinc facile patet, unde petenda ſint argumenta, ſi falſitatem opinionis ſuæ ipſi perſuadere volueris. Aſt non opus eſt, ut plura dicamus, cum hæc abunde perſpiciantur ex iis, quæ ſuperius demonſtravimus ibidemque annotavimus (*not.* §. 432.)

§. 470.

Quoniam acquieſcentia in ſe ipſo deletur, ſi quod bene factum opinamur, bene factum non eſſe agnoſcimus (§. 469), conſequenter, nos falſam de eo, quod fecimus, opinionem fovere (§. 507. *Log*); *ſiquis ſibi cavere velit, ne falſa opinione acquieſcentia in ſe ipſo creetur in auram abitura, plurimum conducit, ut obſervet, quid in ſimili caſu faciant alii & omni animi ſollicitudine inquirat in rationem, cur alii aliter faciant.*

Quomodo præcavendum, nos acquieſcentia in ſe ipſo evaneſcat.

Ponamus Cajum in Academia ſtudiis literariis gnaviter incubuiſſe, ſibique plurimum profeciſſe videri. Dubium non eſt, quin profectibus ſuis gaudens in patriam redeat. Enimvero ubi agnoſcit, Grachum eodem temporis ſpatio longe majores & magis præclaros progreſſus in diſplicinis feciſſe, minore diligentia, quam qua ipſe uſus fuit, propterea quod a latere Profeſſorum doctrinam ſolidam tradentium hæſit, cum ipſe ſibi duces elegerit, qui ipſimet nondum ſatis concoquerunt ea, quæ docent alios, & a vero tramite ad devia incautos ſeducunt; gaudium ex opinione falſa de profectibus ſuis inſignibus ortum evaneſcet & locum aliis affectibus moleſtis faciet, præſertim ubi experitur, ea, quæ didicit neglectis utilibus, ſibi inutilia eſſe, aut prorſus talia, quæ coram rerum intelligentibus in medium proferre nequit, niſi derideri velit. Acquieſcentia in ſe ipſo veræ felicitati imputanda non eſt, niſi opinione vera nitatur. Quantum vero nocere poſſit, ſi nitatur falſa, ex ſequentibus acrius eluceſcet.

§. 471.

De pœnitentia extinguenda.

Si cui perſuaſeris, ea, quæ fecit, male facta non eſſe, aut factum ipſius non eſſe tale, quale male facti notio ſupponit; pœnitentia extingvitur. Etenim ſi cui perſuaſeris, ea, quæ fecit, male facta non eſſe, propterea quod notione falſa male facti judicium ejus nitatur, aut factum ipſius tale non eſſe, quale notio male facti ad idem applicanda ſupponit; opinionem ſuam de eo, quod fecit, falſam eſſe agnoſcit (§. 507. *Log.*). Quamobrem cum hac opinione concitetur pœnitentia (§. 759. *Pſych. empir.*), opinione autem affectus creatrice mutata affectus ſedetur (§. 432.); ſi cui perſuaſeris, ea, quæ fecit, male facta non eſſe, aut factum ipſius non eſſe tale, quale male facti notio ſupponit, pœnitentia extingvitur.

Ponа-

Ponamus te emiſſe prædium tibique perſuaderi a nonnullis, quod nimis caro emeris; emtionis te pœnitebit, propterea quod partem pecuniæ perdidiſſe putas, quam conſervare poteras atque utiliter collocare. Enimvero ubi poſtea experiris, eos eſſe reditus, qui pretio ſoluto reſpondent, ita ut quilibet prædii poſſeſſor iſtiusmodi reditibus contentus ſit; pœnitentia evaneſcet. Similiter ſi quis edidit librum doctrina ſolida refertum, quam iniquis aliorum cenſuris expoſitum experitur; eum pœnitebit, quod illum ediderit. Enimvero ubi agnoſcit, eundem meruiſſe intelligentium & bonorum applauſum, ac multis, quibus doctrina ſolida curæ cordique eſt, utilem, ideoque in pretio eſſe, pœnitentia evaneſcit. Falſa nimirum opinio, qua concitabatur pœnitentia, huc redibat, quod actione libri ſui nonniſi iniquas aliorum cenſuras in ſe provocaſſet, quibus famæ ſuæ noceatur.

§. 472.

Si alteri perſuaderi nequit, quod fecit, id male factum non eſſe; pœnitentia ſi non extingvitur, ſaltem imminuetur, donec dies tandem eam deleat, ubi eidem perſuaſeris, quod fruſtra animum tantis moleſtiis torqueat. Etenim ſi alteri perſuaderi nequit, quod fecit, id male factum non eſſe, cum hæc opinio ſit pœnitentiæ creatrix (759. *Pſych. empir.*), affectus tamdiu ſubſiſtet, quamdiu animo inhæret iſta opinio, & torquebit animum, cum affectus moleſtiſſimus ſit (§. 758. *Pſych. empir.*), quoties male facti cogitatio eundem ſubit. Quamobrem ſi pœnitentia extingvenda, aut ubi id fieri nequit, imminuenda, nil reſtat, quam ut alteri perſuadeas, quod fruſtra animum tantis moleſtiis torqueat, conſequenter ſe infelicem reddat (§. 639. *Pſych. empir.*), cum factum infectum fieri nequeat. Quoniam enim homo per

De pœnitentia extingvenda, ſi opinio male facti refutari nequit.

naturam ſuam infelicitatem averſatur (§. 325. *part. 2. Phil. pract. univ.*), ſi ſapit, pœnitentiam miſſam faciet, aut, ſi opinio male facti, quæ ſublata non eſt, eundem reſuſcitet, cogitatio tamen infelicitatis ſpontaneæ eandem vires capere non permittet, conſequenter ea ſaltem inminuetur. *Quod erat unum.*

Enimvero cum conſtet, opinionibus longe præteritorum virium plurimum detrahi in facultatem appetendi & averſandi ſenſitivam, ut utriusque facultatis commotiones langveſcant; ubi ipſa experientia edoctus convincitur, pœnitentiæ indulgendo nihil effici, quam ut nos reddamus infelices, ipſam tandem pœnitentiam dies delebit. *Quod erat alterum.*

Duplex eſt caſus, in quo alteri perſuaderi nequit, quod fecit, id male factum non eſſe, tum quando judicium ipſius verum eſt, tum quando præjudicium de eo, quod male factum, ex animo ejus evellere non poſſumus, vel etiam factum ipſum ut tale ſibi repræſentet, quale revera eſt, efficere nullo modo poſſumus. In utroque caſu pœnitentiam eo modo tolli non poſſe, quem præſcribit propoſitio præcedens (§. 471.), manifeſtum eſt. Quoniam vero non adeo facile eſt, ut quis attentionem ab opinione male facti avocet & eandem totam in conſiderationem tormentorum fruſtraneorum vertat atque in hiſce unice defigat, non modo quia ſingularibus exercitiis opus eſt ad acquirendum habitum attentionem ſuam pro lubitu revocandi ab objecto uno in alterum & in hoc eandem conſervandi (§. 41. *& ſeqq. part. 1. Ethic.*), verum etiam in præſenti caſu non una datur ratio, cur a conſideratione tormentorum fruſtraneorum ad opinionem male facti retrahatur attentio; ideo quoque difficillimum eſt in hypotheſi propoſitionis præſentis medelam afferr-

afferre pœnitentiæ, ut contenti eſſe debeamus, ſi fecerimus quantum poſſumus. Cum tempus per ſe rebus nullam inferat mutationem, ideo nec dies per ſe pœnitentiam, ſicuti affectum nullum ceterorum, delere poteſt, ſed quicquid tempori tribuitur, id rationem ſufficientem agnoſcit in iis, quæ in tempore contingunt, & ſucceſſive vim ſuam nobis minime obſervantibus in animum exerunt. Inde omnino eſt, ut non omnes eodem modo mutemur in tempore, & difficilis ſit de hac mutatione conjectura, conſequenter parum tutum, certe mine conſultum, eidem committere unice medelam.

§. 473.

De gloria extingvenda.

Si cui perſuaſeris, ea, quæ fecit, talia non eſſe, ut benignum aliorum judicium ſibi ab aliis promittere poſſit, aut alios ea, quæ ab eo bene ac recte facta ſunt, non agnoſcere, vel agnituros, immo potius ſiniſtre de iisdem judicare, vel judicaturos; gloria extinguitur. Etenim ſi cui perſuaſeris, ea, quæ fecit, talia non eſſe, ut benignum de iisdem ſibi judicium ab aliis promittere poſſit, aut alios ea, quæ ab eo bene ac recte facta ſunt, non agnoſcere, vel agnituros, immo potius ſiniſtre de iisdem judicare, vel judicaturos; is opinionem ſuam de benigno aliorum de ſe & factis ſuis judicio falſam eſſe agnoſcit (§. 507. *Log.*) .Quamobrem cum hac opinione concitetur gloria (§. 769. *Pſych. empir.*); eadem mutata gloria extingvetur (§. 432.).

Librum quendam ſcripſiſti, quem cum applauſu exceptum iri putas; opinione hac affectus concitabitur, quam gloriam diximus. Enimvero ponamus te eundem ſubmittere judicio in eo ſcientiarum genere, ad quod is referendus, eminenti, hunc vero tibi oſtendere lapſus, quos commiſiſti, nec eum reſpondere votis tuis, conſequenter

applauſum intelligentium & bonorum ſperandum non eſſe; quin gloria extingvatur dubitandum non eſt. Sit vero ita, ut rem tuam bene ac recte feceris, tibi tamen afferri rationes, cur alii id non ſint agnituri, quin potius contemturi; cum denuo prævideas te applauſum, quem ſperaveras, non obtenturum, quin hoc etiam in caſu gloria extingvatur, dubitandum non eſt. Ceſſat nimirum ratio, cur gloria concitetur, conſequenter ſine ea eandem concitari impoſſibile eſt (§. 70. *Ontol.*). Equidem cum gloria ſit ſtimulus ad præclara præſtanda absque ulla ſpe lucri (§. 771. *Pſych. empir.*), affectus iſte non extingvendus, ſed fovendus videtur: attamen ſi quis prævidet, ſe ſpe ſua fruſtratum iri, affectum iſtum extingvi præſtat ſua ſponte, quam ut demum caſu extingvatur & affectibus moleſtis, quibus carere poteramus, locus relinquatur. Sufficit itaque acquieſcentia in ſe ipſo frui & in ea acquieſcere, quam gloriam cum eadem copulari, quæ perturbationibus animi locum dare poteſt, a quibus valde meruendum, ne fructus acquieſcentiæ in ſe ipſo percipere valeamus. Qui acquieſcentia in ſe ipſo contentus eſt, & finiſtra aliorum judicia non curat, ſi fuerint hominum imperitorum vel iniquorum; non tamen propterea deſiſtit a propoſito præclara præſtandi ac bene de humano genere merendi, cum acquieſcentia in ſe ipſo ſufficiens ſtimulus ſit ad talia præſtanda. Aſt plura de eo dicemus inferius, quando de uſu & abuſu affectuum acturi ſumus. Acquieſcentia in ſe ipſo una cum gloria concitari ſolet: qui enim benignum aliorum de ſe & factis ſuis judicium ſibi promittit, quo gloria concitatur (§. 769. *Pſych. empir.*), is etiam benignum de ſe ipſo & factis ſuis judicium ipſemet fert, quod acquieſcentiam in ſe ipſo ſuſcitat (§. 751. *Pſych. empir.*); acquieſcentia tamen in ſe ipſo etiam oriri poteſt absque gloria, nec cum eo conſtanter copulatur. Ut vero illam ab hac ſeparemus, opera danda eſt, ut noſtrum de nobis & eo, quod feci-

mus,

mus, judicium ſit verum, ne agnito errore acquieſcentia quoque in ſe ipſo evaneſcat, ſimmo in affectus moleſtos vertatur.

§. 474.

De pudore extingvendo

Si cui perſuaſeris, ipſum per errorem factum iſtiusmodi, quale ſuum eſt, pro malo, aut minus recto habere, aut factum ipſius in illorum numerum non eſſe referendum, quæ pro malis aut minus rectis habet, vel alios, ad quorum opinionem factum refert, ſecus ſentire, aut in illorum numerum non referre factum ipſius, quæ pro malis vel minus rectis cum ipſo habent; pudor extingvitur. Etenim ſi cui perſuaſeris, eum falſo niti principio in dijudicandis iis, quæ male aut minus recte facta ſunt, vel factum ipſius non eſſe iſtiusmodi, quale principium, quo in male aut minus recte dijudicandis absque errrore utitur, requirit; is nullam rationem eſſe agnoſcit, cur alii ſiniſtrum de facto ſuo judicium ferant, conſequenter ut ipſum pudeat ſe hoc feciſſe. Quodſi igitur aliorum iniquæ cenſuræ non plus deferre velit, quam veritati, cum opinione ſiniſtri judicii aliorum de factis ſuis concitetur pudor (§. 779. *Pſych. empir.*); ceſſante ratione pudoris, quæ attendi meretur, ceſſabit quoque pudor (§. 70. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Quodſi vero alicui perſuaſeris, alios, ad quorum opinionem factum ſuum refert, ſecus ſentire quam ipſum, nec eodem principio in dijudicandis male aut minus recte factis uti, aut factum ipſius in illorum numerum non referre, vel relaturos eſſe, quæ pro male aut minus recte factis habent; is opinionem ſuam de ſiniſtro aliorum de ſe & factis ſuis judicio falſam eſſe agnoſcit (§. 507. *Log.*).

Quo-

Quoniam itaque hac opinione concitatur pudor (§. 779. *Pſych. empir.*), eadem deleta pudor extingvitur (§. 432.). *Quod erat alterum.*

Equidem non deſunt longe plurimi, qui in pudore unice attendunt animum ad opinionem aliorum, ſive ſiniſtrum eorum judicium fuerit veritati conſentaneum, ſive ab eadem procul remotum, immo abſurdum: revera tamen abſurdum eſt contra veritatem ſequi aliorum opinionem. In hoc igitur caſu opera danda eſt, ut pudor extingvatur. Sunt quos pudet religionis ac pietatis, quia contemtores religionis atque pietatis, qui ceteris acutiores prædicantur, alto ſupercilio eos contemnunt, qui religionem pro fabula, cultum Numinis pro ſuperſtitione plebis imperitæ habere nolunt, nunc defectum judicii, nunc præjudicatas opiniones, quibus in pueritia imbutus eſt animus eorum, accuſantes. Aſt qui rectius ſapit non diffitebitur, hunc pudorem omni animi contentione excutiendum eſſe. Perpendendum hic eſt, defectum acuminis & craſſam ignorantiam prodere eos, qui tam impias ac civitati periculoſas opiniones diſſeminant: id quod ſuo loco demonſtraturi ſumus, quando de praxi officiorum erga Deum acturi ſumus.

§. 475.

Altus pudorem ſedandi, vel imminuendi modus.

Si cui perſuaſeris, quod fecit, id excuſationem mereri, ne facta aliena æqua lance ponderantium ſiniſtrum judicium metuendum ſit; pudor ſi non extingvatur, ſaltem imminuetur. Etenim ſi cui perſuaſeris, quod fecit id excuſationem mereri, ne facta aliena æqua lance ponderantium ſiniſtrum judicium metuendum ſit; is quoque ſibi non amplius metuet, ne æqui rerum judices ſiniſtrum de ſe judicium ferant. Quamobrem cum opinio ſiniſtri aliorum de ſe judicii pudorem creet (§. 779. *Pſych. empir.*), pudori locum non concedet (§. 432.). *Quod erat unum.*

Quodſi

Quodſi vero ad animum revocet, non omnes æquos ſeſe præbere judices, quando de factis aliorum judicium fovendum, ſed æquitatem in judicando admodum raram eſſe juxta pervulgatum iſtud: aliena vitia in oculis habemus, a tergo noſtra ſunt, & qui ad cenſendum alios proni ſunt, eos quævis minutiſſima exaggerare, ut famæ aliorum detrahant, præſertim ſi affectus quidam ad cenſendum eos ſtimulant, cum hæc opinio pudorem concitet (§. 779. *Pſych. empir.*), pudor imminuetur, ubi cogitaveris, iniqua judicia nullam mereri attentionem, modo ſiniſtrum intelligentium & bonorum judicium evitetur. Quamobrem etſi pudor in hypotheſi propoſitionis non prorſus extingvatur, quatenus malles te nec iniquis cenſuris aliorum expoſuiſſe, multum tamen imminuitur. *Quod erat alterum.*

Nihil facilius contingit, quam ut in aliquo genere ſcientiarum excellens a vero aberret, nec alia de cauſa errare humanum dicitur. Quodſi ergo contingat, errorem committi, veluti præcipitantia quadam in judicando, vel præjudicio quodam, quod tacite irrepſit in animum errantis & forſan affectu quodam non injuſto fovetur atque acuitur; eum facile excuſabit æquus rerum judex. Et ubi errorem agnoſcens cauſam ejus perpendit, eandemque ab aliis facile animadverſum iri ſibi perſuadet, æquo ipſorum judicio confiſus pudori locum minime concedet, ſpretis judiciis cenſorum imperitorum & iniquorum. Quamvis itaque nec hunc errorem, qui facilem excuſationem meretur, commiſſum mallet; hæc tamen ratio ſufficiens non eſt ad pudorem concitandum, quæ inquietum reddat animum, ſed naſciturum ſtatim ſuffocat cogitatio de æquo peritorum & proborum judicio. Quamvis vero fieri aliter vix poſſit, quam ut iniquæ cenſuræ moleſtæ accidant, vel quia diſplicent, quatenus iniquæ ſunt; ſi quis tamen animum invadit

affectuum moleſtorum, ad ſuam ſpeciem pro datis circumſtantiis haud difficulter reducetur. E. gr. *Neutonus*, Geometra ſummus, cujus merita celebrabuntur, quamdiu Geometriæ ſublimiori honos habebitur, in eximio opere Principiorum, quæ vocat, Philoſophiæ naturalis mathematicorum, ex propoſitione directa virium centralium in ellipſi per modum corollarii infert inverſam, cum tamen demonſtratio hujus ſit multo difficilior, quam illius, quemadmodum recte obſervatum eſt a *Iohanne Bernoulli*; non tamen lapſus hic dicendus eſt pudendus, propterea quod vel ex Elementis *Euclidis* conſtare poteſt, ſi vel maxime quis Logicæ fuerit imperitus, propoſitiones omnes converti minime poſſe, easque demonſtrandas eſſe, & vulgaribus exemplis id doceri poteſt. Cum enim ipſe conqueſtus fuerit, quod methodo *Euclideæ* intimius perſpiciendæ non eam operam impenderit, quam eadem merebatur, ſed ſtatim animum ad Algebram appulerit; facile fieri potuit, ut de neceſſitate demonſtrandi propoſitionem converſam non cogitaverit, ſibique perſuaſerit, quamvis non ad veritatem, id quod abſque demonſtratione fieri nequit, quod de ellipſi demonſtravit, eidem ita proprium eſſe, ut alii lineæ curvæ convenire nequeat, præſertim cum dubio procul gaudio perfuſus fuerit animus ejus, ubi vidit, legem motus planetarum a *Keplero* ex obſervationibus erutam, ellipſi convenire, in qua planetas moveri ſtatuerat *Keplerus*. Similiter *Carteſius* veram demonſtrationis geometricæ formam non agnovit, qua ex notione ſubjecti ſeu iis, quæ de ſubjecto ſumuntur, continua ſyllogiſmorum concatenatione deducitur prædicatum, quod ſubjecto tribuitur, propterea quod ſyllogiſmum inutilem in demonſtrando ſtatuebat, cum examen logicum demonſtrationum *Euclidearum* non inſtituiſſet. Hæc tamen negligentia in pudorem ipſi verti nequit, ſed facilem meretur excuſationem, quia Logicam Scholaſticam, in qua finis venditatur ſyllogiſmus, male edoctus inutilem ſibi deprehende-

re

re viſus fuerat in veritate inveſtiganda, & tædio ex philoſophia Scholaſtica percepto permotus eandem præcipitantia facile condonanda totam repudiabat, de ejus emendatione parum ſollicitus. Optandum foret, ut eruditi omnes de lapſu aliorum excuſando magis eſſent ſolliciti, quam de eo exaggerando: huc enim ducit ipſa naturalis obligatio, quatenus omnium actionum humanarum, conſequenter etiam judicii de lapſu aliorum ferendi rectitudinem urget. Huc quoque referenda ſunt facta, quæ culpa facile condonanda committuntur, & quæ infirmitas humana excuſat.

§. 476.

Quoniam pudor ſi non extingvitur, ſaltem imminuitur, quia facta judicio rem unamquamque æqua lance ponderantium excuſationem facile merentur (§. 475.), merentur autem excuſationem, ſi qui defectu attentionis, aut alia quadam de cauſa in levioribus ceſpitant, cum in magis arduis induſtriam & acumen probaverint; *præclarorum meritorum cogitatio tollit pudorem ceſpitatione in levioribus concitandum.*

De ſuppri-mendo pudore cogitatione meritorum præclarorum.

Æqui rerum judices non modo animum attendunt ad ea, quæ male, vel minus recte facta ſunt, ſed etiam ad ea, quæ bene & recte facta ſunt, & ex his ſtatuunt de excuſatione illorum. Exempla, quæ modo dedimus (*not.* §. 424.), propoſitionem quoque præſentem illuſtrant. Ut vero in iis, quæ ab aliis male, vel minus recte facta ſunt, dijudicandis nos æquos præbeamus judices, Pſychologiæ ac Ethicæ apprime periti ſimus neceſſe eſt. Ita enim demum palam fiet, cur quis male, vel minus recte fecerit, quæ bene ac recte facere potuiſſet, aut cur facere non potuerit. Et quamvis præterea perſpectæ eſſe debent circumſtantiæ caſus dati, quæ non ſemper apertæ ſunt, ſed plerumque latent; has ipſas tamen vi principiorum pſychologicorum

conjectando aſſequi datur, ſi non quantum ad veritatem, ſaltem quantum ad probabilitatem in præſenti negotio ſufficit, evincendo nimirum laptus commiſſi poſſibilitatem, ſi vel maxime ob quædam nondum ſatis certa aſſumta omnimoda certitudo deſideretur. Ecquis eſt, qui neſciat, quantum in rebus humanis ſtandum ſit probabilitate? Non diffiteor, fore multos, qui non ſatis intelligent ea, quæ hic dicuntur, præſertim cum factorum alienorum dijudicatio, qualis hic præcipitur, nondum ſit in uſu: quodſi tamen quis in philoſophia noſtra, inprimis in Pſychologia & Ethica, probe fuerit verſatus, is ea non modo penitus intelliget, verum etiam ad uſum feliciter transferet. Illorum vero, qui omnia ſibi intelligere videntur, cum nihil intelligant, præcipitata judicia non moramur.

§. 477.

De pudore fugando contemtu judicii ſiniſtri, vel gloria.

Si cui perſuaſeris, ſiniſtrum aliorum judicium, quamvis verum, nullam attentionem mereri, aut ſi is doceatur; quod judicium iſtud ſtimulus eſſe debeat ad contraria iis, quæ fecit, aut alia præclara præſtanda; in caſu priori pudor evaneſcet, in poſteriori gloria prædominans eundem vincet. Etenim ſi cui perſuaſeris ſiniſtrum aliorum judicium, quamvis verum, nullam attentionem mereri; is quoque idem minime curæ habebit, conſequenter pro nullo habebit. Quamobrem cum ſiniſtro aliorum judicio concitetur pudor (§. 774. *Pſych. empir.*), quatenus ſcilicet per modum mali nobis obtingentis influit in facultatem averſandi ſenſitivam (§. 605. 603. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris ſiniſtrum aliorum de ſe vel factis ſuis judicium, utut verum, nullam attentionem mereri, pudor evaneſcet. *Quod erat unum.*

Quodſi quis doceatur, ut ſiniſtro aliorum judicio, quod in dubium vocari nequit, utatur vice ſtimuli ad contraria

traria iis, quæ fecit, præſtanda, vel alia præclara, cum hinc ſibi promittere poſſit benignum aliorum judicium, ejusdem repræſentatione orietur gloria (§. 765. *Pſych. empir.*), quæ cum ſit contraria pudori (§. *cit.* & §. 774. *Pſych. empir.*), pudorem fugabit, ſiquidem prædominetur (§. 440.). *Quod erat unum.*

Siniſtra aliorum judicia movent facultatem averſandi ſenſitivam, quatenus ea nobis repræſentamus tanquam famæ noſtræ adverſa eidemque nocitura. Et alias jam monuimus, ut pudorem concitent, ea habenda eſſe pro veris (*not.* §. 774. *Pſych. empir.*). Atque hinc patet, unde petenda ſint argumenta, ſi cui perſuadere volueris, ſiniſtrum aliorum judicium, ſi vel maxime non ſit a veritate alienum, nullam tamen attentionem mereri. Cum pudor affectus moleſtus ſit, quem natura averſamur, ita ut ab eodem liberari jucundum ſit, ex adverſo autem gloria affectus jucundiſſimus, cui lubenter indulgemus, gloria facile prædominatur, ubi cogitaveris, te ſiniſtrum aliorum judicium, quod pudorem creat, in benignum convertere poſſe, ita ut rariſſimus exiſtimari debeat caſus, in quo pudori prædominium concedit gloria. Ad fugandum itaque pudorem, ne animum inquietare poſſit, certiſſimum præſidium eſt, ſi cogitemus, quomodo ſiniſtrum aliorum judicium in benignum converti poſſit, eoque nitamur, ut fiat.

§. 478.

Si cui perſuaſeris, ea, quæ ab altero in ipſum profecta ſunt, De gratitu-
pro beneficio non eſſe habenda: gratitudo extingvitur. Eadem dine extin-
imminuitur, ſi beneficiorum magnitudinem tantam non eſſe, quanta gvenda &
videtur, ipſi perſuadetur. Etenim ſi cui perſuaſeris ea, quæ ab *minuenda.*
altero in ipſum profecta ſunt, pro beneficio habenda non eſſe; is quoque opinionem de beneficiis ab altero in ſe col-

collatis miſſam facit. Quamobrem cum repræſentatione beneficii in nos collati concitetur gratitudo (§. 789. *Pſych. empir.*), opinione de beneficio in nos collata mutata tollitur gratitudo (§. 432.). Quare ſi cui perſuaſeris, ea, quæ ab altero in ipſum profecta ſunt, pro beneficio habenda non eſſe, gratitudo extingvitur. *Quod erat unum.*

Cum gradus affectus pendeat a magnitudine boni, cujus perceptione concitatur (§. 605. 612. *Pſych. empir.*); ſi beneficii, quod in collatione boni conſiſtit (§. 21. *part.* 1. *Jur. nat.*), magnitudo minor apparet, quam antea videbatur, gratitudo ejus conſideratione concitata minor evadit (§. 784. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo alicui perſuaſeris, beneficii magnitudinem tantam non eſſe, quanta ipſi videtur, gratitudo imminuitur. *Quod erat alterum.*

Videmus homines ingratos beneficia vili pendere, quod ea non agnoſcant: videmus etiam gratitudinem extingvi, ſi quis non amplius in numerum beneficiorum refert, quod ſibi ab altero præſtitum fuit. Contingit hoc non uno modo, vel quia pro bono non habetur, quod alter ipſi dedit aut fecit, vel quod ſibi perſuadet, eum hoc non feciſſe gratis, vel quod ſui potius cauſa, quam ipſius fecerit, vel quod non ex amore in ſe profectum fuit, quod dedit aut fecit. Atque hinc intelligitur, unde petenda ſint argumenta, ſi perſuaſione tua gratitudinem extingvere velis. Equidem beneficiarius gratum habere debet animum erga benefactorem (§. 43. *part.* 4. *Jur. nat.*); non tamen propterea ſemper illicitum eſt gratitudinem extingvere. Cum enim homines bona apparentia cum veris confundere ſoleant, ideoque pro bonis habent, quæ mala ſunt; haud raro contingit, ut tanquam benefactores ament, qui eos ſe ducunt & a vero felicitatis tramite abducunt. In hoc amore cum gratitudo conſiſtat (784. *Pſych. empir.*); eam eſſe extingvendam pa-

tet,

tet. Præterea neceſſe eſt ut ſciamus, quomodo gratitudo extingvatur, ne lateat ratio, cur in dato caſu gratitudo deficiat. Abſit itaque, ut tibi perſuadeas a nobis doceri, quæ honeſtati adverſa ſunt. Magnitudinem boni non omnes eodem modo æſtimant, ſicuti nec omnes iisdem notionibus in dijudicandis bonis utuntur. Atque huc animum adverti opus eſt, quando de gradu affectus ſtatuendum.

§. 479.

Si beneficiorum ab altero acceptorum non amplius memine- De cauſis
rimus, vel mutato rerum ſtatu non amplius tanti fiunt, quanti vi- gratitudinis
debantur initio, vel caſus emergit moleſtus, quem evitaſſemus, niſi evaneſcentis.
beneficio ab altero aucti fuiſſemus, vel ſi benefactor nos leſiſſe putatur; gratitudo evaneſcit. Etenim ſi beneficii ab altero accepti non amplius meminerimus, nulla quoque ejus cogitatio animum ſubit, quod per ſe patet. Quamobrem cum gratitudo oriri nequeat, niſi de beneficio ab altero nobis exhibito cogitemus (§. 789. *Pſych. empir.*); ſi memoria beneficii deletur, gratitudo quoque evaneſcit. *Quod erat primum.*

Conſtat homines ea, quæ ſibi bona judicant, æſtimare ex præſenti rerum ſtatu, qui inde perfectior redditur (§. 554. *Pſych. empir.*). Inde nimirum eſt, ut quis pro ingente bono habeat, quod alius pro ſuo rerum ſtatu vili pendit, vel prorſus nihili facit. Quamobrem cum beneficium in collatione bonorum conſiſtat (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*); quod unus pro rerum ſuarum ſtatu pro ingente beneficio habet, alius pro exiguo, immo nullo habet pro rerum ſuarum ſtatu. Atque ideo contingit, ut, ſi quis ad meliorem fortunam pervenerit, quod antea pro in-

ingenti beneficio reputabat, idem nunc pro exiguo, immo nullo habeat. Quoniam itaque opinio beneficii ab altero in nos profecti gratitudinis creatrix eſt (§. 789. *Pſych. empir.*); ſi idem mutato rerum ſtatu non amplius tanti fiat, quanti ab initio videbatur, ut gratitudo concitetur ejus memoria fieri nequit. Ea igitur extingvitur. *Quod erat ſecundum.*

Quodſi caſus quidam emergit moleſtus, quam evitaſſemus, niſi beneficio ab altero aucti fuiſſemus, haud infrequens eſt, ut beneficiarii benefactoribus imputent, quod huic malo obnoxii facti fuerint. Quamobrem actum benefactoris non amplius in numerum beneficiorum referunt (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*), conſequenter cum ſibi perſuadeant, quod ab altero in ipſos profectum eſt *pro* beneficio habendum non eſſe, gratitudo extingvitur. *Quod erat tertium.*

Denique ſi benefactor beneficiarium quocunque modo lædit, ſeu ipſi injuriam facit, aut beneficiarius ſaltem opinatur, ex facto benefactoris mali quidpiam ſibi emergere, ad iram aut ſaltem indignationem incitatur (§. 868. 873. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ira cum odio conjunctum (§. 862. *Pſych. empir.*) & indignatio odium concluſum fovens (§. 878. *Pſych. empir.*), amori contrarietur (§. 623. *part. 1. Jur. nat.*), in quo gratitudo conſiſtit (§. 784. *Pſych. empir.*); ſi beneficiarius putat, ſe a benefactore læſum fuiſſe, gratitudo extingvitur. *Quod erat quartum.*

Homines beneficia accepta oblivioni tradere ſolere, noto notius eſt. Rationes, cur obliviſcantur, eædem ſunt, ob quas aliorum obliviſcuntur. Quæ vero de moralitate oblivionis beneficiorum tenenda ſunt, ea ſuo loco tradentur.

Digitized by Google

tur. Nemo eſt qui neſciat, quando homines de beneficiis in ſe collatis judicare ſolent, quod ea referant ad ſtatum ſuum præſentem. Ita qui officium publicum expectat, cum aliunde acquirere non poſſit, quo ſe ſuſtentet, pro maximo beneficio habet, ſi quis commendatione ſua efficit, ut ad munus quoddam promoveatur, quod parum dignitatis habet & parum lucri affert. Quodſi contingat, ut pingvior evadat ejus conditio, beneficium ab alio ſibi exhibitum jam vili pendet, nec beneficii loco amplius habet, quod ipſius potiſſimum commendatione nactus fuerit ſpartam, quam alias non obtinuiſſet. Melior fortuna obfuſcat minorem, & huic vim ſuam detrahit, quam habet ad appetitum commovendum. Similiter cum hominibus ſolenne ſit, ex eventu judicare de eo, quod bene factum; ideo quoque pro bono non habent, ex quo caſu quodam emergit malum, licet id per modum cauſæ ad hoc minime concurrat animum unice ad hoc attendentes, quod liberi extitiſſent a malo præſenti, niſi iſtud factum fuiſſet. Nullibi enim facilius eſt precipitantia in judicando, præſertim cum malum præſens animum perturbet atque attentionem, quæ afferenda erat ad ſingula accurate perpendenda, impediat. Quamobrem mirum videri haud quaquam debet, ſi benefactorem habeant pro autore mali, aut, ſi minor ſit præcipitantia, ſaltem facto ipſius detrahant ſpeciem boni, nec pro beneficio habeant, quod vel mali cauſam eſſe, vel ſaltem eidem locum feciſſe arbitrantur. Quod denique læſio præſens tollat memoriam beneficiorum antea exhibitorum indies experimur &, quemadmodum jam antea vidimus, mutato ſtatu magnitudinem beneficii non tantam videri, quanta initio videbatur, levis quoque injuria prævalet adverſus maxima beneficia, præſertim cum de magnitudine injuriarum non omnes eodem modo ſtatuere ſoleant.

§. 480.

De favore extingvendo

Si cui perſuaſeris, iſtiusmodi non eſſe alterius mores aut habitus quosdam animæ, vel etiam corporis, quales ſupponit, vel ipſum in iis dijudicandis falſo uti principio, vel alios præterea ipſi eſſe mores, aut alia eidem convenire, quæ magis diſplicent, quam quæ placent; favor extingvitur. Quodſi enim alicui perſuaſeris, iſtiusmodi non eſſe alterius mores, aut habitus quosdam animæ, vel etiam corporis, quales ſupponit, vel ipſum in iis dijudicandis falſo uti principio; opinionem ſuam de moribus alterius, vel de habitibus animæ aut corporis mutat. Quamobrem cum opinio, quam habuerat, ſit favoris creatrix (§. 792. *Pſych. empir.*), mutata autem opinione affectus creatrice affectus extingvatur (§. 432.); ſi cui perſuaſeris, iſtiusmodi non eſſe alterius mores, aut habitus animæ, vel corporis, quales ſupponit, vel ipſum in iisdem dijudicandis uti principio falſo, favor extingvitur. *Quod erat unum.*

Similiter ſi alicui perſuaſeris, alteri, quem is favore ſuo dignatur, alios eſſe mores, qui magis eidem diſplicent, quam ceteri, ob quos alteri favet, placent, aut alia eidem convenire, quæ magis diſplicent, quam ea placent, ob quæ favore ſuo alterum complectitur, cum ea, quæ diſplicent, locum amori minime concedant (§. 649. 677. *Pſych. empir.*), amor quoque extingvetur. Quamobrem cum in hoc amore conſiſtat favor (§. 792. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris etiamſi iſtiusmodi ſint alterius mores, aut habitus quidam animæ, vel etiam corporis, quales ſupponit, eſſe tamen præterea alios, aut alia etiam eidem convenire, quæ magis diſplicent, quam iſti placent, favor extingvitur. *Quod erat alterum.*

Si

Si quis favet alteri, quod putat, eum in ſcientiæ quodam genere excellere, aut virtute quadam gaudere; ubi perſuaſeris, modicos eſſe ipſius in ſcientia profectus, vel nihil prorſus ſolidi eum ſcire, aut eundem a virtute iſta, qua eundem imbutum eſſe opinatur, procul adhuc remotum eſſe, vel prorſus vitio oppoſito imbutum, quin favor protinus ceſſet dubitandum non eſt. Homo libidinoſus favet ei, qui in occaſione libidinem explendi expiſcanda ſolers eſt. Quodſi ei perſuadere potueris, ſolertiam iſtam non eſſe probandam, ſed maxime improbandam, quin favere eidem deſinat, denuo dubitandum non eſt. Minime jam quæritur, utrum hoc facile, an difficulter perſuaderi poſſit, & quomodo id tentandum. Hoc enim eſt alterius loci Sed demus exemplum aliud, quod minorem difficultatem faceſſit. Si cui faves, quia tibi conſilia dat, quomodo ſtudiis literariis incumbere debeas. Ubi cognoveris, quod non rectam ad doctrinam ſolidam viam tibi monſtraverit; quod favor exſpiraturus ſit, ultro confiteberis. Intelliges nimirum, rationes, quibus tibi perſuaſit ad ingrediendum hanc viam, eſſe falſas. Si quis alicui favet ob inſerviendi promptitudinem, ubi intellexerit, eum omnia, quæ novit, propalare, nec lingvam continere poſſe, cum taciturnitatis ſit amantiſſimus, nihil cum eo negotii habere volet. Si cuidam faves, quod de aliis nonniſi bene loquatur & omnia, quantum datur, in meliorem partem interpretetur, ubi ſecreta quædam fidei ejus commiſſa propalat, non ſine præjudicio tuo, tu favori non amplius concedes locum. Equidem reconciliatio non eſt impoſſibilis, ut ſedata ira & extincto odio, quem concluſum continet, favor priſtinus renovetur; id tamen veritati propoſitionis præſentis minime officit. Monuimus jam aliae (§. 792. *Pſych. empir*), in favore bonum ab altero præſtitum, vel præſtari ſolitum, unde intelliguntur mores & habitus per ſe latentes, conſiderari citra reſpectum ad nos: inde tamen minime ſequitur, bo-

num quoque nobis præſtitum concitare non poſſe favorem, cum idem ſpectari quoque poſſit citra relationem ad nos, quamvis nobis præſtitum, quatenus in genere ſpectatur tam nobis, quam aliis præſtandum, nulla habita ratione perſonæ, cui præſtatur, vel præſtitum fuit. Quamobrem favorem nimis arctis limitibus coërcent, qui eum ad bonum aliis factum reſtringunt. Ac ideo in definitione favoris ſumſimus, eum oriri ex repræſentatione eorum, unde mores ac habitus nobis accepti intelliguntur: id quod fieri poteſt, ſive eos colligamus ex iis, quæ nobis, ſive ex iis, quæ aliis facta ſunt. Id adhuc notandum eſt, injuriæ cogitatione favorem facilius extingvi, ſi quis nondum didicit diligere inimicos.

§. 481.

De ſpe abjicienda.

Si cui perſuaſeris, id quod ſperat non eſſe bonum, vel ipſi obtentu non poſſibile; ſpes abjicitur. Quoniam enim ſpes concitatur repræſentatione boni tanquam obtentu poſſibilis (§. 799. *Pſych empir.*), ſi cui perſuaſeris, vel id, quod ſperat, bonum non eſſe, vel ipſi obtentu poſſibile non eſſe; cum id ſibi in neutro caſu tanquam bonum obtentu poſſibile repræſentet, opinionem ſpei creatricem miſſam facit. Quamobrem cum mutata opinione affectus creatrice affectus extingvatur (§. 432.); ſi cui perſuaſeris, id quod ſperat non eſſe bonum, vel obtentu ipſi non poſſibile, ſpem omnem abjiciet.

Ponamus te ſtudiis theologicis aliisque dotibus animi inſtructum ad munus eccleſiaſticum obeundum requiſitis, & munus eccleſiaſticum vacans ambientem ſpem concepiſſe idem obtinendi, fretum commendatione, quam multum valere putas apud Patronum. Si ipſi perſuaſeris, munus hoc non eſſe adeo lucroſum, quemadmodum ipſi videtur, neq eos

ſperan-

ſperandos eſſe reditus, quos putat obtentum iri, vel commendationem, qua confidit, non attentum iri a Patrono; ſpem utique abjiciet, quam conceperat. Idem continget, ſi intellexerit, eſſe competitorem, cui plurimum favet Patronus, aut qui ipſi commendatus a perſona, cui quod petit denegare non audet, ut taceamus rationes alias longe plurimas, per quas obtentu impoſſibile efficitur, quod ſperatur.

§. 482.

Quod ſi cui perſuaſeris, multa obſtare, quo minus obtineatur, quod ſperatur, ſpes multum imminuitur. Quodſi enim alicui perſuaſeris, multa obſtare, quo minus obtineatur, quod ſperat, id ſibi non amplius tanquam obtentu adeo facile repræſentat, quemadmodum putabat. Quoniam tamen nondum evictum eſt, obſtacula illa eſſe inſuperabilia, his non obſtantibus fieri adhuc poſſe arbitratur, ut quod ſperat obtineat. Quamobrem cum gradus ſpei dependeat a gradu facilitatis boni obtinendi (§. 801. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris, multa obſtare, quo minus obtineatur, quod ſperat, quamvis ſpem omnem nondum abjiciat, ea tamen multum imminuetur. *De ſpe imminuenda.*

Ita in exemplo, quod modo dedimus (*not.* §. 481.), plures eſſe poſſunt competitores, quorum non minora quam ambientis ſunt merita, & qui ſuos quoque habent fautores, a quibus Patrono commendantur, vel adeſſe aliquem, cujus non exigua eſt autoritas, ſed quem ſibi adverſum experitur, qui munus ambit & quæ ſunt rationes aliæ hisce geminæ. Dubium non eſt, ſpem multum imminutum iri, quamvis omnis non penitus abjiciatur. Cupiditas ſpem alit, quamvis rationes ad ſperandum vix ac ne vix quidem ſufficere videantur.

§. 483.

De fiducia tollenda.

Quodſi cuidam perſuaſeris, bonum non eſſe obtentu adeo facile, ut de eo obtinendo certus ſibi videri poſſit, fiducia tollitur. Etenim ſi cui perſuaſeris, bonum non eſſe obtentu adeo facile, ut de eo obtinendo nullum dubium ſupereſſe videatur; is agnoſcit difficultates, ob quas certus eſſe nequit, ſe obtenturum, quod obtentum iri extra omnem dubitationis aleam poſitum videbatur. Quoniam itaque fiducia oritur, ſi bonum aliquod tanquam obtentu admodum facile repræſentetur (§. 802. *Pſych. empir.*), mutata autem opinione affectus creatrice huic non amplius eſt locus (§. 432); ſi cui perſuaſeris, bonum non eſſe obtentu adeo facile, ut de eo obtinendo certus ſibi videri poſſit, fiducia tolletur.

Cum fiducia non ſit niſi gradus ſuperior ſpei (§. 796. *Pſych. empir.*), ſublata fiducia ſpes nondum tollitur. Quamvis enim agnita difficultate bonum obtinendi fiduciæ locus non ſit, cum tamen non ideo putes, impoſſibile eſſe, ut id obtineas, ſpes omnis nondum abjicitur. Exemplum, quod modo dedimus (*not.* §. 481.), ad præſentem propoſitionem facile accommodatur.

§. 484.

De cupiditate reſtinguenda.

Si cui perſuaſeris, id quod abſens eſt & ſibi repræſentat tanquam bonum revera bonum non eſſe, aut non fore reſpectu ipſius, aut ipſum, ſi id haberet, non fore feliciorem cupiditas evaneſcit. Etenim ſi cui perſuaſeris, id, quod abſens eſt & ſibi tanquam bonum repræſentat, bonum non eſſe, aut non fore reſpectu ipſius, cum opinione boni abſentis concitetur cupiditas (§. 810. *Pſych. empir.*), opinione cupiditatis creatrice mutata,

ta, affectus quoque extingvitur (§. 432.). Quamobrem ſi cui perſuaſeris, id, quod abſens eſt & ſibi tanquam bonum repræſentat, bonum non eſſe, aut ſaltem non fore bonum reſpectu ipſius, ſeu non fore ipſi bonum, ſi haberet, cupiditas evaneſcit. *Quod erat unum.*

Quodſi cuidam perſuaſeris, ſi id quod cupit haberet, ipſum non fore feliciorem; cum appetitus naturaliter feratur in felicitatem (§. 324. *part. 2. phil. pract.univ.*), id appetere ceſſabit. Quoniam igitur cupiditas, utpote affectus (§. 810. *Pſych. empir.*), eſt actus appetitus ſenſitivi vehementior (§. 603. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris, ſi id quod cupit haberet, ipſum non fore feliciorem, cupiditas evaneſcit. *Quod erat alterum.*

Quod cupimus, id nobis repræſentamus tanquam nobis bonum. Quod in ſe ſpectatum citra relationem ad nos bonum non eſt, id nec nobis bonum eſſe poteſt. Quamvis vero aliquid in ſe ſpectatum bonum ſit, non tamen ideo nobis bonum eſt. Immo fieri poteſt, ut reſpectu noſtri malum ſit. Divitiæ in ſe ſpectatæ bonæ ſunt, ſed qui iisdem abutitur effuſus in luxum, quo & ſanitati atque famæ nocet, & multorum invidiam in ſe concitat, reſpectu ipſius malæ ſunt, aut, ſi mavis, habere divitias malum ipſi eſt. Similiter excellere in Geometria ſublimiori bonum eſt, ſi in ſe ſpectetur: aſt ſi quis ad munus eccleſiaſticum adſpirat, & neglectis ſtudiis theologicis & Theologiæ ſubſidiariis Geometriæ ſublimiori aſſiduam operam navat, ut in hoc ſcientiarum genere excellat, id reſpectu ipſius malum eſt, cum ſibi præcluſerit viam ad munus eccleſiaſticum, ut haberet, unde vitam honeſte ſuſtentare poſſet. Si quem gloria impellit ad Geometriæ ſublimioris ſcientiam ſibi comparandam; quando ipſi perſuadetur, perpaucos eſſe, a quibus huic ſcientiæ honos habetur,

&

& ipſum gloriæ ſuæ rectius conſulere, ubi alii ſtudiorum generi ſe mancipat, quod propter utilitatem plurimi æſtimant & in loco domicilii honorem quoque conciliat inter concives ſuos, Geometriæ ſublimioris ſcientiam non amplius anxius anhelabit. Bona fortunæ, in quorum numero ſunt divitiæ, hominem non reddunt felicem (§. 410. *Part. I. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ſi quis habet, unde vitam honeſte ac decore ſuſtentare valet, atque intelligit, opes majores, niſi earundem abuſu voluptatem nocuam ſibi comparare velit, cum diſpendio felicitatis veræ, ipſi minime profuturas, animum vero forte ſua contentum ab omni impetu affectuum moleſtorum liberum eſſe; divitiarum cupiditati valedicet.

§. 485.

De cupiditate fuga arcenda.

Si cui perſuaſeris, boni, quod cupit, magnitudinem tantam non eſſe, quanta ipſi videtur; cupiditas imminuetur. Etenim affectus vehementia dependet a magnitudine boni, quo concitatur (§. 256.). Quod ſi ergo quis agnoſcit magnitudinem boni tantam non eſſe, quanta ipſi videbatur, vehementia affectus decreſcit. Quamobrem ſi cui perſuaſeris boni, quod cupit, magnitudinem tantam non eſſe, quanta ipſi videtur, cupiditas imminuetur.

Si quis virginem quandam uxorem ducere cupit, quod putat eam eſſe locupletem. Ubi intellexerit, tantas non eſſe divitias, quantas putabat; cupiditas langueſcet. Similiter ſi quis cupit ardenter munus quoddam publicum lucri faciendi cauſa; quando ipſi innoteſcit, tantos non fore reditus, quantos ſperat, cupiditas omnis quamuis non abjiciatur, attamen imminuetur. Cur enim cupiditas non prorſus abjiciatur, aliæ adhuc ſupereſſe poſſunt rationes, quæ eandem ſuſtentant.

§. 486.

Digitized by Google

§. 486.

Si cui perſuaſeris, id, quod cupit, ipſi fore damnoſum, aut multas moleſtias creaturum, cupiditatem fuga arcebit. Etenim ſi cui perſuaſeris, id quod cupit ipſi fore damnoſum, aut multas moleſtias creaturum; quod ſibi repræſentaverat tanquam bonum, id tanquam malum repræſentabit (§. 4.). Quamobrem cum repræſentatione boni abſentis cupiditas (§. 810. *Pſych. empir.*), repræſentatione autem mali abſentis fuga concitetur (§. 818. *Pſych. empir.*); mutata opinione cupiditas evaneſcit & in ejus locum fuga ſuccedit. Quodſi ergo alicui perſuaſeris, id quod cupit ipſi fore damnoſum, aut multas moleſtias creaturum, cupiditatem fuga arcet. *De cupiditate fuga mittenda.*

Ponamus tibi offerri munus quoddam publicum ſub lautis conditionibus, ac animum incendi cupiditate id acceptandi. Quodſi certior reddaris, tibi fore continuas lites cum collegis, qui mille tædia tibi continuo creaturi ſunt, ab eo acceptando abhorrebis. Atque ita fuga arcebit cupiditatem. Similiter ſi fœminam divitem uxorem ducere vehementer cupis, ubi intellexeris, eam eſſe Xantippem, quæ nullum diem ſine rixis præterlabi patietur, aut luxus amantem, quo bona ipſius brevi temporis ſpatio dilapidabuntur una cum tuis, affectus fugæ cupiditatem denuo expellet. Multa cupiunt homines, quæ fugerent, ſi ea penitus perſpecta haberent.

§. 487.

Si cui perſuaſeris, id, quod fugit, malum non eſſe, aut non eſſe tantum, quemadmodum ipſi videtur; in caſu priori fuga arcetur, in poſteriori imminuitur. Quodſi enim alicui perſuaſeris, id quod fugit malum non eſſe; quod tanquam ſibi malum repræſentaverat, non amplius ſibi tanquam malum re- *De fuga arcenda & imminuenda.*

repræſentabit. Quamobrem cum ex repræſentatione mali abſentis quoad nos naſcatur fuga (§. 818. *Pſych. empir.*); opinio fugæ creatrix mutatur, conſequenter cum affectus extingvatur, ſi opinio, qua concitatur, mutatur (§. 432.), ſi cui perſuaſeris, id quod fugit malum non eſſe, fuga arcetur. *Quod erat unum.*

Porro gradus affectus moleſti dependet ab opinione magnitudinis mali, qua concitatur (§. 256.). Quodſi vero alicui perſuaſeris, malum non eſſe tantum, quantum ipſi videtur, opinio magnitudinis mali mutatur, conſequenter etiam gradus affectus. Fuga igitur, etſi non prorſus arceatur, attamen imminuitur. *Quod erat alterum.*

Si quis fugit ſtudium mathematicum, quod ob difficultatem nimis moleſtum arbitratur; fuga extinguitur, ubi perſuadetur, difficultatem ſaltem eſſe apparentem, quæ initio moleſtiam parit, antequam methodo *Euclidis* adſueſcat, vel calculus litteralis ſibi familiaris evadat, poſtea in voluptatem degeneraturam. Similiter ſi fuga obſtat, quo minus quis prædium emat, quia fructus inde percipiendus parvos admodum eſſe arbitratur; affectus evaneſcet, ubi perſuaſus fuerit, ſe fructus uberes ac lætos ex eo capturum, modo in recta adminiſtratione rei œconomicæ induſtriam ſuam deſiderari minime patiatur.

§. 488.

De meta evaneſcente & imminuta.

Si cui perſuaſeris, quod metuit malum non eſſe, aut, ſi malum ſit, id eventu non eſſe poſſibile, aut ſaltem probabile nondum eſſe, quod eventurum ſit; metus abjicietur. Quodſi perſuaſeris, malum non eſſe tantum, quantum videtur, aut nimis adhuc dubium eſſe, utrum eventurum ſit, nec ne, metus ſaltem imminuetur

etur. Etenim ſi cui perſuaſeris, quod metuit malum non eſſe, aut, ſi malum ſit, id eventu non eſſe poſſibile, aut ſaltem nondum probabile eſſe, quod eventurum ſit; quidquid horum perſuaſeris, opinio de eventu poſſibili mali futuri deletur, utpote quam falſam eſſe is agnoſcit (§. 507. *Log.*). Quamobrem cum opinio iſta metus creatrix ſit (§. 822. *Pſych. empir.*), mutata autem opinione, qua affectus concitatur, eidem amplius locus eſſe nequeat (§. 432.); ſi cui perſuaſeris, quod metuit malum non eſſe, aut, ſi malum ſit, id eventu non eſſe poſſibile, aut ſaltem probabile non eſſe, quod eventurum ſit, metus abjicietur. *Quod erat unum.*

Quodſi vero ſaltem perſuaſeris, malum non eſſe tantum, quantum videtur, aut nimis adhuc dubium eſſe, utrum eventurum ſit, nec ne; cum gradus metus dependeat partim a magnitudine mali (§. 256.), partim a probabilitate eventus (§. 822. *Pſych. empir.*), metus, quamvis non prorſus abjiciatur, multum tamen imminuetur. *Quod erat alterum.*

Si quis ſpectra metuit, metus evaneſcet, ſi perſuaſus fuerit ſpectra non dari, aut ab iis nihil mali hominibus metuendum, aut id quod in tenebris apparere videtur non eſſe ſpectrum. Nimirum qui ſpectra timet, aut putat hic & nunc ſpectrum apparere poſſe, aut ſpectrum eſſe, quod ſibi videre videtur, aut quod appropinquare putat, malum ſibi inferre poſſe opinatur, ita ut nunc opinio ipſius ſpectri, nunc opinio mali a ſpectro inferendi ſit metus creatrix. *Hobbeſius*, cum Materialismum propugnaret, ſpectra dari negavit. Fertur tamen ſibi valde metuiſſe a ſpectris, nec hunc meſum deponere potuiſſe. Non eſt quod hoc exemplum contra propoſitionem præſentem urgeas. Quia Materialis-

mus eſt falſa hypotheſis, fieri non potuit, ut veritatis convinceretur, præſertim cum in Elementis *Euclidis* verſatus ſenſum quendam evidentiæ haberet, quæ opinioni Materialiſmi non adhærebat. Ex hac hypotheſi cum intuliſſet impoſſibilitatem ſpectrorum, non major huic opinioni ineſſe poterat certitudo, quam erat in hypotheſi, qua nitebatur. Aſſenus itaque vacillans facile inclinari poterat in partem contrariam, metus ſpectrorum creatricem opinionem, ipſo parum conſcio, quid in perceptionibus confuſis lateret. Accedit quod opiniones, quibus a teneris ungviculis *imbuta* eſt anima, non adeo facile eradicentur, ne in caſu emergente nobis parum conſciis, immo prorſus invitis, influant in facultatem appetendi & averſandi ſenſitivam. Prævalet opinio inveterata adverſus recentiorem per ea, quæ ſenſu percipiuntur, reſuſcitata, nec expenſa. Neque vero etiam deſunt exempla eorum, quos metus ſpectorum *invaſit*, ſi ſoli in tenebris eſſent, nocturno imprimis tempore, aſt opinione ſaltem perſuaſi, non dari ſpectra, ab omni metu liberi extiterunt. Nota nobis ſunt exempla iſtiusmodi in ipſo ſexu ſequiore, quamvis meticuloſiore. Si bello exardeſcente a furore Martis ſibi quis metuit, quod putat periculum imminere finibus noſtris; ubi perſuaſus fuerit, hoſtem a nobis procul eſſe remotum, nec ad terras noſtras acceſſurum, aut eodem proſtrato bellum eſſe conſummatum, metum abjicit. Refertur tibi incendium ſævire in pago, in qno ſitum eſt prædium tuum, & tu metuis, ne flamma feralis prædium tuum vaſtet; ſi certior factus fueris, incendium a prædio tuo procul abeſſe, nec periculum quoddam eidem imminere, quodſi metus non totus extingvatur, valde tamen imminuitur. Immo videmus quoque alios, metui non ante facere locum, quam certiores redditi fuerint, imminere periculum prædio: id quod etiam obſervatur in caſibus aliis. Similiter ſi quis metu concutitur, quando videt grandinem cadentem, metuens ſcili-

ſcilicet ne frugibus det damnum; ubi eidem perſuaſeris, grandinem non eſſe tantæ magnitudinis, ut tale damnum dare poſſit, quale cogitat, metus etiamſi non prorſus abjiciatur, multum tamen imminuetur. Immo ſi in caſu dubio metuere non adſuetus es, metum depones, ubi perſuaſus fueris, adhuc incertum eſſe, num grando etiam cadat in fruges, cum conſtet grandinem cadere ſolere in certo ſaltem diſtrictu. Pendet metus a probabilitate eventus (§. 822. *Pſych. empir.*), de qua cum non omnes ſtatuant eodem modo, ita ut idem uni probabilius videatur, quam alteri; ideo contingit, ut ejusdem perſuaſionis non eadem ſit efficacia in omnibus ſubjectis.

§. 489.

De timore evaneſcente.

Si cui perſuaſeris, malum, quod timet, nondum appropinquare, quemadmodum opinatur; timor evaneſcit, aut, ſi non prorſus extingvatur, in metum abit. Quodſi enim alicui perſuaſeris, malum, quod timet, nondum appropinquare, quemadmodum opinatur; cum opinione mali appropinquantis concitetur timor (§. 823. *Pſych. empir.*), mutata autem opinione, qua affectus concitatur, affectus extingvatur (§. 432.), timor evaneſcit, *Quod erat unum.*

Enimvero etiamſi quis malum ſibi non amplius repræſentet tanquam appropinquans, fieri tamen poteſt, ut ſibi adhuc idem repræſentet tanquam eventu poſſibile. Quamobrem cum repræſentatione mali tanquam eventu poſſibilis concitetur metus (§. 822. *Pſych. empir.*); quamvis timor evaneſcat, metui tamen adhuc locus eſſe poteſt, conſequenter cum timor a metu gradu potiſſimum differat, ſi non prorſus extingvitur, in metum abit. *Quod erat alterum.*

Exemplum jam dedimus alias (*not.* §. 823. *Pſyeh. empir.*). Sed demus adhuc aliud. Timet ægrotus mortem. Quodſi medicus, cujus plurimum valet apud eum autoritas, aſſeveret, nulla adhuc adeſſe ſigna prognoſtica mortis; ægrotus dictis fidem habens non amplius timet. Quoniam tamen nec reconvaleſcentiæ ſigna adſunt, vel medicus affirmat, in præſenti nullum adeſſe mortis periculum, niſi alia præter expectationem ſuperveniant, quæ prævideri minime poſſunt, mortem adhuc metuet. Exemplo hoc maxime manifeſta efficitur differentia inter timorem & metum, *in*primis cum mortem metuere quoque poſſit, qui morbo non laborat, qui cum augeatur, quando in morbum incidit, in timorem facile abit, utut morbus gravis non ſit, nec ex periculoſorum numero.

§. 490.

De liberatione a metu, vel timoris periculi evitabilis.

Si id quod quis metuit, vel timet, fuerit evitabile & ipſum docueris, vel non adeſſe periculum, quod putat, vel quomodo evitari poſſit, ſiquidem revera adſit; a metu, vel timore liberatur. Etenim ſi id, quod quis metuit, vel timet, fuerit evitabile, tu vero ipſum docueris vel non adeſſe periculum, quod putat, vel quomodo evitari poſſit; opinio metus, vel timoris creatrix tollitur. Quamobrem cum ſublata opinione affectus creatrice affectus extingvatur (§. 432.); ſi id, quod quis metuit vel timet, fuerit evitabile, & tu ipſum docueris, vel non adeſſe periculum, quod putat, vel quomodo evitari poſſit, ſiquidem revera adſit, a metu, vel timore liberatur.

Quod ut eventu poſſibile ſpectatur, conſiderari poteſt vel tanquam a nobis inevitabile, vel tanquam evitabile, quatenus nimirum eventus nullam dependentiam a nobis ipſis includit, vel quatenus aliquam includit. In metu & timore

more eventus conſiderari ſolet tanquam a nobis minime dependens, aut, ſi vel maxime a nobis quodammodo dependeat, huc tamen animus minime advertitur. Quodſi quis perſuaſus ſit, ſe periculum evitare poſſe, & hoc modo evitatum iri, nec idem metuit, nec timet. Fieri tamen poteſt, ut quamvis malum videatur evitabile, dubium tamen alicui adhuc videatur, num hoc vel iſto modo ab ipſo evitari poſſit, tumque opinio metus, vel timoris nondum ſublata eſt, conſequenter metus quoque, vel timor adhuc ſubſiſtit, aut ſaltem timor in metum abit, vel metus quodammodo imminuitur. Et perceptioni confuſæ, a qua dependet affectus, ineſſe poſſunt, quæ impediunt, quo minus timor, vel metus prorſus extingvatur, quemadmodum in anterioribus jam obſervavimus. *Cicero* a metu & timore diſtingvit *formidinem* quam metum permanentem eſſe dicit. Metus permanens cauſam habet permanentem. Ita formidamus bellum, pœnam, incendium, fulgur & tonitru, iram divinam. Aſt cum hæc omnia commoveant facultatem averſandi ſenſitivam, quatenus ſpectantur tanquam mala eventu poſſibilia; nulla adeſt ratio ſufficiens, cur formido a metu reliquo atque timore diſtingvatur. Quoniam vero differentia in malo, quod tanquam eventu poſſibile ſpectatur, occurrit, ut eventus vel nullam prorſus dependentiam a nobismetipſis involvat, veluti belli, tempeſtatis, peſtis, vel aliquam a nobis dependentiam includat, veluti pœna, delictum lege civili prohibitum & actiones voluntati divinæ contrarias non committendo; a metu reliquo diſtingvi rectius poterat, qui concitatur eventu poſſibilis mali, cujus eventus dependentiam quandam a nobis includit. Patet nimirum ex propoſitione præſente, eum peculiari modo extingvi, ut taceam alia, quæ ſuo loco tradentur. Non tamen opus eſt terminorum numerum præter neceſſitatem nimium multiplicari, præſertim ſi deinceps facile permutentur & tanquam ſynonyma uſurpentur: id quod parit in-

con-

conſtantiam loquendi. Quos pœnarum formido a delinquendo non repellit, hi ſibi perſuadent, ſe delictum celare poſſe, nec clam commiſſum detectum iri, conſequenter pœnam ſibi non repræſentant tanquam malum eventu poſſibile. Qui formidat canem mordacem fores cuſtodientem formidinem deponit, quando videt ſe intrare poſſe in villam, ut canis catena alligatus ipſum invadere nequeat. Idem contingit, ſi quis equum formidat, & alius adſtat, ne calcitrare ipſum poſſit, aut ſi ab adſtante monetur, equum calcitroſum non eſſe. Similiter qui formidat indignationem viri, qui auctoritate excellit, quæ ipſo præſente committere non audet, ea committit, quando notitiam facti ad abſentem minime venturam ſibi perſuadet. Metus, quo depellimur ab agendo, quod alias ageremus, idiomate patrio dicere ſolemus die Scheu. Et huc pertinent exempla, quæ modo dedimus, quamvis inconſtantia loquendi etiam ſich fürchten dicamus, quando rectius ſich ſcheuen dicere debebamus.

§. 491.

De deſperatione fugan-da.

Si cui perſuaſeris, malum, quod adventurum putat eſſe evitabile, vel probabilius eſſe, quod non adventurum ſit, aut, nondum certum eſſe quod eventurum ſit, & ſi adveniat, id non fore intolerabile, quemadmodum ipſi videtur: deſperatio extingvitur, &, ſi quidem ab omni affectu non prorſus liberatur, metus relinquitur. Etenim ſicui perſuaſeris, malum, quod adventurum putat, ſibique tanquam intolerabile ac inevitabile repræſentat, adventurum non eſſe; id quoque ſibi non amplius tanquam inevitabile repræſentare poteſt, &, ſi vel maxime adhuc pro intolerabili habeat, ſiquidem eveniret, intolerabilitas tamen non amplius eodem, quo ante, modo in facultatem averſandi ſenſitivam influet. Quamobrem cum deſperatio con-

concitetur opinione mali adventuri, quod tanquam inevitabile ac inprimis tanquam intolerabile repræſentatur (§. 825. *Pſych. empir.*), mutata autem opinione affectus creatrice extingvatur affectus (§. 432.); ſi cui perſuaſeris malum, quod adventurum putat, non eſſe adventurum, deſperatio extingvitur, cumque etiam malum non amplius repræſentare ſibi poſſit tanquam eventu poſſibile, nullus quoque metui locus relinquitur (§. 488.), conſequenter cum deſperatione ceſſat quoque metus omnis. *Quod erat primum.*

Quodſi malum, quod adventurum putat, eſſe evitabile ipſi perſuadeatur, eodem modo patet, deſperationem ceſſare, immo nec metum adhuc ſupereſſe, illa fugata (§. 490.), *Quod erat ſecundum.*

Denique ſi eidem perſuaſeris, nondum certum eſſe, quod adventurum ſit, vel probabilius, quod non advenrum ſit, &, ſi vel maxime adveniat, non tamen fore intolerabile, quemadmodum ipſi videtur; malum futurum ſibi non amplius repræſentat tanquam inevitabile &, ubi advenerit, tanquam intolerabile, conſequenter denuo ut ante patet, deſperationem ceſſare. Quoniam tamen adhuc malum ſibi repræſentare poteſt tanquam eventu poſſibile, hac autem opinione concitetur metus (§. 822. *Pſych. empir.*); deſperatione quamvis ceſſante, metui adhuc locus eſt, ideoque ſiquidem ab omni prorſus affectu non liberatur, metus ſaltem aliquis relinquitur. *Quod erat tertium.*

Sicuti affectus omnis moleſti magnitudo dependet ab opinione magnitudinis mali (§. 256.); ita etiam deſperatio ſuos admittit gradus, prouti malum, quod evitari non poſſe

putamus, nunc majus, nunc minus apparet. Unde etiam intolerabilitatem mali, quæ a magnitudine ejus dependet, non requisivimus simpliciter ad desperationem, saltem ad vehementiam hujus affectus, qua se potissimum prodit (§. 825. *Psych. empir.*). Excitatur affectus hic potissimum opinione inevitabilitatis mali adventuri, vel imminentis. Quod enim imminet malum, tamdiu tamen futuro accensetur, quamdiu nondum actu præsens est. Si ædes proximæ ardent, furente flamma de conservandis ædibus tuis desperas. Quodsi vero accurrant multi, qui incendio restingvendo operam dant, & ædes tuas contra vires flammæ defendunt; desperatio cessat. Similiter si debitor tuus ære alieno pressus aufugit, & tu, quod tibi debetur, te accepturum desperas; ubi intellexeris, ipsum esse solvendo, desperatio cessat, si vel maxime ab omni prorsus metu non liberetur animus. Si quis putat, se pœnas infernales evitare non posse, quas intolerabiles fore credit; ejus desperatio non tollitur, nisi ubi eundem docueris media, quibus usus eas evitare potest, ac is fidem habeat dictis tuis, atque iisdem utatur. Maleficus, promulgata sententia condemnatoria, supplicium ultimum expectat. Quando vero supplicium sibi repræsentat tanquam malum intolerabile desperatio animum torquet. A tortura igitur non liberabitur, nisi tolerabilitatem ipsi persuaseris. Considerari hic potest desperatio tanquam affectus, qui concitatur opinione mali intolerabilis evitatu impossibilis, ita ut, si persuadeatur malum non fore intolerabile, putet se malum intolerabile evitaturum, quamvis certus sit se malum evitare non posse. In eo igitur casu, in quo malum, quod evitari nequit, consideratur tanquam intolerabile, duplex quasi desperatio adest, quorum una, quæ animum maxime angit, tolli potest, altera adhuc subsistente.

§. 492.

De terrore præcavendo.

Si terror præcaveri debet, necesse est, ut mala, quæ hominibus obvenire possunt, & quod ea evitare non sit in potestate sua

se

ſæpius perpendat, & quomodo ea patienter ferre poſſit tempeſtive diſcat. Etenim ſi mala, quæ hominibus obvenire poſſunt, ſibi cognita atque perſpecta reddit, & quod ea evitare non ſit in poteſtate ſua ſæpius perpendit, & quomodo eadem patienter ferre poſſit tempeſtive addiſcit; hæc omnia memoriæ ipſius infixa hærent (§. 181. *Pſych. empir*). Quamobrem ſi quod malum, quando de eo non cogitabamus, contingit, eorum meminimus, ideoque præter expectationem non evenit. Quamobrem cum malum utut ex improviſo ingruens, non tamen præter omnem expectationem eveniat, & attentio ſtatim retrahatur ad perceptiones diſtinctas, quæ affectui non reliquunt locum (§. 434), terror præcavetur, vel quia prorſus non oritur, vel quia vires capere nequit (§. 829. *Pſych. empir.*).

Terror affectus vehementiſſimus eſt, & perterritos ſtupefacit, ut fere ſenſus rerum adimatur. Sicuti vero ſubito oritur & cum ipſa actione ſenſibilis in organum ſenſorium ponitur; ita quoque vehementia ejus ſubito imminuitur, niſi animi deliquium pariat, vel necem prorſus inferat: neque enim deſunt exempla iſtiusmodi caſuum funeſtorum, utut rariora. Cum ceſſante ſtupore & animo ad ſe redeunte terror deſinat vel in metum, vel in mœrorem, pro diverſitate circumſtantiarum; magis ſolliciti ſimus neceſſe eſt, quomodo terror præcaveatur, quam quomodo extingvatur. Terrorem autem præcavendi medium eſt præparatio ad caſus futuros, qua efficitur, ne malum quoddam ex improviſo nobis obtingere poſſit caſu quodam funeſto, iuxta illud pervulgatum, tela prævisa minus nocere. Eodem ſane utimur, quando alterum certiorem reddere volumus de caſu funeſto, qui ipſum tangit, dum aliter rem narramus, quam revera ſeſe habet, ne mali præter expectationem evenientis cogitatio terrorem injiciat, veluti dum parenti filium

um impenſe amanti referimus, abſentem ægrotare, cum jam obierit, aut morbum gravem atque periculoſum extenuamus, aut incendium, quo villa conflagravit, in vicinia vires poſuiſſe dicimus.

§. 493.

De vacillatione animi tollenda.

Si eum, qui ignorat media bonum, quod cupit, obtinendi, vel in eligendis, aut exequendis mediis hæſitat, docueris, quibus mediis quod cupit obtinere poſſit, vel quodnam medium ex pluribus eligere, aut quomodo medium, quo utendum, exequi debeat; fluctuatio animi tollitur. Etenim ſi eum, qui ignorat media bonum, quod cupit, obtinendi docueris, quibusnam mediis id obtinere poſſit; ignorantia tollitur. Quodſi hæſitantem in electione, vel executione mediorum docueris, quodnam medium ſit eligendum, vel quomodo difficultates in ejus executione obviæ ſint ſuperandæ; hæſitatio tollitur. Quamobrem cum fluctuatio animi oriatur ex ignorantia mediorum, quibus quod cupimus obtinere valemus, vel ex hæſitatione in medii electione, aut executione (§. 835. *Pſych. empir.*); ſi eum, qui ignorat media bonum, quod cupit, obtinendi, vel in electione, aut executione medii hæſitat, docueris, quibusnam mediis quod cupit obtinere poſſit, vel quodnam medium eligere, aut quomodo id exequi debeat, non amplius fluctuabit, conſequenter fluctuatio animi tollitur.

Quam primum rem quandam cupimus, cum ſine mediis eam obtinere nequeamus, cogitatio in media eam obtinendi vertitur. Quodſi difficultates de mediis cogitantibus objiciantur, earum cogitatione vacillatio animi concitatur. Hæ igitur tollendæ ſunt, ſi animus ab ea liberandus. Difficultatem vero faceſſit vel mediorum ignorantia, quæ invenire non poſſumus, vel hæſitatio in electione & executione mediorum,

diorum, cum ignoremus quodnam mediorum ceteris tanquam melius ſit præferendum, aut quomodo medium, quod elegimus, ſit exequendum, ut ſcilicet fiant quæ fieri neceſſe eſt, vel ut difficultates, quæ objiciuntur, aut metuuntur ſuperentur. Atque hinc intelligimus, quomodo cogitatio difficultatis obtinendi quod cupimus animo ſit evellenda, ne eundem diutius inquietet. Exemplum dedimus alias (§. 834. *Pſych. empir.*), quod facile ad propoſitionem præſentem accommodari poteſt. In præſenti affectus objectum includit quandam dependentiam a nobismetipſis; quatenus inventio, electio & executio mediorum ex parte noſtra requiritur, ſiquidem rem, quam cupimus, obtinere velimus.

§. 494.

De vacillatione animi cum cupiditate ſublata.

Cum cupiditate tollitur quoque vacillatio animi. Etenim ſi cupiditas tollitur cupere deſinimus, quod antea cupiebamus. Quamobrem cum nulla jam ſuperſit ratio, cur de mediis cogitemus, conſequenter omnis de mediis cogitatio abjiciatur; nec amplius animum angit mediorum ignorantia, aut in eligendo & exequendo hæſitatio. Quoniam igitur vacillatio non oritur, niſi vel ignorantia mediorum rem, quam cupimus, obtinendi, vel hæſitatione in mediis eligendis, aut exequendis concitetur (§. 835. *Pſych. empir.*), vacillatio, ſeu fluctuatio animi cum cupiditate tollitur.

Cum in ſuperioribus (§. 484.) oſtenderimus, quomodo cupiditas delenda quæ eo fine fieri debent, ut vacillatio animi una cum cupiditate tollatur, hic repetenda non ſunt. Ne fluctuatio animi inanes moleſtias creet, cupiditatem tolli conſultum eſt, nec demum tentandum, num fluctuatio tolli poſſit: immo de mediis non ante cogitandum, quam ubi ſatis expenſum fuerit, an cupiditatis rationem ſufficientem

entem habeamus. Multa nimirum homines cupiunt, quibus tuto carere poſſunt, immo quæ non habere præſtat.

§. 495.

De puſillanimitate animi tollenda.

Si cui perſuaſeris, impedimenta, quæ ſeſe offerunt in executione mediorum, non eſſe inſuperabilia, quemadmodum ipſi videtur; a puſillanimitate liberatur. Etenim ſi cui perſuaſeris, impedimenta, quæ ſeſe offerunt in executione mediorum, non eſſe inſuperabilia, is nec amplius eadem tanquam inſuperabilia ſibi repræſentat, ſed ea ſuperari poſſe confidit. Quamobrem cum puſillanimitas concitetur, ſi impedimenta in executione mediorum oblata ſibi tanquam inſuperabilia repræſentat (§. 844. *Pſych. empir.*), mutata opinione de inſuperabilitate mediorum affectus creatrice, a puſillanimitate liberatur puſillanimis. (§. 432.).

Puſillanimitas ſpectatur in executione mediorum, non tamen eodem modo, quo etiam fluctuatio animi in executione mediorum ſpectatur. Nimirum ſi animus fluctuat, tantummodo ignoratur, quomodo ea fieri a nobis poſſint, quæ tanquam media præſcribuntur, vel quomodo impedimenta tolli debeant; ſi vero puſillanimes ſumus, tum impedimenta talia adeſſe judicamus, quæ a nobis tolli minime poſſe putamus. Aliud vero eſt neſcire modum exequendi, vel impedimenta removendi; aliud ſibi perſuadere, impedimenta obvia a nobis tolli minime poſſe. Ad hanc enim perſuaſionem requiruntur rationes, ob quas ea inſuperabilia exiſtimentur, quales non apparent, ubi ſaltem ignoras, quomodo tolli debeant. Sane eodem modo differt, ubi de mediis ſtatuendum, quando ignoras quomodo medium aliquod ſit exequendum & quando putas ea, quæ ad executionem medii requiruntur, non eſſe in poteſtate tua. Hæc ideo monemus, quod nonnulli fluctuationem

animi

animi in ſola mediorum electione, puſillanimitatem vero ſolam in mediorum executione ſpectent, ita ut difficultates in ſola electione mediorum obviæ vacillationem animi, omnes autem difficultates in eorum executione oblatæ puſillanimitatem concitare dicantur. Animo fluctuans anceps eſt, utrum cupiditatem abjicere, an retinere debeat, & quando eam abjicere vult, repugnantiam quandam in ſe ſentit, inter ſpem & metum medius hærens. Aſt puſillanimis de eo, quod vehementer cupit, obtinendo deſperat, cupiditate non ceſſante, ſed ſubſiſtente & mediorum executionem urgente.

§. 496.

De puſillanimitate cum cupiditate tollenda.

Cum cupiditate una tollitur puſillanimitas. Oſtenditur eodem modo, quo paulo ante oſtendimus, fluctuationem animi una cum cupiditate tolli (§. 494.).

Difficilius tollitur cupiditas puſillanimis, quam animo fluctuantis, quia in puſillanimi altiores radices egit, quam in fluctuante propter vehementiam majorem, qua urgetur appetitus ſenſitivus, cum bonum repræſentetur tanquam tale, quo carere non poſſumus & cujus ideo carentia videtur malum intolerabile. Ita ſi quis ambit officium, ut habeat, unde vitam honeſte tolerare poſſit, cum mediis aliis deſtituatur, & Patronum infeſtum ſibi experitur, cujus favorem ſibi conciliare quod poſſit deſperat; cupiditas vix ac ne vix quidem extingvi poterit, conſequenter nec puſillanimitas arctiſſimo vinculo cum eadem connexa hoc modo facile tollitur. Satis hoc elucescit, ſiquidem ad animum revocare volueris ea, quæ de cupiditate delenda demonſtravimus, (§. 484.).

§. 497.

§. 497.

De cupiditate liberationis a malo & evitationis ejusdem fuga concitata.

Fuga mali concitat cupiditatem liberationis ab eodem, vel, si adhuc futurum, evitationis ejusdem. Etenim fuga tendit ad impediendum, ne malum, quod præsens fieri poterat, præsens fiat (§. 391.), & per consequens quatenus mali continuatio æquivalet malo futuro, atque hoc respectu concitatur fuga continuationis ejusdem (§. 813. *Psych. empir.*), ad liberationem a præsente. Quamobrem cum absentia mali (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), ideoque etiam liberatio a malo præsente & evitatio futuri bona sit, consequenter utramque cupiamus (§. 810. *Psych. empir.*); fuga mali concitat cupiditatem liberationis a præsente, & evitationis futuri.

Quoniam affectus concitantur boni & mali repræsentatione (§. 605. *Psych. empir.*), absentia vero boni malum (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), mali autem carentia bonum quoddam est (756. *part. 1. Jur. nat.*); ideo facile contingit, ut appetitus sensitivus influat in aversationem sensitivam & vice versa hæc in illum, sicque affectus jucundus excitat molestum & ex adverso molestus jucundum. Atque hic influxus mutuus facultatum appetendi & aversandi in se invicem probe notandus est, ne in explicando statu animæ, quando affectuum impetu perturbatur, cespites. Sane hinc contingit, ut affectus aliquis videatur diversus ab eo, qui est, & acumine sufficiente destitutis definitiones affectuum non satis exactæ videantur.

§. 498.

De vacillatione animi & pusillanimitate ex

Quoniam ex fuga nascitur cupiditas liberationis a malo præsente & evitationis futuri (§. 497.), ex cupiditate autem fluctuatio animi, si ignoramus media, quibus bonum

num obtinendum, vel in eligendis mediis, aut in iisdem exequendis hæſitamus (§. 832. *& ſeqq. Pſych. empir.*), & puſillanimitas, ſi impedimenta in executione mediorum obvia tanquam inſuperabilia ſpectamus (§. 842. *& ſeqq. Pſych. empir.*); *ex fuga* quoque *mali ortum ducit vacillatio animi, ſi ignoramus media, quibus a præſente liberamur, vel futurum declinamus, vel in electione, aut executione mediorum hæſitemus, aut puſillanimitas animi, ſi impedimenta liberationis a malo præſente, vel declinationis futuri tanquam inſuperabilia ſpectantur,* conſequenter *quæ de vacillatione animi & puſillanimitate cum cupiditate repræſentatione boni abſentis orta delenda demonſtrata ſunt* (§. 494. 496.), *applicanda quoque ſunt ad hoſce affectus extingvendos, quando ex fuga originem ſuam deducunt.*

Hæc nobis obſervanda fuerunt, ne quis putet, nos non ſufficienter tradidiſſe ea, quæ de tollenda vacillatione animi & puſillanimitate demonſtrata ſunt, neve ſibi perſuadeat, quaſi definitiones horum affectuum ſint anguſtiores ſuo definito.

§. 499.

De horrore excutiendo.

Si cui perſuaſeris, malum, quod horret, tam arduum minime eſſe, quemadmodum ipſi videtur; horror, quo concutitur, excutietur. Quodſi enim alicui perſuaſeris, malum, quod horret, tam arduum minime eſſe, quemadmodum ipſi videtur; idem quoque ſibi non amplius tanquam ingens repræſentabit. Quamobrem cum repræſentatione mali tanquam ingentis horror concitetur (§. 837. *Pſych. emir.*), conſequenter ſi idem non amplius ſibi tanquam ingens repræſentat, opinio horroris creatrix mutetur, hac autem mutata affectus extingvatur (§. 432.); ſi cui perſuaſeris, ma-

lum, quod horret, tam ingens minime esse; quemadmodum ipsi videtur, horror, quo concutitur, excutietur.

Sunt qui horrorem ad deformia restringunt, quasi sit affectus conspectu personæ, aut rei deformis concitatus: enimvero quamvis deformia horreamus, non tamen sola, nec semper horremus. Etenim horremus quoque arma, horremus crudelitatem hostium, horremus tormenta martyrum, supplicia acria vel sæva, veluti supplicium rotæ, combustionem, dissectionem in quatuor partes, adustionem forcipibus candentibus factam, tempestates furentes, veluti ventum impetuosissimum, grandinem insolitæ magnitudinis, fulgura continuo vibrata, bestias quoque rapaces, & alia istiusmodi. Agnoscitur affectus ex mutationibus in corpore contingentibus, quæ identitatem produnt in omnibus istis casibus. Inde autem abunde intelligitur, horrorem concitari opinione mali admodum ardui. Hinc etiam res, *quas* horremus, horrendas dicimus, veluti tempestatem horrendam, cruciatus horrendos, crudelitatem horrendam, scelera horrenda. Equidem conspectus quoque deformium horrorem incutere solet, non tamen quorumlibet, sed eorum, quorum deformitas ingens ac insolita est. Ecquis vero est qui nesciat, deformitatem quoque accenseri malis, consequenter malis arduis, si ingens fuerit? Conspectus deformium molestus accidit: quicquid vero sensui molestum est, malum putatur.

§. 500.

De audacia arcenda.

Si cui persuaseris, difficultates in bono prosequendo, vel in malo depellendo obvias, quas a se superari posse non videt, sua ratione autem eas superatum iri confidit, ab ipso superari minime posse, immo si objectas difficultates perrumpere audeat, fore ut præsentissimum malum incurrat, aut periculo præsentissimo se exponat;

auda-

audacia, ſeu animoſitas exſpirat. Etenim ſi quis non videt, quomodo difficultates in bono proſequendo, vel in malo depellendo obvias ſuperare poſſit, hoc tamen non obſtante absque ulla ratione probabili eas ſuperatum iri confidit, tu vero ipſi perſuaſeris, eas ſuperari non poſſe, immo ſi difficultates objectas perrumpere velit, fore ut præſentiſſimum malum incurrat, aut periculo præſentiſſimo ſe opponat; opinio ejus de ſuperandis difficultatibus nullo fundamento innixa ex animo ipſius evellitur. Quamobrem cum hæc opinio audaciæ, ſive animoſitatis creatrix ſit (§. 850. *Pſych. empir*), mutata autem opinione affectus creatrice affectus extingvatur (§. 432.); ſi in hypotheſi propoſitionis præſentis alteri perſuaſeris impoſſibilitatem ſuperandi difficultates objectas & præſentiſſimum periculum, ubi eas perrumpere audet, animoſitas, ſive audacia exſpirabit.

Ponamus viam eſſe inundatam, per quam currus onuſtus ducendus. Auriga profunditatem aquarum animadvertens dubitat, num eum cum curru tranſire ſalvus poſſit, nec ſine periculo id fieri poſſe agnoſcit. Quodſi tamen hoc non obſtante tranſire velit, ab aliis vero certior redditur, profunditatem im medio eſſe tantam, ut equi toti in aquis ſubmergantur; tranſire non audebit. Si quis ad officium publicum, quod vacare novit, adſpirat, tantas autem videt difficultates, ſi id ambire velit, quæ quomodo a ſe ſuperari poſſint nullo modo videt, hiſce tamen minime obſtantibus ambire audeat, is utique audax eſt (§. 850. *Pſych. empir.*). Enimvero ſi ipſi perſuaſeris, inanem fore omnem conatum, nec difficultates ab eo ſuperatum iri, immo repulſam, quam tulerit, non una de cauſa ipſi nocituram eſſe; audacia exſpirabit. Erunt forſitan nonnulli, qui in eo hæſitabunt, quod dicimus, audacem confidere ſine ratione,

ut difficultates obviæ ſuperentur, cum id repugnare videatur principio rationis ſufficientis (§. 70. *Ontol.*). Enimvero etſi nulla ratio adſit, quæ ſuadeat, difficultates ſuperatum iri, nulla tamen quoque proſtat in partem contrariam, eas non ſuperatum iri. Utraque igitur pars contradictionis æque incerta eſt, conſequenter ex duobus æque incertis unum eligendum, ſeu tanquam pro vero habendum. Quoniam cupiditas boni obtinendi, vel mali depellendi ſtimulat ad colluctandum cum difficultatibus, hæc ratio ſufficiens eſt ut difficultates potius nobis repræſentemus in caſu dubio tanquam ſuperabiles, aut ſuperatu non prorſus impoſſibiles, quam tanquam ſuperatu inpoſſibiles. Atque ideo opus eſt, ut, ſi audacia demenda, afferantur rationes, quæ eas non ſuperatum iri perſuadent.

§. 541.

De deſiderio extingvendo. *Si cui perſuaſeris, quod quis deſiderat, non eſſe tale bonum, quale ſibi repræſentat, aut moram non eſſe tantam, quanta videtur, aut rationes probabiles eſſe, quæ moram excuſent, ſi quidem ea dependentiam a quodam includit, denique in mora nullum ſitum eſſe momentum; deſiderium extingvitur.* Deſiderium oritur, ſi ex mora boni, quod ſperamus, ideoque etiam quod exſpectamus, tædium percipimus (§. 853. *Pſych. empir.*), ita ut exſpectatio efficiatur impatiens (§. 854. *Pſych. empir.*). Ut mora moleſta ſit, vel inde eſt, quod bonum, quod ſperamus, vel exſpectamus, vehementer admodum cupiamus, conſequenter quantocyus ejus compotes fieri velimus, vel quod ipſa mora videatur nimis longa, aut eam culpæ illius tribuamus, a quo eandem dependere exiſtimamus, vel quod moram quodammodo nobis nocere putamus. Quodſi ergo deſideranti perſuaſeris, bonum, quod ſperat, vel exſpectat, tale non eſſe, quale ipſi videtur, cupiditas, a qua pendet effectus moræ, extingvitur (§. 485.).

485.). Quodsi eidem persuaseris, moram non esse tam longam, quam ipsi videtur, nec mora ob longitudinem amplius accidet molesta. Quodsi mora dependentiam ab aliquo involvat, & rationes probabiles adduxeris, quæ eandem excusant, eandem quoque non amplius culpæ ipsius tribuet, consequenter cessabit ratio, cur molesta accidat. Denique si putet moram sibi aliquo modo nocuam esse, opinionem suam falsam esse agnoscet, si contrarium ipsi persuaseris, nimirum in ea nullum situm esse momentum (§. 507. *Log.*), consequenter denuo ratio cessat, cur mora accidat molesta. Quoniam itaque in omni casu nulla adest ratio, cur ex mora molestia percipiatur, remota autem hac molestia desiderio locus non sit (§. 853. *Psych. empir.*); si cui persuaseris, quod desiderat, non esse tale bonum, quale sibi repræsentat, vel moram non esse tantam, quanta videtur, aut rationes probabiles esse, quæ moram excusent, siquidem ea dependentiam a quodam includit, aut denique in mora nullum situm esse momentum, desideriuu extingvitur.

Ponamus te exspectare librum, qui magnificis elogiis ornatur in omnibus diariis & novellis litterariis, aut tanquam singularis in suo genere tibi commendatus fuit, ideoque moram tibi accidere molestam, cum eum quantocyus habere malles. Quodsi ab alio, qui librum istum legit & quem judicem competentem agnoscis, intellexeris, te in libro isto non reperturum, quod putas, nec eundem exspectationi tuæ satisfacturum, mora non diutius molestiam tibi creabit, & ita desiderium protinus evanescet. Quodsi liber quidem talis fuerit, qualem esse putas, nec ullum superfit dubium fore, ut exspectationi tuæ satisfaciat; ubi agnoveris, fieri haud quaquam posse, ut eundem citius accipias, si omne tædium ex mora perceptum non prorsus

tollitur, multum tamen imminuetur, ut ſaltem eam patienter feras, ſicque animus ab affectu moleſto ſi non prorſus liberetur, ab eodem tamen minus inquietetur. Ponamus te expectare non neminem, qui te inviſere vult, cum vero hora, qua ſe adventurum dixerat, jam diu præterlapſa fuerit, is autem nondum compareat, te moram moleſte ferre. Quodſi quis tibi nunciaverit, cum eſſet in eo, ut domo ſua exire vellet, ad eum veniſſe virum quendam, quem ut abiret jubere minime potuit; moram non amplius eidem imputabis, neque ideo diutius moleſte feres, conſequenter deſiderium, quod animum inquietare cœpit, ceſſabit. Quodſi quod expectas ſtatim habere malles, quia tua intereſſe putas, ut ſtatim habeas, ideoque mora accidit moleſta; non diutius moleſta accidet, ubi perſuaſus fueris, parum referre, quandonam id ſis accepturus, ideoque ut ante deſiderium animum tuum diutius non inquietabit. Equidem vulgo deſiderare dicimur ea, quæ cupimus, ut deſiderium a cupiditate non diſtinguatur; cum tamen cupiditas ſit diverſa ab hoc affectu, quem deſiderium appellamus, quamvis illa haud raro ſit hujus creatrix, quemadmodum ipſum exemplum primum, quod dedimus, inſinuat, atque hoc nomen affectui huic apprime conveniat (§. 854. *Pſych. empir.*), nulla ſane ratio eſt, cur aliorum inconſtantia loquendi nos moretur.

§. 502.

De impediendo deſiderio.

Si tempus, quo deſiderium inquietare poterat animum, aliquid agendo conſumis, quod attentionem omnem in ſe trahit; deſiderium quo minus oriatur, impeditur. Etenim ſi interea temporis, quo bonum quoddam exſpectas, aliquid agis, quod attentionem omnem ad ſe trahit; animum advertere non potes in moram, quæ moleſta accidere poterat. Quamobrem cum deſiderium oriatur, ſi ex mora boni, quod exſpe-

exſpectatur, moleſtia percipitur (§. 853. *Pſych. empir.*); ratio ſufficiens deſiderii ceſſat. Quoniam itaque ſine ratione ſufficiente deſiderium oriri nequit (§. 70. *Pſych. empir.*); ſi tempus, quo deſiderium inquietare poterat animum, aliquid agendo conſumis, quod attentionem omnem in ſe trahit, quo minus deſiderium oriatur, impeditur.

Noto notius eſt, tempus præterlabi celerius, quam opinabamur, ſi quid agimus, ad quod ſatis animum attendimus. Quamobrem cum moræ nobis conſcii minime ſimus, niſi quatenus ad tempus, quo differtur quod exſpectatur, animum advertimus; ſi tempus, quoquid exſpectatur aliquid agendo conſumitur, quod attentionem omnem in ſe trahit, fieri non poteſt, ut de mora cogitemus, aut, ſi cogitatio ejus animum forte ſubeat, ut videatur nimis longa. Haud raro tamen contingit, ut cupiditas non permittat intera temporis aliquid agere, dum id, quod cupimus, exſpectatur.

§. 503.

De hilaritate extinguenda.

Si cui perſuaſeris malum nondum præteriiſſe, vel metum mali venturi nondum evanuiſſe, quemadmodum putat, hilaritas extingvitur. Quodſi enim alicui perſuaſeris, malum nondum præteriiſſe, vel metum mali venturi nondum evanuiſſe, quemadmodum putabat; opinionem, quam fovebat, falſam eſſe agnoſcit (§. 507. *Log.*). Qnamobrem cum iſta opinione concitetur hilaritas (§. 855. *Pſych. empir.*), mutata autem opinione affectus creatrice affectus extingvatur (§. 432.); ſi cui perſuaſeris, malum nondum præteriiſſe, vel metum mali venturi aut imminentis nondum evanuiſſe, quemadmodum putabatur, hilaritas extingvitur.

Si quis putat incendium villæ ſuæ vicinum reſtinctum eſſe, hilaris eſt: aſt ubi nunciatur, ventum flammam reſuſcitaſſe, & jam majore flamma reviviſcere incendium, hilari-

laritas protinus evaneſcit. Si medicus imperitus dicat, morbum vires poſuiſſe, ægrotus, qui ſe periculo mortis ſubtractum putat, hilaris eſt: aſt ubi medicus alius peritior ipſi ſignificat, adeſſe ſigna prognoſtica mortis, ita ut ſpes reconvaleſcentiæ decollata ſit, nec ulla medicina ipſum periculo mortis ſubtrahere poſſit, hilaritas evaneſcit. Similiter ſi *belli* incendia metuens fidem habeat rumori de amicabili compoſitione controverſiarum, quæ nonniſi vi armorum decidi poſſe videbantur, eum jam putet, periculum omne evanuiſſe, hilaris eſt: ubi vero certior redditur rumorem fuiſſe falſum, nec amicabilis compoſitionis ſpem ullam ſupereſſe, hilaritas extemplo ceſſat.

§. 504.

De hilaritate metu arcenda.

Similiter ſi cui perſuaſeris, ex malo depulſo imminere periculum mali multo majoris; metus hilaritatem arcebit. Qui enim putat malum eſſe depulſum, hilaritate perfunditur (§. 855. *Pſych. empir.*). Aſt ſi ei perſuaſeris, ex malo depulſo imminere periculum multo majoris, metus animum invadet (§. 822. *Pſych. empir.*). Quoniam igitur metus & hilaritas affectus contrarii ſunt (§. 855. 822. *Pſych. empir.*), & facile patet, metum prædominari debere, propterea quod malum futurum ſuperat depulſum, *per hypothejin* (§. 529. *Pſych. empir.* & §. 256. *b.*), affectus autem præſens contrario ſedatur, ſi hic prædominetur (§. 440.); metus hilaritatem arcebit.

Ponamus medicum imperitum curaſſe febrem, qua correptus fueras, & te hilarem eſſe, quod eadem tam cito fueris liberatus. Quodſi ex alio medico peritiore intelligas, peſſime tibi fuiſſe conſultum, quod tam cito depulſa fuerit, verendum nunc eſſe, ut incidas in morbum chronicum multo periculoſiorem, veluti tabem, aut hydropem; metus

tus hilaritatem arcebit. Fieri omnino poteſt, ut accedant affectus alii moleſti, hilaritati non minus contrarii; ſed eos in præſenti inſuper habemus.

§. 505.

Si cui perſuaſeris, quod faſtidit, id eſſe bonum; faſtidium tollitur. Etenim ſi cui perſuaſeris, quod faſtidit, id eſſe bonum, conſequenter non recte eum facere quod faſtidiat; ex eo denuo voluptatem quandam percipiet (§. 558. *Pſych. empir.*), ac iterum appetet (§. 589. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum faſtidium oriatur, ſi quod nobis tanquam bonum repræſentaveramus, nunc tanquam malum repreſentemus (§. 859. *Pſych. empir.*), opinio affectus creatrix mutata eſt, & appetitus, qui tendebat ab eo, quod faſtidibat, abſtinendum (§. 419.), in partem contrariam tendit. Quamobrem cum mutata opinione affectus creatrice affectus extingvatur (§. 432.), & ſtatus animi jam prorſus diverſus ſit ab eo, qui fuerat faſtidientis, *per demonſtrata*; ſi cui perſuaſeris, quod faſtidit, id eſſe bonum, faſtidium tollitur.

De faſtidio tollendo.

Ea, quæ faſtidimus, averſamur, cum antea avide appeteremus: appetebamus vero eadem propter voluptatem inde percipiendam, averſabamur propter moleſtiam, quam nobis creatum iri putabamus. Diſtingvenda vero a faſtidio *Satietas* eſt, quando nimirum quod antea avide appetebamus, nunc non amplius appetimus, non tamen averſamur. Ceſſat quidem appetitio, non tamen in ejus locum ſuccedit averſio, ſed indifferenter nos habemus ad objectum, quod antea nobis repræſentabamus tanquam bonum, nunc autem non amplius nobis repræſentamus tanquam bonum, non tamen etiam tanquam malum. Unde patet, faſtidium tolli, etiamſi ſaltem perſuadeas faſtidienti, non eſſe malum, quod

quod faſtidit. Aſt tum nondum tollitur ſatietas, quam tamen cum faſtidio ſimul tollere intendimus. Oſtendimus præterea jam alias (*not.* §. 859. *Pſych. empir.*), etſi rem in ſe ſpectatam nec bonam, nec malam judices, conſequenter ex eadem nullam moleſtiam percipias, eandem tamen ſpectari tanquam moleſtiæ creatricem, quatenus eam appetere teneris invitus. Unde cum faſtidio facis, quod omittere non potes. Quamvis vero vix fieri poſſe videatur, ut faſtidium tollatur, cum notiones affectuum creatrices res repræſentent tanquam voluptatis & tædii ſive moleſtiæ creatrices, quilibet autem ſibi conſcius ſit omnium optime, utrum voluptatem, an moleſtiam ex objecto quodam percipiat, ideoque ſuo ſtet ſenſu, non alieno; dantur tamen caſus, in quibus id ſuccedit, præſertim ſi ratio in ſubſidium vocetur, quod tam in concitandis, quam ſedandis affectibus ſæpiſſime fieri poteſt, immo ſemper fieri debet, ubi affectus ſunt regendi, quemadmodum paulo poſt videbimus. Sed demus exemplum. Ponamus te comediſſe cibum, cuius ſapore valde delectaris, aſt poſtea tormina ventris oriri, quæ cibi effectum eſſe putas. Quando igitur poſtea cibum hunc tibi repræſentas tanquam tormina non toleranda creantem, faſtidium ejus excitatur (§. 858. *Pſych. empir.*). Quodſi vero quis tibi perſuadere potuerit, cibum, cujus adhuc ſapore delectaris, minime creaturum tormina ventris; faſtidium tollitur. Inferri poterant alia, quæ in praxi morali non contemnendum habent uſum: ſed de iis rectius dicetur alio loco. Quamvis enim propoſitio præſens vix ullum videatur habere uſum; luculentum tamen ejus uſum in praxi morali habet. Simile exemplum eſt, ſi faſtidium cibi grati excitetur admixto quodam, quod ſaporem habet maxime ingratum, nauſeam excitantem. Conſpicitur in his effectus imaginationis perceptionibus confuſis immiſcentis alias ſimul percepta, quæ rebus perceptis in præſenti minime inſunt, vel adhærent (§. 593. 594.

594. *Pſych. empir.*). Notandum vero eſt, nos non ſaltem faſtidire ea, quæ cum ſenſus antea hilararent, nunc eosdem moleſtant, & quorum faſtidium ipſa die excitatur (§. 860. *Pſych. empir.*), verum etiam alia, quæ propter rationes alias bona & mala habentur, vi eorum, quæ ſupra de bono atque malo demonſtravimus. Delectationum ſenſualium ſatietatem magis, quam faſtidium parit dies, quatenus quotidiana vileſcunt. Monuimus vero jam alias (*not.* §. 859. *Pſych. empir.*), quod faſtidire ſæpius dicamus res quasdam, etiamſi effectus hic abſit. Et quoniam faſtidium parere ſolet fugam, aut hac illud concitatur, acute diſcernenda ſunt, quæ ad faſtidium pertinent, ab his, quæ fugæ tribuenda, ſi penitius ac intimius affectum præſentem cognoſcere volueris.

§. 506.

De ira ſedanda.

Si cui perſuaſeris, alterum non feciſſe, quod ab eo factum ſupponit & ob quod ipſi iraſcetur, aut ex facto alterius non emergere iſtud malum, quod inde emergere putat; ira ſedatur. Quoniam enim ira concitatur opinione mali ex facto alterius nobis vel etiam aliis (§. 874. 875. *Pſych. empir.*), emergentis (§. 868. *Pſych. empir.*); ſi cui perſuaſeris, alterum non feciſſe, quod ab eo factum ſupponit & ob quod ipſi iraſcitur, aut ex facto alterius non emergere iſtud malum, quod inde emergere putat, opinio iræ creatrix mutatur. Enimvero ſi opinio, qua affectus concitatur, falſa eſſe agnoſcitur, ideoque mutatur, affectus ſedatur (§. 432.). Sedatur igitur ira, ſi cui perſuaſeris, alterum non feciſſe, quod ab eo factum ſupponit & ob quod ipſi iraſcitur, aut ex facto alterius non emergere iſtud malum, quod emergere putat

Noto notius eſt, iram ſedaturos negare, quod is, cui iraſcimur, hoc fecerit, ob quod ad iram fuimus provocati. Si putes alterum propalaſſe arcanum quoddam tuum, quod ſtudioſe celabas, in iram concitaris. Quodſi vero intellexeris, eum arcanum tuum non propalaſſe, ira ſedatur. Similiter ſi putes, alterum te defraudaſſe, quod carius vendiderit rem, quæ viliori pretio emi poterat, ira evadeſcit animus: aſt ubi certior factus fueris, te juſto pretio emiſſe, iram ponis. Quodſi arbitreris, famæ tuæ maculam adſperſum iri, quod quis ſententiam tuam in controverſiam vocet, eidem iraſceris: aſt ubi agnoveris, id famæ tuæ minime nocere, ira, ſi non reprimitur, ſaltem lenitur.

§. 507.

Modus alius *Quodſi cui perſuaſeris, offenſam eſſe nullam, ob quam alteri iraſcitur; iram miſſam facit.* Etenim ſi cui perſuaſeris, offenſam eſſe nullam, ob quam alteri iraſcitur; is ſe ab ipſo offenſum eſſe non amplius putat. Quamobrem cum offenſa ſit actio ſive poſitiva, ſive privativa, ex qua alter tædium percipit (§. 936. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter quam ſibi repræſentat per modum mali ab altero ſibi facti (§. 4.); opinio iræ creatrix deletur (§. 868. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum mutata opinione affectus creatrice affectui non relinquatur locus (§. 432.); ſi cui perſuaſeris, offenſam eſſe nullam, ob quam alteri iraſcitur, iram miſſam facit.

Non adeo facile eſt, quemadmodum videri poterat, hoc modo reprimere iram. Offenſam enim eſſe nullam demonſtratur, ſi evincas, actionem, ex qua tædium ſive moleſtiam percipit alter, eſſe talem, ut eandem committere, vel eadem abſtinere obligatus fuerit. Quodſi ergo iraſcenti perſuadere velis offenſam nullam eſſe, neceſſe eſt ut no-

Digitized by Goog

ſit in gratiam ſui ab altero fieri, quod legi naturæ repugnat. Ponamus te a me petere, ut tibi mutuo dem nummos, quos cum meretricibus te conſumturum novi. Amore impuro flagrans deneganti iraſceris. Denegatio utique offenſa nulla eſt, cum nemo ad actum naturaliter turpem concurrere debeat. Enimvero ſi rem cum meretrice habere, ſeu ſcortari pro turpi non habeas, neque illicitum exiſtimes concurſum alterius ad actionem turpem tuam, nec ab amore impuro animum liberare veles; a me te offenſum non eſſe minime tibi perſuadere patieris. Ceterum huc quoque pertinent facta, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, quatenus phyſice impoſſibile, ut quid faciamus, vel non faciamus, veluti ſi a me petis, ut tibi mutuo dem nummos, cum ipſe non habeam tot, quot mihi ſuppetunt, aut quibus ipſemet indigeo, aut, ſi velis me tecum exſpatiari, ſi neceſſe eſt ut maneam domi. In hiſce autem caſibus facilius eſt perſuadere alteri offenſam eſſe nullam, quam ſi quod phyſice poſſibile eſt moraliter ſaltem impoſſibile. Quamobrem ſi utrumque obtinet, præſtat impoſſibilitatem phyſicam potius, quam moralem evincere, præſertim ſi tibi negotium fuerit cum homine, qui moralitatem parum curat, ut hanc allegando dictis de impoſſibilitate phyſica fides detrahatur.

§. 508.

Si ei, qui alteri iraſcitur, perſuaſeris, ipſum nulla ſua culpa aut culpa facile excuſanda feciſſe, ob quod iraſcitur, modo is rationis omnem uſum ex animo non exſpuerit; iram miſſam faciet.

De ira ob factum nulla culpa vel facili condonanda commiſſum.

Etenim ſi cui perſuaſeris, alterum nulla ſua culpa feciſſe, ob quod ipſi iraſcitur, cum nullus adſit defectus rectitudinis actionis vincibilis (§. 696. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui ſolus imputari poteſt (§. 693. *part. 1. Phil. pract. univ.*); factum quoque iſtud ipſi imputari non poſſe agnoſcet, con-

ſequenter eum non eſſe cauſam liberam mali, quod ex facto iſto in ſe, vel alium redundat (§. 527. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem niſi omnem rationis uſum exſpuerit, videbit quoque nullam eſſe rationem, cur ipſi iraſcatur (§. 868. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ceſſante ratione ſufficiente iræ eidem non relinquatur locus (§. 70. *Ontol.*); iram miſſam faciet. *Quod erat unum.*

Quodſi culpa quidem aliqua adſit, ſed facilis condonanda, propterea quod facilem habeat excuſationem, cum eandem quivis facile incurrat, utpote evitatu difficiliorem; qui non omnem rationis uſum exſpuit, ut, quod in ſe excuſari velit, in aliis excuſare nequeat, factum denuo alteri non imputandum eſſe, quamvis imputari quodammodo poſſit, agnoſcet (§. 694. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Unde porro eodem quo ante modo oſtendetur, quod iram miſſam facturus ſit. *Quod erat alterum.*

Abſurdum omnino eſt & ab omni ratione alienum aliquid imputare ei, qui omni culpa vacat. Immo moraliter non minus abſurdum eſt, imputare alteri, quod tibi imputari non vis, & eam in altero deſiderare perfectionem, a qua ipſemet adhuc procul abes, nec in alio excuſare velle, quod in te excuſari vis. Qui omnem rationis uſum ex animo non exſpuit, abſurditatem hanc facile agnoſcet, & eam agnoſcendam eſſe notionibus communibus adeo conforme eſt, ut iratos placaturi oſtendant, vel aſſeverent, ſe quod factum eſt, nulla culpa feciſſe, vel id evitare non potuiſſe, aut ſe non feciſſe lubenter, ac facile cuivis alii idem accidere poſſe. Si qui fuerint, qui rationibus hiſce non moventur, ſed iræ indulgent; id minime probatur ab iis, qui rectius ſentiunt. Cum exempla ubivis obvia proſtent, ſupervacaneum foret in recenſendis immorari. Quod nulla alterius culpa contingit, vel culpa facile condonanda, id caſu factum eſt, vel quaſi caſu

caſu factum habendum. Abſurdum vero eſt, ob ea, quæ caſu facta ſunt, iraſci. Ne vero in culpa imputanda nimis faciles ſimus, probe conſiderandum eſt, an, ſi nos fuiſſemus alterius loco, eandem evitaſſemus.

§. 509.

De ira irato nocente.

Si cui perſuaſeris, quod ira ſua ſibi magis noceat, quam alteri, cui iraſcitur, vel etiam ſibi ſoli; iram ſi non ſupprimes, ſaltem mitigabis. Si quis enim perſuaſus fuerit, quod ira ſua ſibi magis noceat, quam alteri, cui iraſcitur, vel etjam ſibi ſoli, cum ira tendat ad vindictam, ſeu malum malo referendum (§. 422), is non modo agnoſcit ſe ſibimet ipſi contrarium eſſe, dum malum ſibi infert, ubi malum alterius appetit, verum etiam ipſam iram tanquam malum, quo ipſemet afficitur, conſiderat, conſequenter eam averſatur (§. 590. *Pſych. empir.*). Quamobrem iram ſupprimere conabitur, ideoque vel ſupprimetur, vel ſaltem mitigabitur, ſi non ſtatim ſupprimi poſſit.

Ira homini nocet non uno modo, ſive eam phyſice, ſive moraliter conſideres. Sed de eo rectius dicetur alio loco ex inſtituto. Noto vero notius eſt, quod iram ſedaturi allegare ſoleant nunc effectus phyſicos, nunc morales iræ iraſcenti nocuos, nunc vanitatem iræ ſine viribus. Multæ omnino ſunt rationes, cur perſuaſio ſit difficilis ſicuti in omni affectu ſive concitando, ſive ſedando, præſertim autem in ira, quam eſſe furorem brevem vulgo agnoſcitur. Unde omnino contingit, ut affectum ſive concitare, ſive ſedare fruſtra coneris: ſed adverſus morbos deſperatos fruſtra requiſiveris remedium. Ad affectus ſedandos remedium generale de revocando animo a perceptionibus confuſis ad diſtinctas magis conducit & utilius adhibetur remediis ſpecialibus (§. 434.), id quod etiam ceteris admiſcetur & vim

ſuam

ſuam occulte cum iisdem communicat, cum absque distinctis perceptionibus perſuaſioni nullus concedatur locus. Quamobrem conſultum eſt, ut animum a perceptionibus confuſis, quæ eundem perturbant, ad diſtinctas revocare ſtudeamus, tales præſertim, quæ cum objecto affectus nihil habent commune, ne vi imaginationis idea ejus reſuſciteretur (§. 117. *Pſych. empir.*), quin potius animus ab eodem prorſus revocetur, attentione in aliis prorſus objectis defixa. Huc dubio procul reſpexere veteres, cum ira ſubnaſcente recitare juſſerunt orationem dominicam non viva voce, ſed ſaltem tacite ſibimetipſi loquendo, quoniam hoc pacto facilius in cogitationem præſentem ab objecto affectus retrahitur attentio. Si quis experimentum in ſe capere voluerit, quinam inde ſperandus ſit affectus, ipſo facto experietur.

§. 510.

De ira præcavenda.

Si ira præcaveri debet, neceſſe eſt ut facta aliorum, quibus offendi poſſumus, & quænam mala inde in nos redundare poſſint, probe expendamus, utrum ea evitare in poteſtate noſtra ſit, nec ne, probe conſideremus, & quinam futurus ſit iræ effectus ſedulo inquiramus, & quandonam ab aliis facta excuſationem mereantur, ſollicite diſpiciamus. Quoniam enim hæc perpendenda ſunt, ſi iram ſedare velimus (§. 506. *& ſeqq.*), eodem prorſus modo oſtenditur, hac ratione iram præcaveri, quo paulo ante oſtendimus terrorem præcavendum eſſe (§. 492.).

Ira affectus vehementiſſimus eſt, quia animum valde perturbat, & ideo furori brevi æquiparatur, quia mentem alienat, ita ut omnem rationis uſum auferat. Videmus ſane homines rationis uſu præſtantes, dum iraſcuntur, ſui ipſius obliviſci, & ira concitatos loqui ac facere, quæ ipſi maxime

maxime improbant. Quamobrem maxime conſultum eſt, ut de ira præcavenda ſimus ſolliciti, & animum ita præparemus, ut oblata cauſa iræ nocentiſſimus hic affectus in ortu ſupprimatur, ne vires capere poſſit. Medium præcavendi iram eſſe præparationem ad caſus futuros, quæ quomodo fieri debeat, propoſitio præſens præſcribit, dudum agnovere veteres, prouti ex Enchiridio *Epicteti* conſtat, ubi quoque reperiuntur exempla, præparationem iſtam ad ſenſum communem reducentia, veluti ne in iram conciteris, ſi narrat famulus, ancillam fregiſſe ollam: ubi ſuadet ancillam conducenti conſiderandum eſſe, quod ſit negligens, & ollam ementi, quod ſit fragilis. Ita nimirum, ſi olla frangitur, non eveniet, niſi quod eventurum prævidiſti. Quoniam nos delectat prævisio futuri, quam eventus probat, præparatione ad caſus futuros ſeparari neſcia; ipſa hæc delectatio affectui moleſto obſtat, quo minus oriatur, vel vires capiat. Cumque attentio defixa ſit in perceptionibus diſtinctis & vi ipſius hujus voluptatis in iisdem retinetur, de efficacia hujus remedii in numerum præſervativorum referendi tanto minus dubitari poteſt (§. 434.).

§. 511.

Indignatio eodem modo ſedatur, ac præcavetur, quo ira. Indignatio enim ab ira nonniſi in eo differt, quod excludat cupiditatem vindictæ, cum hac conjunctam (§. 872. *Pſych. empir.*), eum eadem tamen eandem habet cauſam (§. 862. 873. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque ira ſedatur & præcavetur auferendo cauſam, vel hujus vires infringendo (§ 506. & *ſeqq.*); eodem quoque modo, quo ira, ſedatur ac præcavetur indignatio.

De indignatione ſedanda & præcavenda.

Cum indignationis non tanta ſit vehementia, quanta eſt iræ; facilius quoque quam ira ſedatur & præcavetur, ut ideo ſuperfluum foret indignationis ſedandæ, aut præcaven-

dæ cauſa repetere, quæ de ira ſedanda & præcavenda demonſtrata ſunt.

§. 512.

Zelotypia quid ſit.

Zelotypia eſt tædium ex eo perceptum, ſeu ægritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipſe concupiveris.

Ita Zelotypiam definit *Cicero* in Tuſculanis. Exemplum habemus in mulieribus, quæ ſunt Zelotypæ, ſi maritus venerem furtivam agitat cum fœmina alia, vel ſi ferre nequit, ut fœminæ alii blandiatur, immo ne quidem, ut aliam laudet. Exemplum quoque eſt in iis, qui ægre ferunt laudes aliorum, quas ipſi concupiſcunt.

§. 513.

Ad quornam affectus ſit referenda.

Zelotypia invidiæ quædam ſpecies eſt, &, ſi zelotypus vel zelotypa ſe offendi putat, in iram concitatur. Etenim zelotypia naſcitur ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipſe concupiveris (§. 512.), conſequenter ex bono, cujus repreſentatione tua concitatur cupiditas (§. 810. *Pſych. empir.*), ideoque eo ipſum indignum judicas, cum ſolus habere id velis, vel frui eodem. Enimvero affectus, qui oritur, ſi alterum indignum judicamus bono, quo potitur, vel fruitur, invidia eſt (§. 714. *Pſych. empir.*). Quamobrem patet, zelotypiam invidiæ quandam ſpeciem eſſe. *Quod erat unum.*

Offenſæ opinione concitatur ira (§. 862. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo zelotypus, vel zelotypa ſe offendi putant, quod alter quoque potiatur eo, quod ſolus habere, vel quo ſolus frui mallet; in iram concitatur. *Quod erat alterum.*

Sunt

Sunt qui Zelotypiam pro peculiari affectu habent: aſt cum omnium affectuum ſpecies multiplicarentur, ſi eas pro diverſitate objecti, quod bonum, vel malum exiſtimatur, a ſe invicem diſtingvere vellemus, hoc tamen minime fiat, ideo nulla quoque apparet ratio, cur Zelotypiam ab invidia diſcernamus, quamvis peculiare ſortita ſit nomen. Sane non ignotum eſt pro Zelotypia *Propertium* invidiam dicere. Nos quoque idiomate patrio die Eiferſucht dicere ſolemus: aſt tum potiſſimum reſpicimus ad caſum ſpecialem inter conjuges obvium, antea commemoratum (*not.* §. 512.), tumque invidia ſpectari ſolet, quatenus vel odium alterius, vel iram in eundem concitatam una continet. Et forſan non alia de cauſa Zelotypiam nonnulli pro peculiari affectu habuerunt, quam quod odium, vel iram cum invidia in unum confuſam pro affectu ſimplici habuerint. Hæc quidem addere viſum eſt, ne quis exiſtimet, nos in Pſychologia empirica, quando de affectibus ageremus, omiſiſſe affectum admodum familiarem, præſertim fœminis. Quoniam vero per ea, quæ de odio, ira & invidia dicta ſunt, patet, quænam in Zelotypia extingvenda, vel concitanda obſervanda pro caſuum diverſitate; ideo quoque de modo ſedandi vel concitandi Zelotypiam in ſpecie nihil addere viſum fuit. Sunt qui etiam *Æmulationem* pro peculiari affectu venditant, quam ſumunt pro ægritudine ſeu moleſtia animi, ſi eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipſe careat: aſt quis non videt, etiam hanc ſub invidia contineri, ac ideo quoque ſubinde a Latinis autoribus æmulationem pro invidia dici? De æmulatione igitur eadem tenenda ſunt, quæ modo de Zelotypia monuimus.

§. 514.

Eodem modo, quo affectum aliquem in aliis concitamus, vel ſedamus, aut etiam præcavemus, eundem quoque concitamus & ſedamus, aut præcavemus in nobis ipſis. Etenim eodem modo, quo *concitando & ſedando,* af-

De modo affectus in ſe

aut præcavendo.

affectus oriuntur in aliis, in nobis quoque oriuntur, quod per ſe patet. Quamobrem cum affectus concitentur certa opinione boni vel mali, quemadmodum ex definitionibus realibus eorundem patet; eadem opinio tam in te, quam in alio requiritur, ſi affectus concitandus. Et ſimiliter cum vel delenda ſit illa opinio, aut attentio ab eadem avertenda; in priori caſu tam ipſe agnoſcere debes opinionem iſtam eſſe falſam, quam agnoſcere tenetur alius, & in poſteriori attentio tua vertenda in objectum aliud, quemadmodum attentio alterius in aliud vertitur. Quamobrem patet, eodem modo, quo affectus aliquis in aliis concitatur, ſedatur, vel præcavetur, eundem quoque in te concitari, ſedari vel præcaveri.

Nihil in hiſce difficultatis eſt, cum natura humana in genere ſpectata, qualis hic ſupponitur, eadem ſit in omnibus hominibus. Et quis eſt, qui neſciat, in præſenti negotio quemlibet ſeipſum conſiderare tanquam alium a ſe ipſo, cum hominem conſideremus tanquam duplex ſubjectum, ita ut in uno reſideant facultates animæ inferiores, in altero facultates ſuperiores: quæ fictio per omnem philoſophiam moralem ſive Ethicam ſupponitur, quando emendatione & directione ſui agitur. Neque alia ratio eſt, cur in exemplis, quibus propoſitiones præcedentes illuſtravimus, nunc ſuppoſuimus affectus ſubjectum eſſe teipſum, nunc idem eſſe alterum, quamvis propoſitio ſemper de altero loquatur. In praxi autem morali neceſſe eſt, ut affectus in nobismetipſis tam concitare, quam ſedare, ideoque etiam præcavere valeamus, prouti mox clarius eluceſcet, quando de regimine affectuum, ſeu de eorum uſu & abuſu agemus, quorum ille faciendus, hic vitandus. Multiplex nimirum eſt affectuum tam uſus, quam abuſus in quolibet actionum humanarum genere in Ethica demonſtrandus.

Dan-

Dantur etiam caſus, in quibus affectum quendam in ſe ipſo concitare debet, qui eundem concitare vult in aliis (§. 249.). Exemplo ſunt oratores & adhortatores.

§. 515.

Si quis agnoſcit, quomodo aliquid fieri poſſit, vel potuerit, quod fieri poſſe, vel potuiſſe non cogitaſſet, aut quod pro inſolito aut prorſus ſingulari habet, tale minime eſſe; admiratio ceſſat. Admiratio enim oritur, ſi qua eſſe vel fieri obſervamus, quæ eſſe vel fieri poſſe non putaveramus, ita ut ignorantia gignat admirationem (§. 294. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi ergo quis agnoſcit, quomodo aliquid fieri poſſit vel potuerit, quod fieri poſſe non putaſſet; ignorantia admirationis creatrix tollitur, conſequenter nec ipſa amplius ſubſiſtere poteſt, ideoque ceſſat. *Quod erat unum.* *Quomodo admiratio ceſſet.*

Similiter ſi quis agnoſcit, quod pro inſolito aut prorſus ſingulari habet, ut tale quid eſſe ſibi nunquam perſuaſiſſet, id tale minime eſſe, ſed vulgare potius ac in vulgus notum; ignorantiam, qua laboravit, agnoſcit, conſequenter ea denuo tollitur, ideoque cum hæc ignorantia creaverit admirationem, ut ante patet, admirationem ceſſare debere. *Quod erat alterum.*

Rationem cur cum *Carteſio* admirationem in numerum affectuum non retulerimus, alibi jam dedimus (*not.* §. 294. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Neque etiam nunc eandem affectibus annumeramus. Quoniam tamen admirationis uſus eſt in praxi morali, perinde ac affectuum, eaque in appetitum influit ſenſitivum, in quo affectus concitantur, eam ſilentio hic præterire non debuimus. Objecta admirationis attentionem in ſe trahunt, quia nova & inſolita videntur, ideoque animam naturaliter ſciendi cupidam percellunt, non

tamen in hac attentione admiratio conſiſtit, ſed vi ejus ſaltem ſubſiſtit. Neque admirationem excitant objecta, quatenus nova & inſolita ſunt, ſed quatenus ea, quæ nova & inſolita nobis apparent, exiſtere, vel fieri poſſe, aut potuiſſe, non cogitamus. Neque enim omnibus admirationi ſunt, quæ nova ſunt atque inſolita; ſed ſaltem iis, qui talia noſſe cupiunt. Quamobrem haud raro plurimi falluntur, dum ſibi perſuadent alios admiraturos eſſe, quod ipſi admirantur, ita ut ipſimet mirentur, quando vident, alios idem non admirari, quemadmodum putabant: defectus nimirum admirationis eſt in eorum numero, quæ eſſe non poſſe putaverant.

§. 516.

Quo tendat admiratio.

Admiratio tendit ad rerum cognitionem acquirendam. Quæ enim admiramur, ea talia nobis apparent, ut ea eſſe vel fieri poſſe, aut potuiſſe non cogitaſſemus (§. 294. *part. 2. Phil pract. univ.*). Quamobrem cum ſcire, aut rerum notitiam habere delectet, ea vero maxime ſcire, aut noſſe velimus, quæ eſſe aut fieri poſſe nunquam cogitaſſemus, quemadmodum unusquisque in ſe ipſo experitur; appetitus fertur in cognitionem eorum, quæ admiramur. Atque ita admiratio tendit ad rerum cognitionem acquirendam.

Admirationem eſſe ſtimulum, quo homo incitatur ad rerum cognitionem acquirendam, dudum agnoverunt veteres. Inde omnino fluxit pervulgatum iſtud: propter admirari cœperunt homines philoſophari. Sane niſi admiratio homines excitaſſet ad philoſophandum, omnes adhuc diſciplinæ deſertæ ac incultæ jacerent: fit ita quod in progreſſu acceſſerit ſtimulus alius cognitionis utilitas, & ex inventione eorum, quæ cognoſcere ſtuduerant, percep-

pta

pta voluptas, ubi tamen tacite ſimul adhuc influit admiratio, quando videmus a nobis cognoſci potuiſſe, quæ cognitu poſſibilia eſſe non cogitaſſemus.

CAPVT IV.

De Regimine affectuum, ſeu eorum uſu & abuſu.

§. 517.

Uſus affectuum in eo conſiſtit, ut tendant ad obtinendum verum bonum & ad depellendum verum malum. Omnis enim affectus tendit ad aliquid vel obtinendum, vel depellendum (§. 252.). Quamobrem cum homo obligetur ad appetendum verum bonum, & averſandum verum malum (§. 265. *part. 1. Jur. nat.*), appetitus vero tendat ad bonum obtinendum, averſatio autem ad malum depellendum (§. 251. *h.* & §. 892. 893. *Pſych. empir.*); affectus quoque, actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ vehementiores (§. 603. *Pſych. empir.*), tendere debent ad verum bonum obtinendum & verum malum depellendum, conſequenter uſus affectuum in eo conſiſtit, ut tendant ad obtinendum verum bonum & ad depellendum verum malum. *Uſus affectuum in quo conſiſtat.*

Obligatio naturalis prorſus immutabilis eſt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem nec affectibus uti aliter licet, quam obligationi naturali convenienter, ideoque ex principiis juris naturalis, quibus continentur ea, ad quæ naturaliter obligati ſumus, determinandus eſt affectuum uſus. Atque affectuum uſus pertinet ad perfectionem hominis, cum eo ſolo conſenſus facultatum animæ inferiorum cum ſupe-

ſuperioribus obtineatur, in quo perfectio animæ conſiſtit (§. 201. *part. I. Jur. nat.*), ad quam conſequendam naturaliter obligamur (§. 152. *part. I. Phil. pract. univ.*). Affectuum hic uſus naturæ humanæ convenientiſſimus eſt, a quo ſi receditur, id contra naturam fieri recte dicitur.

§. 518.

Quænam uſus affectuum requirat.

Quoniam uſus affectuum in eo conſiſtit, ut tendat ad obtinendum bonum verum & depellendum malum verum (§. 517.); *qui affectuum uſum facere vult, is bona vera & mala vera ab apparentibus diſcernere tenetur, conſequenter repræſentatione boni vel mali veri affectus concitandi, quando bonum aliquod obtinendum, vel malum depellendum, ſi vero affectus oriatur repræſentatione boni vel mali apparentis*, ita ut malum appetatur ſub ratione boni, vel bonum averſemur ſub ratione mali, *affectus ſedandus.*

Apparet itaque, cur in anterioribus adeo prolixi fuerimus in demonſtrando, quomodo affectus concitandi atque ſedandi, cum affectus concitare utile ſit in exercitio virtutum, ſedare autem in debellandis vitiis, tollendisque virtutum impedimentis.

§. 519.

Quid is ulterius requirat.

Similiter quia uſus affectuum conſiſtit in eo, ut tendant ad obtinendum bonum verum & depellendum malum verum (§. 517.); *qui uſum affectuum facere vult, non modo noſſe debet affectus omnes, & quomodo oriantur, verum etiam quo ſinguli tendant.*

Atque hinc porro liquet, cur in capite præcedente quoque oſtenderimus, quo tendant affectus ſinguli. Nos vero in Pſychologia empirica ſufficienter enumeraſſe omnes affectus, deinceps oſtendemus.

§. 520.

Digitized by Google

§. 520.

Abuſus affectuum in eo conſiſtit, ut tendant ad malum committendum, bonum vero omittendum, vel impediendum, ſeu homines impellant ad actiones malas. Quoniam enim affectus omnes tendunt ad aliquid obtinendum, vel depellendum (§. 252.); ideo hominem impellunt ad agendum vel non agendum, prouti actione vel poſitiva, vel negativa opus fuerit ad obtinendum, vel depellendum id, ad quod tendunt. Quoniam actiones bonas committere, malas omittere obligamur (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*), facultatibus noſtris abutimur, quando malum committimus, bonum omittimus, ſeu actiones legi naturæ contrarias, ideoque malas perpetramus. Quoniam itaque affectus ſunt actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. 603. *Pſych. empir.*); abuſus affectuum in eo conſiſtit, ut tendat ad malum committendum, bonum vero omittendum, vel impediendum, ſeu ut homines impellant ad actiones malas. *Abuſus affectuum in quo conſiſtat.*

Oſtendimus ante (*not.* §. 517.), quod affectus aliter uti non liceat, niſi obligationi naturali convenienter. Quemadmodum itaque inde æſtimandus uſus affectuum, ita quoque hinc definiendus eorundem abuſus, uſui quippe contrarius. Uſus affectuum exercitium virtutum juvat; abuſu vitia aluntur. Uſus quemadmodum naturæ humanæ convenientiſſimus (*not.* §. 517.), ita abuſus contra naturam humanam eſt. Præcipit lex naturæ, ut naturæ noſtræ, hoc eſt, humanæ convenienter vivamus (§. 188. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quicquid igitur legi naturæ repugnat, id contra naturam humanam eſt, ſeu eidem repugnat. Abuſus affectuum hominem trahit ad actiones legi naturæ contrarias, conſequenter eidem repugnat. Quamobrem is contra naturam humanam eſt. Quamvis forſitan nonnullis hoc paradoxum vide-

videbitur, qui notiones rerum diſtincte evolvere non didicerunt, aut non adſueti ſunt; non tamen abhorret a notionibus communibus. Quis enim eſt qui neſciat, homines affectuum impetu ſe abripi patientes beſtiis æquiparari, & idiomate patrio nunc ein rechtes Viehe, genuinum brutum, nunc ein Unmenſch, non hominem, appellari, nunc animalis cujusdam bruti in ſpecie nomen pro diverſitate actionum & per conſequens affectuum, quorum impetu ad eas impelluntur, ipſis tribui? Affectuum ſane abuſus a ratione independens eſt, qua hominem a brutis potiſſimum differre ultro confiteri tenentur omnes, ita ut naturam humanam exuiſſe & brutorum naturam induiſſe videantur, qui affectibus abutuntur.

§. 521.

An affectus repræſentatione boni veri & mali veri concitari poſſint.

Affectus concitari poſſunt repræſentatione boni veri & mali veri. Etenim bonum verum non minus voluptatem & malum verum non minus tædium, ſive moleſtiam nobis creat, quam apparens (§. 559. 571. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum ex iis, quæ de affectibus demonſtrata ſunt in capite præcedente atque de iisdem tradita in Pſychologia empirica part. 2. ſect. 1. c. 3. conſtet, affectus concitari, quatenus objecta voluptatem, vel moleſtiam nobis creant; ideo affectus quoque concitari poſſunt repræſentatione boni veri & mali veri.

Experientia idem indies confirmat. Amant parentes liberos morigeros, iraſcuntur liberis ſcelus committentibus. Boni odio habent vitia & actus quoscunque peccaminoſos, aut, ſi mavis peccatum quodcunque, virtutis amore. Acquieſcentia in ſe ipſo concitatur rectitudine actionis cum errorem agnita & bonorum ac recte ſentientium judicium gloriam parit. Pœnitet homines facti revera mali, quia tale agnoſcitur. Pudet nos ea facere, aut feciſſe, quæ revera mala ſunt, quia talia agnoſcuntur, conſequenter quate-

nus facta noſtra ad bonorum & recte judicantium judicium referimus. Quodſi igitur quis ignoret affectus concitari poſſe repræſentatione boni veri & mali veri, aut ſi dubitet, num id fieri poſſit, id negligentiam attentionis ad ea, quæ in ſe ipſo fiunt, & quæ in aliis fiunt, arguit atque defectum reflexionis (§. 257. *Pſycb. empir.*), ſine qua non advertitur, quomodo affectus fuerit concitatus. Atque ita patet, uſum affectuum eſſe poſſibilem, nec ad ea referri poſſe, quæ in poteſtate hominis non ſunt. Quamvis itaque affectus eradicari non poſſint (§. 243.); iisdem tamen uti poſſumus, ut nobis ſint præſidium vitiis & adjumentum virtutibus, quod ſupra monitum (*not. §. cit.*) per propoſitionem præſentem extra omnem dubitationis aleam collocatur.

§. 522.

Quoniam affectus concitari poſſunt repræſentatione boni veri & mali veri (§. 521.), iidem vero tendunt ad aliquid obtinendum vel depellendum (§. 252.), nimirum ad obtinendum aliquod bonum, vel depellendum aliquod malum; *ſi affectus concitantur repræſentatione boni veri & mali veri, ad verum bonum obtinendum & ad verum malum depellendum tendunt.* Quamobrem cum uſus affectuum in eo conſiſtat, ut ad verum bonum obtinendum, ad verum malum depellendum tendant, (§. 517.); *qui uſum affectuum facere vult, eos concitare tenetur repræſentatione boni veri & mali veri, & præcavere, ne repræſentatione boni & mali apparentis concitentur.* *Quomodo uſus affectuum fieri poſſit.*

Uſum affectuum eſſe poſſibilem, ex propoſitione præcedente patet, quemadmodum jam annotavimus (*not.* §. 521.). Quomodo autem eundem facere debeamus, ex præſente liquet. Affectus concitare repræſentatione boni & mali ve-

ri non ſemper facile eſt; multo tamen difficilius præcavere, ne repræſentatione boni & mali apparentis concitentur. Immo vix dubito fore haud paucos, qui exiſtimaturi ſunt, ut repræſentatione boni & mali veri affectus concitentur non eſſe arbitrii noſtri, ac ad id, quod impoſſibile, referendum eſſe, ut præcaveamus, ne repræſentatione boni & mali apparentis concitentur. Sed cavendum eſt, ne præcipitemus judicia, antequam integram philoſophiæ moralis praxin habemus perſpectam, & antequam eidem operam continuam ac indefeſſam navavimus. Quæ in ſe ſpectata non impoſſibilia ſunt, ex demonſtrationibus doctrinarum ethicarum intelligitur; quantum vero in uniuscujusque poteſtate ſit, quod in ſe ſpectatum poſſibile agnoſcitur, id nonniſi experimento in ſe ipſo facto addiſci poteſt. In moralibus caſu quodam ſæpiſſime felici homines adducuntur ad faciendum, quod a ſe fieri poſſe minime putaſſent. Et peſſime conſultum foret generi humano, niſi hoc fieret. Huc vero qui animum advertit multa ad praxin moralem ſpectantia facili opera addiſcere valet.

§. 523.

De naturali obligatione faciendi uſus affectuum.

Ad uſum affectuum faciendum naturaliter obligamur. Qui enim uſum affectuum facit, is appetitum ſenſitivum determinat ad appetendum verum bonum & averſationem ſenſitivam ad averſandum malum verum (§. 517.). Quoniam itaque naturaliter obligamur ad appetendum verum bonum & averſandum malum verum (§. 265. *part.* 1. *Jur. nat.*); ad uſum affectuum faciendum naturaliter obligamur.

Cum omnis obligatio naturalis abſolute neceſſaria ſit (§. 142. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); minime arbitrii noſtri eſt, utrum uſum affectuum facere velimus, nec ne, ſed facere debemus. Quamobrem opera danda, ut habitum faciendi

hunc

hunc usum nobis cumparemus. Quomodo eundem facere possimus, in Ethica doceri debet, non modo in genere, verum etiam quoad singulas virtutes morales. Vix igitur condonanda videtur oscitantia philosophorum, qui haud postremam hanc philosophiæ moralis partem prorsus neglexerunt. Cum lex naturæ urgeat affectuum usum, neglectus ejus, utpote eidem contrarius, utique peccatum est (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*), referendus in eorum peccatorum numerum, quæ vulgo non agnoscuntur. Quanti vero interfit, ut agnoscatur, ex sequentibus clarissime eluceſcet.

§. 524.

Ad abusum affectuum vitandum naturaliter obligamur. Qui enim affectibus abutitur, ejus appetitus sensitivus tendit ad actiones malas committendas, bonas vero omittendas (§. 520.). Quamobrem cum lex naturæ nos obliget ad actiones intrinsece bonas committendas, intrinsece vero malas omittendas (§. 153. *part. 1. Phil. pract. univ.*), obligatio autem naturalis immutabilis sit (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); ad abusum affectuum vitandum naturaliter obligamur.

De naturali obligatione vitandi abusus affectuum.

Obligatio vitandi abusus affectuum facilius agnoscitur quam faciendi usus, quemadmodum in vulgus notum est. Damnum enim, quod incurrunt affectibus abutentes, & quam proni in scelera ruant, nimis apertum est, quam ut in oculos incurrere nequeat. Quemadmodum vero quæ ad praxin moralem pertinent, hactenus neglecta fuerunt in Ethica; ita quoque non est quod miremur, de vitando quoque abusu affectuum præter præceptum generale, ne affectuum impetu nos abripi patiamur ad actiones pravas, vel nobis nocuas, apud Philosophiæ moralis doctores vix quicquam occurrere. Quodlibet vitium peculiares sibi habet affectus, qui ad idem invitant, qui idem fovent, qui ad idem impellunt,

pellunt, utut pro diverſitate ſubjectorum aliarumque circumſtantiarum variantes. Contra hos pugnandum, ſiquidem a vitiis tibi cavere, aut ab iisdem animum liberare volueris. Cum abuſum affectuum vitare debeamus; abuſus iſte, utpote legi naturæ contrarius, utique peccatum eſt (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Qui id agnoſcere nolunt, falſo ſibi perſuadent, non eſſe in poteſtate noſtra, ut eundem vitemus, quod videant affectus oriri nobis de ipſis parum cogitantibus, immo invitis, quaſi hoc ita naturale ſit, ut nullam a voluntate libera dependentiam agnoſcat. Quamvis vero hic error paucis refutari non poſſit; ex iis tamen, quæ mox demonſtraturi ſumus, & in ſpeciali tractatione paſſim ſuo loco oſtendemus, contrarium eluceſcet. Lubens equidem fateor, utrumque perdifficile eſſe, cum facere uſum affectuum, tum abuſum vitare: at quod difficile eſt, propterea non referendum ad ea, quæ fieri non poſſunt. Habitus faciendi affectuum uſum & vitandi abuſum otioſis & ignaris non infunditur, nec ſufficit expectare occaſionem, qua oblata neceſſitas imperat exercitia, quibus habitus comparatur, ut veluti ſua ſponte adveniſſe videatur. A fortuna enim expectares ea, quæ induſtriæ fructus ſunt, & abſonum eſt, & admodum incertum. Quæ certo conſilio fieri poſſunt, ea aleæ committenda non ſunt. Et huc ducit ipſa naturalis obligatio (§. 296. *part. 5. Jur. nat.*).

§. 525.

Effectus uſus affectuum. *Qui affectibus utitur, actiones bonas fortius appetit, & ad eas committendas promptiſſimus eſt, actiones vero malas fortius averſatur & ad eas committendas difficillime adducitur, immo ab utroque propoſito non facile ſe, ſed potius difficillime dimoveri patitur.* Etenim non modo ardor agendi & non agendi ſive cupiditate & fuga, qui affectus ſunt (§. 810. 813. *Pſych. empir.*), minime oritur (§. 218. *part. 2. Phil. pract. univ.*) & amo-

amorem ejus, quod volumus, odium vero ejus, quod nolumus, qui itidem affectus ſunt (§. 649. 677. *Pſych. empir.*), exigit (§. 219. *part. 2. Phil. pract. univ.*); verum etiam affectus quilibet jucundi, quibus pro datis circumſtantiis locus eſt, ardorem agendi; moleſti vero, qui pro iisdem obtinent, ardorem non agendi intendunt (§. 243. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem qui affectibus utitur, cum eos dirigat ad bonum verum obtinendum & ad verum malum depellendum (§. 517.), ardorem actiones bonas committendi, malas vero omittendi excitat atque intendit, ſeu accendit atque alit. Enimvero qui ardore agendi flagrat, actionem fortius appetit & ad agendum promptiſſimus eſt (§. 223. *part. 2. Phil. part. univ.*) & qui ardore non agendi flagrat, actionem fortius averſatur & ad agendum difficillime adducitur (§. 225. *part. 2. Phil pract. univ.*), in utroque autem caſu non facile (§. 224. 226. *part. 2. Phil. pract. univ.*), immo ſi utroque flagret, omnium difficillime ſe dimoveri patitur (§. 227. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Qui igitur affectibus utitur, actiones bonas fortius appetit, & ad eas committendas promptiſſimus eſt, actiones vero malas fortius averſatur & ad eas committendas difficillime adducitur, & in utroque caſu a propoſito ſuo non facile, ſed potius difficillime ſe dimoveri patitur.

Clariſſime hinc eluceſcit, quantum momentum affera: ad praxin moralem affectuum uſus, ut hinc petatur motivum habitui affectibus utendi acquirendo operam indefeſſam navandi. Apparet quoque hinc neceſſitas ea in Ethica demonſtrandi, quæ ad affectuum uſum faciunt. Quamvis vero non diffiteamur, difficulter acquiri habitum iſtum; ejus tamen utilitas nos permovere debet, ut omnem moleſtiam inde percipiendam vincamus. Utilitatem vero nemo rite æſtimat,

æſtimat niſi qui cuſtodiam legis naturalis, ſeu actiones bonas committendi, malas omittendi felicitatis obtinendæ ac fruendæ unicum medium eſſe agnoſcit (§. 396. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Datur in ſerie perceptionum ac inde dependentium appetitionum & averſionum continuus nexus, perinde ac rerum in mundo materiali, ſeu eventuum in rerum natura, ita ut in determinationem præſentium influant præteritæ: id quod plus ſimplici vice inculcavimus. Atque hæc eſt ratio, cur motiva eadem in animis hominum promiſcue non eandem vim exerant. Talia motiva *impoſſibilia* ſunt, quorum vis reſpectu cujuslibet ſubjecti eadem eſt. Quamobrem nec eſt quod miremur, ſi fuerint plurimi, quos utilitas habitus utendi affectibus in præſenti demonſtrata non commovet ad indefeſſam diligentiam eundem ſibi comparandi, non attenta omni moleſtia, quæ diligentiam comitatur. Qui imbecilliores ſunt, quam ut eandem afferre poſſint, aut ſegniores, quam ut velint; ex præſenti tamen propoſitione rationem addiſcere poterunt, cur a propoſito actiones bonas committendi & malas averſandi tam facile recedant, aut ab aliis ſe tam facile ab eodem abduci patiantur. Relegenda hic ſunt, quæ de ardore agendi & non agendi demonſtravimus (§. 218. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*) & de ejus neceſſitate ad felicitatem conſequendam (§. 231. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 526.

Quid conferat uſus affectuum ad culturam virtutis & fugam vitiorum.

Ad culturam virtutis & fugam vitiorum maximum adjumentum affert affectuum uſus. Sumimus ex demonſtratione propoſitionis præcedentis, uſum affectuum incedere ac alere ardorem committendi actiones bonas & omittendi malas. Quamobrem cum ei, qui ardore flagrat nil quicquam agendi, quod legi naturæ adverſum, nec quicquam omittendi, quod eidem conforme, conſtans & perpetua ſit vo-

voluntas non committendi niſi actiones, quæ legi naturæ conformes ſunt (§. 232. *part. 2. Phil. pract. univ.*); uſus affectuum efficit voluntatem conſtantem & perpetuam non committendi niſi actiones, quæ legi naturæ conformes ſunt. Enimvero ad virtutem requiritur conſtans & perpetua voluntas non committendi actiones, niſi quæ legi naturæ conformes ſunt (§. 528. *part. 1. Phil. pract. univ.*), & conſequenter ad fugam vitiorum noluntas conſtans & perpetua committendi actiones legi naturæ contrarias (§. 322. *part. 1. Phil. Pract. univ.*). Quamobrem uſus affectuum maximum adjumentum affert ad culturam virtutis & fugam vitiorum.

Conſtantia & perpetuitas voluntatis virtuti eſſentialis eſt, ut perfecta nondum cenſeatur, quamdiu ea deficit (*not.* §. 328. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Eandem cum gignat uſus affectuum; quanta ſit ejus neceſſitas ad culturam virtutis & fugam vitiorum, intelligitur. Non deſunt multorum de imperfectione virtutis humanæ querelæ; ſed undenam ſit iſta imperfectio, non inquirunt. Accuſant imbecillitatem naturæ humanæ; aſt nimis propere, immo nimis audacter, cum nondum tentaverint, quid valeant vires. Obligamur tentare omnem facultatum uſum, quem ad imperfectionem vitandam facere cognoſcimus (§. 197. *part. 1. Jur. nat.*), immo hunc ipſum quoque uſum cognoſcere tenemur (§. 191. *part. 4. Jur. nat.*). Præcoces igitur iſtæ querelæ obligationi naturali adverſantur, quamvis vulgo id non agnoſcatur. Nocent quoque iſtiusmodi querelæ, quatenus omnem cogitationem ab uſu affectuum faciendo avertunt & ſegnitiei morali patrocinantur, ideoque maxime improbandæ.

§. 527.

An affectus boni, num vero mali ſint.

Affectus in ſe ſpectati boni ſunt, per abuſum vero mali efficiuntur. Etenim affectus in ſe ſpectati tendunt ad bo-

num obtinendum & malum depellendum (§. 252.), & ipſa natura hominis eundem obligat ad uſum affectuum faciendum (§. 523.), ut ſcilicet appetitus tendat ad verum bonum obtinendum & verum malum depellendum (§. 517.), atque fortius appetat bonas actiones & ad eas committendas promptior ſit, nec a propoſito eas committendi ſe facile dimoveri patiatur, ex adverſo autem actiones malas fortius averſetur, nec ad eas committendas ſe facile adduci patiatur, neque a propoſito actiones malas non committendi, ſeu eas omittendi ſe facile, quin potius difficillime, abduci patiatur (§. 525.). Quoniam itaque uſus affectuum facit ad perfectionem hominis (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*); affectus quoque in ſe ſpectati boni ſunt (§. 554. *Pſych. empir.*). *Quod erat unum.*

Enimvero ſi quis affectibus abutitur, iidem ad malas actiones committendas, bonas veto omittendas tendunt, & ad malas actiones eum impellunt (§. 522.). Quamobrem cum actiones malæ tendant ad imperfectionem noſtram ſtatusque noſtri (§. 106. *part. 1. Phil. pract. univ.*); affectus eodem tendunt, quando iisdem abutimur, cumque tunc ſint mali (§. 565. *Pſych. empir.*), abuſu iidem mali efficiuntur. *Quod erat alterum.*

Abſonum omnino eſt affectus dicere malos, quia iisdem abuti poſſumus & plerumque homines iisdem abutuntur. Ecquis enim dixerit, operationes intellectus eſſe malas, quia homines iisdem abutuntur in judicando & ratiocinando? Qui hoc faciunt, non eum faciunt operationum intellectus uſum, quem facere debent ac poterant, ſi rectum intellectus uſum acquirere non neglexiſſent. Immo ecquis malam dixerit gulam, quia eadem abutitur helluo cibo ac potu ſe ingurgitans? Natura intendit uſum, non abuſum, cum

ad

ad illum faciendum, ad hunc vitandum nos obliget, id quod de affectibus quoque demonstravimus (§. 523. 524.). Quod itaque propter usum datum intelligitur, propter abusum, in quem trahitur, malum dici nequit, sed bonum censeri debet. Ensis instrumentum bonum est, quia defensioni sui & rerum suarum destinatur, sed malum efficit abusus, si quis hominem innocentem eodem vulnerat, vel interficit. Risum movet, qui contra ensem ejusque inventorem vehementissime declamat, propterea quod eodem innocens vulneratus, aut interfectus fuit. Judicent ergo alii, quo loco habendi sint contra affectus declamantes. Affectus in se spectati sunt actus appetitus sensitivi & aversationis sensitivæ vehementiores (§. 603. *Psych. empir.*), quibus id, quod volumus, fortius appetimus, & quod nolumus fortius aversamur (§. 223. 225. *part. 2. Phil. pract. univ.*), & voluntatem ac noluntatem efficiunt constantem (§. 232. *part. 2. Phil. pract. univ.*), atque ita per naturam suam destinantur ad culturam virtutum & fugam vitiorum (§. 526.), perinde ac ensis ad defensionem, ad quam per formam suam aptus est. Abusus itaque affectibus perinde ac ensi accidit. Nec obstat abusum esse frequentiorem usu, cum frequentia abusus nihil immutet in re ipsa. Datur rerum optimarum abusus, quæ tamen propterea non desinunt esse tales, quales sunt. Stoici affectus omnes malos esse arbitrabantur, ideoque eliminandos esse statuebant. Ast rectius contra eos defendit *Henricus Morus* in Enchiridio Ethico lib. 1. c. 6. eos esse sua natura bonos ac divinæ providentiæ scopum non minus in ipsorum usu, quam in structura organorum corporis cujusvis animalis deprehendi, ac idem ex nostris demonstrationibus & annotationibus clarius & evidentius apparere atque intelligi confido. Ceterum supra quoque jam ostendimus affectus per se malos dici minime posse (§. 157.). Videantur quoque, quæ supra de inclinatio-

nibus & reclinationibus naturalibus communibus in ſe nihil vitii habentibus annotavimus (*not.* §. 41.).

§. 528.

Regimen affectuum in quo conſiſtat & quod eos regere debeamus.

Regimen affectuum eſt actus intellectus, quo bonum verum ab apparente ſeparatur, ne falſa opinione concitetur &, ſi opinione falſa concitetur affectus, eadem corrigitur. Quamobrem cum uſus affectuum in eo conſiſtat, ut tendant ad obtinendum verum bonum & depellendum verum malum (§. 517.), abuſus vero in eo, ut tendant ad actiones malas committendas & bonas omittendas, vel impediendas (§. 520.), ſeu, quod eodem recidit, ut malum appetamus ſub ratione boni, bonum autem averſemur ſub ratione mali (§. 896. *Pſych. empir.*), & naturaliter obligemur ad faciendum affectuum uſum (§. 523.), atque vitandum abuſum (§. 524.); *intellectus regere debet affectus, & regimen affectuum complectitur directionem eorundem ad obtinendum verum bonum & depellendum verum malum, atque ſtudium domandi affectus, ne eorum impetu abrepti ruamus in malum & jacturam boni faciamus, ſive quod actu habemus, ſive quod conſequi poſſumus.*

Neglectus itaque hujus regiminis in cauſa eſt, ut affectus induant ſpeciem mali, quam a natura non habent. Non major vero eſt difficultas hoc videre quoad appetitum & averſationem, quam quoad intellectum. Nemo intellectum accuſat, quia homines eodem non recte utentes in errorem incidunt, aut ſenſus & imaginationem in numerum malorum referunt, quod intellectus eorum miniſterio non recte utens falſum pro vero amplectitur. Quamadmodum itaque facultatibus cognoſcitivis in ſe ſpectatis non tribuitur, quod abuſui & non uſui eorundem tribuendum; ita multo minus facul-

facultatibus appetendi & averſandi in ſe ſpectatis tribui poteſt, quod ab earum abuſu venit, cum actus earundem toti dependeant a facultatibus cognoſcitivis, prouti dudum evicimus & in vulgus notum eſt. Ceterum cum regimini intellectus ſubeſſe debeant affectus, ne eorum uſus negligatur & ut abuſus evitetur; ideo explicatio hujus regiminis ad Ethicam maxime ſpectat, neque ſufficit idem in genere demonſtrari, ſed quale eſſe debeat in qualibet virtute & oppoſitis eidem vitiis oſtendendum. Ipſi ſane virtuti labem adſpergit neglectus hujus regiminis, immo virtutem in vitium haud raro convertit. Ac ideo de impedimentis in genere agentes jam demonſtravimus, affectus impedire, quo minus virtus colatur, & hominem ad vitia abripere (§. 541. *part. 2. Phil. pract. univ.*).

§. 529.

Dependentia perfectionis appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ a regimine affectuum.

Appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva regimine affectuum perficitur, ſeu ſi appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva perfectione carere non debet, regimine affectuum opus eſt. Etenim ſi appetitus ſenſitivus perfectus eſſe debet, non ferri debet niſi in bonum verum, & ſi averſatio ſenſitiva perfecta eſſe debet, non reclinari debet niſi a malo vero (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*). Quamobrem cum regimen affectuum ſit actus intellectus, quo bonum verum & malum verum ab apparente ſeparatur, ne affectus falſa opinione boni vel mali concitentur, &, ſi eos falſa opinione concitari contingat, ea corrigitur (§. 528.), affectus vero tendunt ad bonum obtinendum & ad malum depellendum (§. 252.); ſi appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva perfectione ſua carere non debet, regimine affectuum opus eſt.

Affectus ſunt actus vehementiores appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ (§. 603. *Pſych. empir.*), & vehementia efficit appetitum & averſationem conſtantem atque perpetuam (§. 243. 232. *part. 2. Phil. pract. univ.*). In hac vehementia appetendi & averſandi atque aptitudine gignendi conſtantiam & perpetuitatem appetendi & averſandi conſiſtit perfectio facultatum appetendi & averſandi ſenſitivarum naturalis, ob quam affectus boni intelliguntur (§. 554. *Pſych. empir.* & §. 756. *part. 1. Jur. nat.*). Ad perfectionem naturalem accedit accidentalis, quando facultates iſtæ tendunt ad bonum verum obtinendum & malum verum depellendum (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*). Quando igitur affectus induunt ſpeciem mali, id debetur defectui perfectionis accidentalis, quæ acquiri debebat, perinde ac error deficienti recto uſui intellectus, in quo conſiſtit perfectio ipſius accidentalis, quam acquirere obligamur. Similiter perfectio voluntatis naturalis conſiſtit in eo, quod ſit determinabilis per bonum; accidentalis vero, quod non determinetur niſi per bonum verum. Neglectui perfectionis accidendalis acquirendæ debetur, quando determinatur per malum, quod bonum apparet. De affectibus itaque nihil affirmatur, quando naturaliter ſeu in ſe ſpectati boni dicuntur, quod non etiam valeat de ceteris animæ facultatibus & ipſarum actibus. Dependet uſus omnium facultatum a recto uſu intellectus, quo eædem reguntur & regi debent, quia lex naturae urget conſenſum omnium facultatum inter ſe, ſeu uſuum earundem (§. 201. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 530.

Quod affectus regere naturaliter obligemur

Quoniam appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva regimine affectuum perficitur (§. 529.), utramque autem facultatem perficere debemus (§. 273. *part. 1. Jur. nat.*); *affectus* quoque *regere*, conſequenter *operam dare debemus*, *ut eos regere diſcamus*, *ſeu habitum eos regendi acquiramus*.

Non

Non arbitri noſtrii eſt, utrum affectus regere velimus, an nolimus, ſed lex naturæ regimen hoc urget, conſequenter qui regimen hoc negligit, peccat (§. 440. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Regimen autem affectuum homini naturale non eſt, ſed multo demum ſtudio acquirendum: neque enim diffitendum, id in omni praxi morali difficillimum eſſe. Et quamvis negari non poſſit, hominem caſu ſæpe doceri regimen affectuum; non tamen idem univerſale eſt, cum non extendatur ad affectus omnes, ſed ſaltem ad unum, vel alterum, nec perpetuum, ita ut eundem regat in omni caſu, cum rariones particulares ſint, cur in hoc caſu eundem regat, non vero in alio, a circumſtantiis particularibus, per quas caſus regiminis determinatur, deſumendæ. Quamobrem negotium tam arduum, quale eſt regimen affectuum, fortunæ non committendum.

§. 531.

Quomodo regimen affectuum acquiratur.

Quia affectus regere debemus, ideoque operam dare, ut habitum eos regendi acquiramus (§. 530.), regimen autem affectuum complectitur directionem eorundem ad verum bonum obtinendum & verum malum depellendum, atque ſtudium domandi affectus, ne eorum impetu abrepti in malum ruamus aut jacturam boni, quod vel habemus, vel acquirere poſſumus, faciamus (§. 528.), illud autem obtinetur, ſi affectus repræſentatione boni veri concitentur, hoc autem, ſi ſedentur (§. 431.); *qui habitum affectus regendi ſibi comparare vult, is addiſcere debet, quomodo affectus concitentur & ſedentur, atque operam dare, ut repræſentatione boni veri ac mali veri eosdem concitet, &, ſi qui opinione falſa concitati fuerint, eosdem ſedet*, conſequenter *vel extinguat, vel imminuat.*

Qui

Qui affectus repræſentatione boni & mali veri concitare & aliter concitatos ſedare poteſt, is regimen affectuum in poteſtate ſua habet. Enimvero non ſufficit noſſe, quomodo affectus ſint concitandi & ſedandi, ut eos actu concitemus & ſedemus, quando alterutro opus eſt; ſed præterea requiritur habitus eosdem tam concitandi, quam ſedandi, qui ſicuti ceteri habitus omnes nonniſi continuo exercitio acquiritur (§. 430. *Pſych empir.*) & continuo uſu conſervatur ac perficitur (§. 431. *Pſych. empir.*). Atque hinc intelligitur, cur regimen affectuum adeo rarum ſit, præſertim univerſale, quod extenditur ad affectus omnes, atque perpetuum, quod obtinet quoad eundem affectum in omni caſu. Nemo enim eſt, qui de affectibus regendis cogitet & in regimine acquirendo induſtriam ſuam exerceat, niſi ſubinde caſus urgeat neceſſitatem affectus regendi ac inprimis eum ſedandi, aut ſaltem domandi, ne præſentiſſimo periculo nos exponamus.

§. 532.

De conſenſu appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ cum rationali.

Si appetitus ſenſitivus fuerit reductus ad conſenſum cum rationali, ſeu voluntate perfecta, et averſatio ſenſitiva reducta fuerit ad conſenſum cum averſatione rationali, ſeu nolunt'ate perfecta; affectus regimini intellectus ſubjiciuntur. Etenim ſi appetitus ſenſitivus conſentit cum rationali, uterque ad idem objectum tendit (§. 908. *Pſych empir.*). Quamobrem cum voluntas perfecta non commoveatur niſi bono vero (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*); ſi cum eadem conſentit appetitus ſenſitivus, nec is commovetur niſi bono vero. Similiter ſi averſatio ſenſitiva conſentit cum averſatione rationali, ſeu noluntate perfecta, utraque verſatur circa idem objectum, ſeu in eodem objecto concurrit (§. 915. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum noluntas perfecta determinetur nonniſi per-

ſi per malum verum (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*); averſatio quoque ſenſitiva nonniſi per malum verum determinatur. Quoniam itaque affectus concitantur repræſentatione boni & mali (§. 605. *Pſych. emir.*); ſi appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali, ſeu voluntate & noluntate perfecta conſentiunt, affectus, qui ſunt appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ actus vehementiores (§. 603. *Pſych. empir.*), non concitantur niſi repræſentatione boni & mali veri. Enimvero ſi affectus repræſentatione boni & mali veri concitantur, intellectus eos regit (§. 528.). Quodſi ergo appetitus ſenſitivus fuerit reductus ad conſenſum cum rationali, ſeu voluntate perfecta, & averſatio ſenſitiva reducta fuerit ad conſenſum cum rationali, ſeu noluntate perfecta, affectus regimini intellectus ſubjecti ſunt.

Videmus itaque regimen affectuum obtineri reductione appetitus ſenſitivi ad conſenſum cum rationali & averſationis ſenſitivæ ad conſenſum cum averſatione rationali. Quodſi eo usque profeciſſe aliquem ſupponamus, ut appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali ſua quaſi ſponte conſentiat, ut nulla amplius detur pugna inter facultates appetendi & averſandi ſuperiorem atque inferiorem in appetendo & averſando, affectus quoque cum appetitu rationali & averſatione rationali conſentient (§. 275. *part. 1. Jur. nat.*), & regimini intellectus ſua veluti ſponte ſubjiciuntur, cum non concitentur niſi repræſentatione boni veri & mali veri. Quando affectus concitantur opinione falſa boni & mali, ſi mutata opinione ſedandi (§. 432.), appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva ad conſenſum cum rationali reducitur, atque hac reductione affectus regimini intellectus ſubjiciuntur. Cererum quando conſenſum appetitus ſenſitivi cum rationali explicamus per conſenſum cum

voluntate perfecta; ſignificatum, quem conſenſui iſti tribuimus (§. 908. *Pſych. empir.*), non immutamus. Etenim in philoſophia morali ſemper ſupponimus, quando de uſu facultatum ſuperiorum loquimur, ut in eorundem actu non hæreat vitium, niſi expreſſe aliud dicatur, aut ex ſubſtrata materia intelligatur. Etenim ſi intellectus in judicando ſupponit notionem boni falſam, id vel abuſui, vel non uſui tribuendum, & quando judicio erroneo determinatur voluntas, eodem corrumpitur. Quando igitur de appetitu rationali, cujus uſus in moralibus requiritur, ſermo eſt, nunquam voluntas corrupta intelligenda, ſed potius perfecta, qualis dependet a recto intellectus uſu. Ac ideo quoque appetitus dicitur rationalis, quia rationi conformis eſt atque ab uſu rationis dependet, cum ſenſitivus dependeat a ſenſu. Sane ſi in conſenſu appetitus ſenſitivi cum rationali ſupponere vellemus voluntatem corruptam, ſeu quatenus a judicio erroneo intellectus dependet; appetitum rationalem ſenſui ſubjiceremus & ab eo dependentem efficeremus, ſicque revera eundem in ſenſitivum verteremus. Aliud nimirum eſt velle, quod appetitus ſenſitivus cupit, quatenus is opinione boni confuſa determinatur; aliud vero velle, quod intellectus uſu bonum agnoſcitur, & eodem flectere appetitum ſenſitivum, ne opinione contraria vertatur in partem contrariam. Etenim tum apppetitus ſenſitivus rationalem ſibi ſubjicit, aut in pugna vincit (§. 562. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Idem intelligtur de averſatione rationali, pro quo noluntatem perfectam dicimus.

§. 533.

Iſta reductio medium conſequendi regimen intellectus.

Quoniam affectus regimini intellectus ſubjiciuntur, ſi appetitus ſenſitivus reducatur ad conſenſum cum rationali & averſatio ſenſitiva ad conſenſum cum averſatione rationali (§. 532.); *quæ de reducendo appetitu ſenſitivo ad conſenſum*

ſenſum cum rationali & de reducenda averſatione ſenſitiva ad conſenſum cum averſatione rationali in philoſophia practica univerſali demonſtrata ſunt, ad regimen affectuum conſequendum trahenda.

De reductione appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ ad conſenſum cum rationali prolixe egimus alias (§. 572. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*), & eam reduximus ad reductionem ſenſuum atque imaginationis ad conſenſum cum intellectu in repræſentando bono & malo (§. 581. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem huc potiſſimum ſpectant, quæ de modo reducendi ſenſum & imaginationem in repræſentando bono & malo ad conſenſum cum intellectu demonſtravimus atque annotavimus (§. 582. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Cum maxime ardua ſit reductio appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ ad conſenſum cum rationali, regimen autem affectuum non ante perfectum, quam illa feliciter abſoluta; difficultas quoque regiminis affectuum obtinendi inde perſpicitur.

§. 534.

Si quis certus eſſe velit, ſibi affectus omnes, quibus commoveri poteſt animus, perſpectos eſſe; is perpendere tenetur, quibus certi reddamodis bonum & malum repræſentari poſſit, & num hi omnes in mur, nobis definitionibus realibus affectuum, quas novit, contineantur. Etenim affectus concitantur repræſentatione boni & mali (§. 605. *Pſych. empir.*), & a magnitudine boni vel mali pendet gradus eorundem (§. 256.), ex definitionibus autem eorundem realibus intelligitur, quomodo bonum vel malum repræſentari debeat, ut hic vel iſte affectus oriatur. Quodſi ergo quis certus eſſe velit ſibi affectus omnes, quibus commoveri poteſt animus, perſpectos eſſe; is perpendere tenetur, quot modis bonum, vel malum repræſentari poſ-

Quomodo omnes affectus eſſe notos.

ſit, & num hi omnes in definitionibus realibus affectuum, quas novit, contineantur.

Oſtendimus ſupra, qui uſum affectuum addiſcere vult, eundem omnes affectus noſſe debere (§. 518.). Nec minus intelligitur, eorum notitiam neceſſariam eſſe, ſi quis regimen affectuum acquirere voluerit (§. 531.). Quamobrem certi quoque ſimus neceſſe eſt, numerum omnium affectuum nobis eſſe notum, nec præter eos, quos novimus, dari adhuc alios. Hic igitur docendum erat, quomodo certi fieri poſſimus, omnes nobis eſſe notos.

§. 535.

De cognitione dependentiæ affectuum a ſe invicem ad eorum regimen requiſita.

Ad regimen affectuum requiritur, ut dependentia affectuum a ſe invicem nobis ſit perſpecta. Etenim qui affectus regere vult, in ejus poteſtate eſſe debet tam concitare, quam ſedare affectus (§. 531.). Enimvero qui affectus concitare, vel ſedare, ideoque extingvere, aut imminuere vult (§. 431.); is omnino noſſe debet, quinam affectus alium præſupponat, ita ut absque ea alteri non fit locus, conſequenter dependentia affectuum a ſe invicem ipſi perſpecta eſſe debet (§. 851. *Ontol.*). Ad regimen igitur affectuum requiritur, ut dependentia affectuum a ſe invicem nobis ſit perſpecta.

Affectus a ſe invicem dependere, ex iis patet, quæ paſſim in Pſychologia empirica demonſtravimus, cum de affectibus ageremus. Ita demonſtravimus, commiſerationem præſupponere amorem (§. 688. 689. *Pſych. empir.*), invidiam vero odium (§. 707, 708. *Pſych. empir.*). Ad regimen autem affectuum requiritur, ut hæc dependentia intime & penitius inſpiciatur. Quodſi vero inquiſiverimus in omnes poſſibiles repræſentationes boni atque mali, quibus affectus concitari poſſunt; inde quoque colligetur, quinam affectus

ctus ab aliis dependeant. Hæc dependentia affectuum, a se invicem nos quoque docet, quinam ad certos affectus suscipiendos sint ceteris aptiores: id quod nosse conducit ad illorum regimen.

§. 536.

Affectuum enumeratio.

Bonum & malum spectari potest vel simpliciter, qua tale, absque omni respectu alio, nec ullis attentis circumstantiis, quatenus scilicet nobis voluptatem, vel molestiam creat (§. 558. 569. *Psych. empir.*), ideoque objectum placet, vel displicet (§. 542. *Psych. empir.*), vel cum certo respectu ad nos, aut alios attentis certis, aut nullis circumstantiis. Quodsi bonum simpliciter spectatur, qua tale est, seu, quatenus objectum, cui inhæret, placet, *Amor* oritur (§. 649. *Psych. empir.*); si vero malum simpliciter spectatur, quatenus objectum ob id displicet, *Odium* (§. 677. *Psych. empir.*). Quodsi bonum & malum considereturcum certo respectu & attentis certis circumstantiis, tum vel spectari potest aut cum respectu ad nos, vel cum respectu ad alios, quatenus vel præsens est, vel absens. Quodsi bonum spectetur cum respectu ad nos, quatenus præsens est, *Gaudium* oritur (§. 624. *Psych empir.*), quatenus vero absens est, *Cupiditas* (§. 810. *Psych. empir.*: si vero malum consideremus cum respectu ad nos, quatenus præsens est, *Tristitia* oritur (§ 623. *Psych. empir.*), quatenus vero absens est, *Fuga* (§. 818. *Psych. empir.*). Quoniam amans cum amato unitur, ut tanquam persona eadem cum amante spectari possit, qui amatur (§. 660 *Psych. empir.*); facile intelligitur, quod gaudium, tristitia, cupiditas & fuga etiam extendantnr ad alios, ita ut gaudeamus alieno bono, et quod aliis bonum est, non nobis, sed

ipſis cupiamus, & contriſtemur alieno malo, citra reſpectum ad alienum, & quod alteri malum eſt fugiamus non noſtri, ſed ipſius cauſa. Quodſi bonum vel malum, præſens cum reſpectu ad alios conſideratur, duplici modo ſpectari poteſt, vel quatenus alterum putamus dignum bono, aut malo, vel quatenus eundem eo indignum exiſtimamus. Si alterum judicamus bono dignum, quando affectus oritur, gaudemus, niſi autem ſingularis adſit amor, nullus concitatur, ac ideo quoque nullum proſtat nomen, quo eum ab alio diſtingvimus; ſi vero dignum judicamus malo, *Irriſio* (§. 741. *Pſych. empir.*). Si indignum exiſtimamus bono, *Invidia*; (§. 714 *Pſych. empir.*); ſi malo, *Commiſeratio* naſcitur (§. 695. *Pſych. empir.*). Malum abſens ſpectatur vel ut eventu poſſibile, vel ut jam appropinquans, et bonum tanquam obtentu poſſibile, aut certo obtinendum, itidemque illud vel tanquam evitatu, hoc tanquam obtentu impoſſibile. Et tum præterea tam bonum, quod cupimus, quam malum, quod fugimus, vel includit nullam dependentiam a nobis, vel ſpectatur tanquam aliquo modo a nobis dependens. Quodſi bonum abſens absque ulla a nobis dependentia ſimpliciter ſpectatur tanquam obtentu poſſibile, *Spes* (§. 800. *Pſych. empir.*); ſi tanquam certo obtinendum, *Fiducia* oritur (§. 802. *Pſych. empir.*); ſi malum tanquam eventu poſſibile, *Metus* (§. 822. *Pſych. empir.*), ſi tanquam jam appropinquans, *Timor* (§. 823. *Pſych. empir.*), ſi tanquam evitatu impoſſibile, *Deſperatio* (§. 825. *Pſych. empir.*). Quodſi bonum, vel malum dependentiam quandam a nobis includit, animum ſimul attendimus ad media eorundemque executionem. Si hæſitamus in electione mediorum, vel in modo exequendi,

Vacil-

Vacillatio animi;(§. 835. *Pſych. empir.*),ſi impedimenta in executione oblata tanquam inſuperabilia ſpectamus, *Puſillanimitas* (§. 844. *Pſych. empir.*), ſi vero difficultates tanquam ſuperabiles, *audacia*, ſive *animoſitas* oritur (§. 850. *Pſych. empir.*). Aſt ſi contingat, malum ex improviſo oriri, *Terror* (§. 829. *Pſych. empir.*), ſi vero malum, ſive adhuc futurum, ſive jam præſens, ſive præterium tanquam arduum nobis repræſentamus, *Horror* excitatur, & mora boni venturi, quod ſperamus, *Deſiderium* concitat (§. 853. *Pſych. empir.*), malum vero jam præteritum, itidemque periculum evaneſcens *Hilaritatem* (§. 855. *Pſych. empir.*), & ſi duratio minuit voluptatem, vel prorſus in moleſtiam vertit, *Faſtidium* (§. 859. *Pſych. empir.*), aut *Satietatem* (*not.* §. 505.). Nimirum in hisce affectibus tempus potiſſimum attenditur: etenim in horrore quoque malum futurum, atque præteritum per modum præſentis nobis repræſentamus, ita ut imago ejus quaſi oculis oberret. Denique bonum & malum conſiderari quoque poſſunt ratione cauſæ, ſive ad nos ſpectent, ſive ad alios. Bonum, cujus nos cauſa ſumus, reſpectu opinionis noſtræ *Acquieſcentiam in ſe ipſo* (§. 749. *Pſych. empir.*); reſpectu opinionis aliorum, *Gloriam* ſuſcitat (§. 769. *Pſych. empir.*); aſt malum, cujus cauſa nos ſumus, reſpectu opinionis noſtræ *Pœnitentiam* (§. 759. *Pſych. empir.*), reſpectu opinionis aliorum *Pudorem* (§. 779. *Pſych. empir.*). Bonum & malum, cujus cauſa alius eſt, ſpectari poteſt tanquam nobis, vel tanquam aliis factum, aut absque reſpectu ejus, cui factum eſt. Quodſi bonum conſideretur tanquam nobis factum, *Gratitudo* (§. 789. *Pſych. empir.*), ſi absque reſpectu ejus, cui factum, ſive factum fuerit nobis, ſive aliis, *Favor* oritur (§. 792. *Pſych. empir.*). Aſt ſi malum

lum conſideremus tanquam nobis, vel ſubinde etiam tanquam aliis factum (§. 874. 875. *Pſych. empir.*), *Ira*; vel *Indignatio oritur*, prouti cupiditas vindictæ adfuerit, vel abfuerit (§. 868. 572. 873. *Pſych. empir.*). Quoniam tamen plerumque cupido vindictæ adeſt, ſi malum nobis factum, aſt abeſt, ſi factum fuerit aliis; ideo plerumque iraſcimur, ſi malum nobis factum, indignamur vero, ſi factum fuerit aliis.

Quodſi hactenus dicta ſatis perpendantur, affectus a *Carteſio*, quem in Pſychologia empirica in enumeratione affectuum ſecuti ſumus, ſufficienter fuiſſe enarratos patet, ita ut verendum non ſit, dari forſan præterea alios, qui in praxi morali attentionem merentur. Sunt tamen quædam adhuc monenda, ne vel vi eorum, quæ modo dicta ſunt, affectus quidam prætermiſſi, aut vulgo non agniti videantur. Homo etiam ſeipſum conſiderare poteſt tanquam diverſum a ſeipſo, quod alias jam me inculcaſſe memini, ſcilicet per abſtractionem ſe conſiderat tanquam ſubjectum, cui nonniſi certa quædam inſunt, quæ eidem conveniunt. Et in præſenti quidem non ſpectantur niſi ea, quæ nobis voluptatem, & moleſtiam creant, ideoque opinione noſtra bona, vel mala ſunt. Atque hinc eſt, ut nos ipſos quoque amemus & ſubinde quoque odio habeamus, immo nobismet ipſis iraſcamur, aut ſaltem indignemur. Et eadem de cauſa amor & odium, immo etiam ira extenduntur etiam ad animalia & res inanimatas, quia etiam animalia & res inanimatæ conſiderantur tanquam tale ſubjectum, quale in his affectibus ſpectatur homo: id quod in aliis quoque affectibus obtinet, veluti in commiſeratione triſtitia, gaudio. Quod alios quoque ſpectemus tanquam nosmet ipſos, atque ideo affectus, qui nos reſpicere ſaltem videntur, extendantur quoque ad alios, immo ad ipſa animalia & res inanimatas, in ipſo contextu jam monuimus.

Præ-

Præterea hic quoque notandum eſt, abſentiam mali ad bonum (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), & abſentiam boni ad malum eſſe referendum (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*); ideoque affectus moleſtos comitantur quoque jucundi, vel iisdem permiſcentur, aut ab illis in ortu ſuo dependent. Inde eſt ut, dum malum fugimus, liberationem a malo cupiamus, & ſic cupiditas a fuga dependeat. Quod ſi ad hæc animum attendamus, nihil difficultatis nobis occurret circa definitiones reales affectuum. Sunt equidem nonnulli, qui pulchrum a bono, deforme a malo diſtingvunt, ideoque amorem, qui opinione pulchritudinis concitatur, *Complacentiam*; odium, quod opinione deformitatis concitatur, *Horrorem*, ſeu *Averſionem* appellant. Enimvero cum pulchra nobis placeant, deformia diſpliceant (§. 543. *Pſycb. empir.*), id vero placeat, ex quo voluptatem percipimus, & diſpliceat, ex quo tædium ſive moleſtia percipitur (§. 542. *Pſycb. empir.*), opinione autem affectuum genetrice bonum non aliter repræſentetur, quam quod voluptatem creet, nec malum aliter, quam quod moleſtiam pariat; complacentia, quæ dicitur, non alio modo excitatur, quam amor reliquus, nec horror, qui vocatur, aliter quam odium reliquuum, ut ideo nulla ſuperſit ratio, cur amorem iſtum a reliquo amore, odium hoc a reliquo odio tanquam affectus peculiares diſtingvere velimus. Neque enim entia multiplicanda ſunt præter neceſſitatem. Sane ne hoc fiat, ad conſervandam notionum nniverſalitatem, aut eandem amplificandam in notionibus univerſalibus admittimus fictiones, non ſine magno emolumento. Bonum vero atque malum aliis modis conſiderari non poſſe, quam quo in enumeratione affectuum ſuppoſuimus, haud difficulter capiet, qui perpendit, bonum hic non aliter ſpectari, quam quatenus nobis voluptarem creat, nec malum aliter, quam quatenus moleſtiam parit. Etenim nemo non videt, bonum & malum tum ſpectari poſſe vel ſimpliciter, vel cum reſpectu ad cer-

tas perſonas, vel ſub certis circumſtantiis, & ſi conſideratur cum reſpectu ad certas perſonas, tum id referri vel ad nos, vel ad alios, quatenus vel nobis, vel aliis obtingit, idque vel dependentiam quandam a nobis includit, vel non includit, aut quatenus vel nos, vel alii ſumus eorundem cauſa; ſi vero ſub certis circumſtantiis conſideratur, id ſpectari vel tanquam præſens, vel tanquam abſens, tuncque vel tanquam præteritum, vel tanquam futurum. Huc nimirum redeunt diverſi illi modi, quibus bonum atque malum ſpectatur, ut affectus quidam concitetur.

§. 537.

Dependentia cupiditatis ab amore.

Quod cupimus, id amamus. Quod enim cupimus, id nobis repræſentamus tanquam bonum abſens (§. 810. *Pſych. empir.*), conſequenter etiam tanquam bonum in ſe ſpectatum. Enimvero quod tanquam bonum ſimpliciter ſpectatur, quatenus ſcilicet in ſe tale eſt, id amamus (§. 536.). Quamobrem quod cupimus, id amamus.

Poſtquam affectuum enumerationem abſolvimus (§. 536.), ut conſtet, nobis affectus omnes eſſe cognitos (§. 519.): nunc porro oſtendendum eſt, quomodo affectus a ſe invicem dependeant (§. 535.). Ita nimirum omnium optime intelligemus, quomodo ſtudium acquirendi regimen affectuum ſit inchoandum, & quomodo ſit progrediendum, ne quod in ſe arduum eſt, efficiatur magis moleſtum, nec difficultate deterreamur ab eo, quod ad culturam virtutis & fugam vitiorum maximum adjumentum affert, & utrumque facilitat. Dependentiam cupiditatis ab amore exempla obvia loquuntur, modo ad ea attentionem ſufficientem ſufficiensque acumen afferamus. Si quis cupit habere librum, nonne ipſi placet liber, aut id, propter quod eum habere cupit, ſeu nonne ideo eum habere cupit, quia placet, vel quia placet id, propter quod eum habere cupit? Quod vero

vero nobis placet, id amamus (§. 654. 542. *Pſych. empir.*). Sicuti vero eadem non omnibus placent, ita quoque non eadem cupiunt omnes. Similiter qui in foro videt rem quandam, quæ placet, niſi adſint rationes, quæ cupiditatem reprimunt eamque oriri non ſinunt, eam habere cupit. Et affectum hunc ſatis prodit dicens, ſe rem iſtam habere malle, ſeu, ſi fieri poſſet, ſeſe velle, ut eſſet ſua. Amor igitur cupiditatem accendit. Quodſi quis rem quandam emere vult, nonne eligit eam, quæ maxime placet, manifeſto indicio cupiditatem inſtillatam fuiſſe ab amore. Eſt itaque amor mater cupiditatis, cupiditas proles amoris. Valet vero idem non modo de animalibus & rebus inanimatis, verum etiam de perſonis. Si cui placet juvenis vel ob morum ſuavitatem, vel ob formæ elegantiam; eundem amat. Amor gignit cupiditatem, ut optet talem habere filium, vel ut vellet, ſiquidem fieri poſſet, hunc eſſe filium ſuum. Obtinet idem in aliis caſibus, ubi ejus, quod cupimus, compotes fieri poſſumus, aut ſaltem nos fieri poſſe putamus, veluti ſi propter id, quod nobis placet, ideoque aliquem amamus, eodem familiari uti cupimus.

§. 538.

Ab amore dependent omnes affectus jucundi. Affectus enim jucundi opinione boni concitantur (§. 605. 608. *Pſych. empir.*). Quamvis itaque affectus ſinguli exigant, ut bonum ſingulari quodam modo repræſentetur (§. 536.); quomodocunque tamen repræſentetur, ſemper tamen quoque ſpectatur tanquam bonum ſimpliciter, ſeu qua tale. Quoniam itaque amor oritur, ſi bonum ſimpliciter ſpectetur (§. *cet.*), neceſſe vero eſt ut ante ſpectetur tanquam bonum ſimpliciter, quam certo quodam modo ſpectari poſſit; amor quoque excitatur, antequam concitetur affectus

Dependentia affectuum jucundorum ab amore in genere demonſtrata.

alius jucundus. Atque ita affectus jucundus quicunque ab amore dependet (§. 851. *Ontol.*).

Amor in omni affectu jucundo occluſus latet, ideoque non ſemper advertitur, præſertim cum progreſſus ab amore ad affectum alterum adeo celer ſit, ut in tempuſculo non perceptibili contingat. Exempli loco ſit gaudium, ſive lætitia. Gaudium concitatur opinione boni præſentis (§. 624. *Pſych. empir.*), ſeu quando quod bonum eſſe putamus nobis præſens eſt. Quanprimum id conſpicimus & voluptatem ex eo percipimus, idem nobis placet (§. 542. *Pſych. empir.*), itaque amor oritur (§. 536.) Quando vero id conſideramus tanquam noſtrum & quod jam habemus, conſequenter quod præſens eſt, voluptas incrementa capit, atque ita gaudium oritur (§. 614. *Pſych. empir.*). Experimentum capere poſſumus, in quo amor gaudium præcedens obſervare poſſumus. Ponamus te alteri monſtrare nummum aureum, qui ipſi placet. Amorem prodet cupiditas verbis ſignificata, quam ab eo pendere antea demonſtravimus (§. 537), etiam ſi alia ſigna a vultu imprimis deſumenda non attendantur. Quodſi eundem ipſi dones, mox gaudio perfundetur, voluptate incrementa majora capiente. Oſtendemus in ſequentibus affectus quosdam jucundos ab aliis quoque jucundis dependere: in eo autem caſu non modo affectus ab eodem immediate dependens mediate ſaltem dependet, ſed quoniam in omni repræſentatione boni, quocunque tandem modo ea fiat, bonum etiam qua tale ſpectatur amor quoque hunc affectum perpetuo comitatur & in eundem influit & quaſi educat. Talia probe notanda ſunt, ut pateat ratio pertur bationis animi in affectibus, quæ in quo conſiſtat & quomodo oriatur nemo intelligit niſi huc animum advertat, & confuſas animæ modificationes in perceptiones & appetitiones, vel, prouti caſus tulerit, averſiones diſtincte reſolverit. Quamobrem cui curæ cordique eſt modificationes animæ

mæ intimius perspicere, is industriam atque acumen suum in istiusmodi resolutionibus exercere tenetur: id quod præstabit si in Psychologia & Ethica probe fuerit versatus & virtutibus intellectualibus, quas formales diximus, operam sufficientem navaverit. Neque enim existimandum est, ardua nullo negotio perfici posse.

§. 539.

Dependentia odii a fuga

Quod fugimus, id odimus. Quod enim fugimus, id nobis repræsentamus tanquam malum absens (§. 818. *Psych. empir.*), consequenter etiam tanquam malum in se spectatum, sive simpliciter qua tale. Enimvero quod tanquam malum in, se, seu simpliciter qua tale nobis repræsentamus, id odimus (§. 536.). Quamobrem quod fugimus, id odimus.

Dependentiam fugæ ab odio jam aliàs aliter demonstravimus (§. 815. *Psych. empir.*), sicuti etiam dependentiam cupiditatis ab amore (§. 807. *Psych. empir.*). Exempla vero obvia non minus illam loquuntur, quam hunc (*not.* §. 537). Si quis fugit librum profanum, quia opinionibus profanis scatet, nonne ideo fugit, quia profanitas displicet. Quod vero nobis displicet, id odimus (§. 674. *Psych. empir.*). Sicuti vero non omnibus eadem displicent, ita nec eadem fugiunt omnes. Ita qui opinionibus profanis delectatur, ei liber iisdem refertus placet, ideoque eundem amat, & amor excitat habendi cupiditatem. Similiter si quis in foro videt rem, quæ valde displicet, odium fugam concitat. Et affectum hunc manifesto prodit, quando ipsi persuadere volueris, ut eam emat, & ipse respondet: apage! Eam habere nollem, etiamsi mihi donaretur, vel si tu mihi decem aut plures aureos dares. Quodsi quis rem quandam emere vult, nonne emtione abstinet, si singula, quæ prostant, individua maxime displicent, nec ullo modo persuaderi se patitur, ut emat, manifesto indicio fugam instillatam fuisse ab odio? Est itaque odium mater fugæ, fuga odii proles. Valet vero idem non saltem de animalibus & rebus

rebus inanimatis, ſed etiam de perſonis. Si cui diſplicet juvenis vel ob mores pravos, aut inelegantes, vel ob deformitatem corporis; odium gignit fugam, quam prodit dicens, ſe nolle hunc ſibi habere filiſum, aut talem filium. Obtinet idem in aliis caſibus, ubi ejus, quod fugimus, compotes fieri poſſumus, aut ſaltem nos fieri poſſe putamus; veluti ſi familiaritatem ejus propter id, quod nobis diſplicet, ideoque eum odimus, fugimus.

§. 54e.

Dependentia affectuum moleſtorum ab odio in genere demonſtrata.

Ab odio dependent omnes affectus moleſti. Affectus enim moleſti opinione mali concitantur (§ 605. 609. *Pſych. empir.*). Quamvis itaque affectus ſinguli exigant, ut malum ſingulari quodam modo repræſentetur (§. 536.), quomodocunque tamen repræſentatur, ſemper tamen quoque ſpectatur tanquam malum ſimpliciter, ſeu qua tale. Cum itaque odium oriatur, ſi malum ſimpliciter ſpectatur (l. *cit.*), neceſſe autem ſit, ut ante ſpectetur tanquam malum ſimpliciter, quam certo quodam modo ſpectari poſſit, odium quoque oritur, antequam concitatur affectus alius moleſtus. Et ſic affectus moleſtus ab odio dependet (§. 851, *Ontol.*).

Odium in omni affectu moleſto occluſus latet, ideoque non ſemper advertitur, ob rationem eandem, quam in caſu ſimili de amore in affectu jucundo latente dedimus (conf. §. 538.). Exempli loco ſit triſtitia. Triſtitia concitatur opinione mali præſentis (§. 623. *Pſych. empir.*), ſeu quando quod malum eſſe putamus, nobis præſens eſt. Quamprimum id advertimus, & moleſtiam inde percipientibus nobis diſplicet (§. 542. *Pſych. empir.*), odium oritur (§. 536). Quando vero id conſideramus tanquam malum, quod nobis præſens eſt, moleſtia incrementa capit, atque ita triſti-

Digitized by Google

tia oritur (§. 619. *Psych. empir.*). Experimentum capere possumus, in quo odium tristitiam praecedens observatur. Recense alteri damna, quae incendia inferunt, eorum repraesentatione excitabitur odium, quod hisce verbis significatur: Deus haec a nobis avertat! Extemplo autem odium in tristitiam abit, quando additur, haec damna data esse in villa ipsius. Nimirum quando malum repraesentatur ut nobis praesens, duplex mali repraesentatio est, quemadmodum in demonstratione jam diximus, altera scilicet mali qua talis, altera vero qua mali nobis jam praesentis. Utraque perceptio cum influat in appetitum, utraque etiam suo modo appetitum commovere debet. Quamobrem cum prior odium, posterior tristitiam concitet; odium a tristitia abesse nequit, sicuti repraesentatio mali qua talis a repraesentatione mali qua nobis praesentis abesse non potest. Antequam malum repraesentari possit tanquam nobis praesens, repraesentari utique debet tanquam malum simpliciter: alias fieri nequit, ut noris, id quod jam tibi praesens est esse malum. Odium igitur tristitiam praecedit, & sicuti ex repraesentatione mali qua talis nascitur repraesentatio mali tanquam tibi jam praesentis, seu haec ab illa dependet (§. 851. *Ontol.*); ita etiam ex odio nascitur tristitia, seu haec ab illo dependet. Ad animum hic revocanda sunt, quae de resolutione modificationum animae confusarum in distinctas paulo ante annotavimus (*not.* §. 538.). Resolutioni huic multum lucis affundunt, quae passim a in nobis parte prima Ethicae fuerunt tradita. Dependentiam omnium affectuum jucundorum ab amore, molestorum ab odio quasi per transennam viderunt qui affectus omnes ad amorem & odium tanquam ad genera primitiva, unde affectus ceteri derivantur, revocarunt. Nec falli arbitror *Henricum Morum* in Ench. Eth. lib. 1. c. 7. quando Scholasticorum reductionem affectuum ad concupiscibile & irascibile per eandem dependentiam explicat. Appetitus enim concipiscibilis est illa facultas, quam nos appetitum sensitivum restrictiori sensu appellamus, appetitus autem

rem irascibilis facultas ista, quam nos Aversationem sensitivam dicimus (§. 583. *Psych. empir.*): illius autem objectum est bonum (§. 580. *Psych. empir.*), hujus vero malum (§. 582. *Psych. empir.*). Ex rebus sapere debemus, ut notiones earum distinctas acquiramus, & ex his explicare notiones confusas aliorum verbis quibuscunque significatas, præsertim obscurioribus.

§. 541.

De dependentia gaudii ab amore, tristitiæ ab odio.

Gaudium ab amore, tristitia ab odio dependet. Utrumque jam ostendimus, dum dependentiam affectuum jucundorum ab amore exemplo gaudii (*not.* §. 538.) & molestorum ab odio exemplo tristitiæ illustravimus (*not.* §. 540), nimirum inde quod representatio boni tanquam præsentis, quæ gaudii creatrix est (§. 624. *Psych. empir.*), continet & tanquam priorem supponit representationem boni simpliciter, amoris creatricem (§. 536.), & repræsentatio mali tanquam præsentis, quæ tristitiæ creatrix est (§. 823. *Psych. empir.*), repræsentationem mali simpliciter, quæ odium concitat (§ 536.).

Quoniam exempla, quibus hæc propositio illustratur, jam dedimus (§. *not.* §. 538. 540.); non opus est, ut alia in medium afferamus. Quamvis vero affectus omnes jucundi ab amore, molesti ab odio dependeant (§. §. *cit.*); non tamen omnes inde dependent immediate, quemadmodum jam ante insinuavimus (*not.* §. 538.), ideoque dependentia affectuum a se invicem ulterius persequenda.

§. 542.

Dependentia spei a cupiditate.

Spes dependet a cupiditate. Cupiditas enim oritur ex repræsentatione boni absentis (§. 810. *Psych. empir.*). Quamobrem cum eadem tendat ad bonum absens obtinendum (§. 388.), attentionem nostram excitat, ut videamus, num

num id ſit nobis obtentu poſſibile. Quamprimum tale videtur, ſpes oritur (§. 799. *Pſych. empir.*). Spes igitur dependet a cupiditate (§. 851. *Ontol.*).

Narratur tibi prodiiſſe librum, in quo Analyſis moderna Geometrarum multum promota: cum ejus ſis amans, cupiditas habendi librum accenditur. Quam primum tibi perſuades a bibliopola quodam eundem tibi comparari poſſe, aut is promittit, ſe operam daturum, ut eundem tibi comparet; ſpes librum obtinendi concitatur.

§. 543.

Quoniam ſpes a cupiditate dependet (§. 542.), fiducia autem nonniſi ſummus ſpei gradus eſt (§. 796. *Pſych. empir.*), pendens ab opinione boni certo adventuri (§. 804. *Pſych. empir.*); *a cupiditate* quoque *fiducia dependet.* *Dependentia fiduciæ a cupidate.*

Spes in fiduciam abit, quando probabilitas boni obtinendi augetur, ut a certitudine parum aut nihil abire videatur: tum vero non mutatur opinio de bono, quatenus ſive ſimpliciter, ſive ut abſens conſideratur, ideoque nec dependentia a cupiditate mutatur, ſed ſpes ſaltem maximum capit incrementum, quatenus tam certum videtur, te id obtenturum, quod cupis, ac ſi idem jam haberes, ita ut dubitationi locus nullus relinquatur. Exemplum, quod modo de ſpe dedimus, ideo facile ad fiduciam applicatur.

§. 544.

Quia a cupiditate dependet ſpes (§. 542.), cupiditas autem ab amore (537.); *ſpes* quoque *mediate ab amore dependet* (851. *Ontol.*). *Dependentia ſpei ab amore.*

Nimirum niſi cupiditas adeſſet, nec ſpes adeſſe poſſet. Quorum cupido nulla eſt, de iis obtinendis non cogitamus,

conſequenter nec ſpes oriri poteſt. Enimvero niſi rem amaremus, nec cuperemus, conſequenter nec ſperaremus. Spes igitur utique ſupponit amorem, quia ſupponit cupiditatem, quæ ſine amore dari nequit. Cum facile in aliis affectibus ab amore mediate dependentibus idem intelligatur; non opus eſt ut de mediata affectuum dependentia ſemper expreſſe dicamus. Sufficit ex antea demonſtratis patere, quod affectus, a quo præſens dependet, ab amore dependeat. Idem quoque intelligitur de mediata affectus dependentia ab odio.

§. 545.

Dependentia fluctuationis animi & puſillanimitatis a ſpe.

Fluctuatio animi & Puſillanimitas a ſpe dependent. Spes enim oritur ex repræſentatione boni abſentis tanquam obtentu poſſibilis (§. 900. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo quodammodo a nobis dependet, ut id obtineamus, quatenus opus eſt certis mediis, attentionem convertimus in media, quibus id, quod in ſe ſpectatum obtentu poſſibile videtur, obtineri queat. Enimvero ſi media reperire nequimus, vel quænam ex pluribus eligere debeamus minime videmus (§. 832. *Pſychol. empir.*), aut etiam ignoramus, quomodo ea exequi debeamus, animus fluctuat (§. 834. *Pſych. empir.*). Fluctuatio igitur animi a ſpe dependet. *Quod erat primum.*

Quodſi de mediorum electione & executione cogitanti ſuccurrant impedimenta, quæ quomodo tolli poſſint non apparet, aut quæ a nobis tolli poſſe deſperamus, ideoque inſuperabilia exiſtimamus; puſillanimitas oritur (§. 844. *Pſych. empir.*). Quamobrem puſillanimitas a ſpe dependet. *Quod erat alterum.*

Nemo

Nemo cogitat de mediis aliquid obtinendi, antequam id a se obtineri posse putat, & ut id obtineat, a se quodammodo dependere. Etenim si speramus, quod ut eveniat a nobis nullo modo dependet, veluti si messem lætam ac divitem, pacem, quam optamus, mortem inimici speramus; facile apparet fluctuationi animi & pusillanimitati nullum esse locum. In fluctuatione animi spes nondum abjicitur, sed fluctuans saltem hæsitat, quid fieri debeat, utrum nimirum eam retinere, an potius abjicere debeat: pusillanimitas vero propius accedit ad desperationem, ut a spe abjicienda non procul absimus. Quamdiu tamen affectus uterque durat, spes non decollatur.

§. 546.

Quoniam fluctuatio animi & pusillanimitas a spe (§. 545.), spes vero a cupiditate dependet (542.); *fluctuatio quoque animi & pusillanimitas a cupiditate dependet.*

Dependentia fluctuationis animi & pusillanimitatis a cupiditate.

Dependentia fluctuationis animi & pusillanimitatis a spe expressam mentionem facere voluimus, cum eam probe notasse interfit. Etenim non modo gradus utriusque affectus a gradu cupiditatis dependet, quia gradus cupiditatis pendet a magnitudine boni, cujus opinione concitatur; verum etjam cupiditas vacillationem animi & pusillanimitatem sustentat, ut, etiamsi parum spei supereſſe videatur, cupiditate tamen incensi neutrum affectuum deponamus, ita ut præsertim pusillanimitas subinde unice a cupiditate dependere videatur, spe quasi in fundo latente, quamvis propemodum prostratam subinde erigat cupiditas, mox iterum deprimendam, quando ad difficultates, quas offert mediorum electio atque executio, animus attenditur.

§. 547.

Animositas seu audacia a spe atque cupiditate dependet.

Dependentia animositatis

Si quis enim animosus seu audax est, cupiditas ac spes vin-

a ſpe & cupiditate.

vincit metùm ex difficultate boni obtinendi orti (§. 847. *Pſych. empir.*), ſi aliqua ſaltem probabilitas difficultates ſuperandi adeſſe videatur (§. 848. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum absque ſpe & quæ eam fovet cupiditate non concipiatur animoſitas, ſeu audacia, uterque affectus a ſpe atque cupiditate dependet.

Monuimus jam ſuperius, rectius animoſitatem ab audacia diſtingvi, quamvis vulgo pro ſynonymis habeantur in doctrina affectuum ((*not.* §. 410.). A ſpe tamen & cupiditate animoſitas & audacia dependent eodem modo, hac ſolum differentia, quod minor probabilitas difficultates ſuperatum iri ad audaciam ſufficiat, quam ad animoſitatem, niſi hanc urgeat neceſſitas, quemadmodum in militibus, quando ad prælium ventum eſt. In demonſtranda igitur dependentia animoſitatis & audaciæ a ſpe atque cupiditate non opus eſt, ut animoſitatem ab audacia diſtingvamus. Judicium de animoſitate & audacia nititur opinione hominum de probabilitate eventus, quatenus a mediorum electione & executione dependere putatur, una cum reſpectu difficultatis ad id, quod ſperandum & metuendum. Accedit quod ex fe judicare ſoleant alios. Sed hæc opinio admodum varia, nec certis regulis adſtringitur, cum quilibet de ſimilibus, quæ ſibi videntur, judicet ex ſimilibus antea expertis, aut aliunde notis. Facile autem apparet, horum accuratam diſcuſſionem altioris eſſe indaginis, nec hujus loci.

§. 548.

De metu vacillationi animi commixto.

Vacillationi animi admiſcetur metus. Quando enim animus vacillat, aut media obtinendi bonum, quod cupimus, ignoramus, aut in iis eligendis & exequendis hæremus (§. 533. *Pſych. empir.*). Atque ex his dubitationum fluctibus de eo, quid ſit agendum, ut bonum, quod cupimus,

pimus, obtineatur, nascitur repræsentatio ejus tanquam a nobis non obtinendi, consequenter cum jactura ejus, quod cupimus, in malorum numerum referatur (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), opinio mali eventu possibilis. Enimvero opinione mali eventu possibilis concitatur metus (§. 822. *Psych. empir.*). Metus igitur vacillationi animi admiscetur.

Inde est, quod in vacillatione animi spes & metus alternent. Quodsi enim bonum in se spectatum tanquam obtentu possibile consideratur, spes oritur (§. 809. *Psych. empir.*), quem alit cupiditas pro ratione magnitudinis boni, quæ videtur (§. 256.). Quodsi vero consideremus, quomodo a nobis id obtineri possit, opinione boni tanquam a nobis obtentu non possibilis, saltem difficilis, metus concitatur, quemadmodum ex demonstratione apparet. Prouti igitur nunc bonum, quod cupimus, vel in se, vel cum respectu ad nos nostrasque vires, seu quatenus dependentiam quandam a nobis includit, consideratur, & attentio nunc in unam partem trahitur, nunc in alteram retrahitur, nunc speramus, nunc metuimus, sicque spes atque metus alternant. Videmus itaque vacillationem animi esse affectum mixtum, non simplicem, ut ideo in casu quolibet dato probe a se invicem discernenda sint, quæ ad singulos spectant, inprimis si quæratur ratio, cur hunc potius, quam alium exitum habuerit affectus.

§. 549.

In pusillanimitate metus major est spe, cupiditas vero si non metu major, saltem eidem æqualis. Qui enim pusillanimis est, impedimenta, quo minus bonum, quod cupit, sibi tanquam insuperabilia repræsentat (§. 843. *Psych. empir.*), utut citra respectum ad media eorumque executionem in se spectatum bonum obtentu non impossibile videatur. Quamobrem major est probabilitas boni non obtinendi, quam

De magnitudine spei, metus & cupiditatis in pusillanimitate.

obtinendi. Quoniam itaque a gradu probabilitatis boni obtinendi gradus ſpei (§. 800. *Pſych. empir.*), a gradu autem probabilitatis boni non obtinendi metus gradus dependet (§. 822. *Pſych. empir.*), & hunc auget gradus cupiditatis a magnitudine boni, quod cupimus, dependens (§. 256.), ut ſcilicet jactura boni, quod cupimus, videatur majus malum; ſpe major metus eſt in puſillanimitate. *Quod erat unum.*

Enimvero cupiditatis gradus dependet a magnitudine boni, quod cupimus (§. 256.), & impedit, quo minus ſpe omni abjecta ab eo proſequendo prorſus abſtineamus (§. 388.), ſicque cum ipſa una tollatur puſillanimitas (§. 496.). Quamobrem cum cupiditas non cedat metui, eodem major eſt, aut ſaltem eidem æqualis eſſe debet. *Quod erat alterum.*

In puſillanimitate cupiditas potiſſimum colluctatur cum metu & ſpes propria arma non habens, quibus ſe tueatur, a cupiditate præſidium expectat, ne collabatur. Ipſa hæc cupiditas ſuſcitare ſolet ſpem auxilii, aut adjumenti aliunde obtinendi, quo defectus virium propriarum ſuppleatur, ut a fortuna expectemus, ſi ſpes conſilii & auxilii alieni deficiat. Spes tamen hæc in tantis dubitationum fluctibus vires capere nequit, ut metum vincat, & puſillanimitas in animoſitatem vertatur, vel audaciam. Multa hic conſideranda ſunt, ſiquidem in caſu dato ſingula diſcernenda, quæ animum perturbant. Conſtat autem non infimam eſſe animi in puſillanimitate perturbationem, utut eadem nunc major, nunc minor eſſe poſſit pro varietate circumſtantiarum.

§. 550.

Spes metui quando ſocietur.

Si ſperans animum attendit ad poſſibilitatem boni obtinendi, atque is animadvertit, fieri adhuc poſſe, ut id non obti-

ti

at ; ſpei metus ſociatur. Quodſi enim ſperans poſſibilitatem boni obtinendi, qua ſpes nititur (§. 800. *Pſych. empir.*), perpendendo animadvertit fieri adhuc poſſe ut id non obtineat, jacturam eius, quod cupit (§. 542.), tanquam eventu poſſibilem ſibi repræſentat. Quamobrem cum jactura boni in numerum malorum ſit referenda (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*), opinione autem mali eventu poſſibilis concitetur metus (§. 822. *Pſych. empir.*); ſi ſperans animum advertit ad poſſibilitatem boni obtinendi, atque animadvertit, fieri adhuc poſſe, ut id non obtineat, metus oritur, ſicque ſpei, quæ ideo nondum ſublata eſt, ſociatur.

Vulgo dici ſolet: ſpem non excludere omnem metum. Aſt hoc ſimpliciter pro vero accipi non poteſt, niſi ita intelligatur, quod ſpes metum in ſinu ſuo foveat, quatenus cauſa ſpei cauſam metus continet, ut metus ſpei potentia inſit. Etenim ſpes concitatur opinione boni obtentu poſſibilis, metus opinione jacturæ ejusdem eventu poſſibilis, prouti ex demonſtratione liquet. Aſt cum opinio de poſſibilitate boni obtinendi rationes ſaltem probabiles habeat, probabilitas autem formidinem oppoſiti non excludat; qui ſaltem putat fieri poſſe ut bonum obtineat, non minus fieri poſſe ut bonum non obtineat ſibi perſuadere poteſt. A potentia enim ad actum conſequentia non valet (§. 171. *Ontol.*), ideoque nondum certum eſt bonum obtentum iri, quia non impoſſibile, ut non obtineat. Sane fieri poteſt, ut in utramque contradictionis partem proſtent rationes probabiles, & quæ in partem alterutram proſtant ſint fortiores, ideoque magis ſit metuendum, ne obtineamus, quod cupimus, quam ſperandum, ut id obtineamus. Ea, quæ ſperamus, vel dependentiam quandam a nobis includunt, quatenus certis mediis opus eſt ex parte noſtri, ut ea obtineamus, vel nullam dependentiam a nobis includunt, quatenus ipſi nihil ad-

hoc

hoc conferre poſſumus, ut obtineamus. Quamvis vero videri poſſit in caſu priori facilius ſpei metum aſſociari poſſe, quam in poſteriori, id tamen certo affirmari nequit. Plurimæ enim ſunt rationes, ob quas dubitationes circa poſſibilitatem obtinendi boni, quod ſperatur, oriuntur, pro diverſitate ſubjectorum & circumſtantiarum aliarum admodum variantes, nec eandem vim in facultatem appetendi & averſandi exerentes, ut facilius ſit in caſu dato, quam in genere judicium. Exempli loco eſto in caſu priori ſpes obtinendi officium, quod ambitur; in caſu poſteriori ſpes menſis lætæ, aut pacis conſervandæ. Metus ſubinde adeo exiguus eſt, ut vix ejusdem nobis ſimus conſcii; interdum autem adeo invaleſcit, ut ſpem propemodum depellere videatur.

§. 551.

Fiducia metum excludit

Fiducia metum omnem excludit. Etenim fiducia oritur, ſi bonum nobis repræſentamus tanquam obtentu admodum facile (§. 802. *Pſycb. empir.*). Quamobrem cum non putemus fieri poſſe, ut idem non obtineamus, opinione autem jacturæ boni, quod ſperamus, eventu poſſibilis concitetur metus, qui ſpei ſociatur vi demonſtrationis præcedentis (§. 550.); fiducia metum omnem excludit.

Quanto major ſpes eſt, tanto minor eſt metus (*not.* §. 550.), ideoque ſpes in fiduciam abit, metu prorſus evaneſcente. Gradus ſpei dependet a facilitate boni obtinendi (§. 801. *Pſycb. empir.*), quæ ſi tanta videatur, ut dubitationem omnem excludat, fiduciæ locum facit. Fieri equidem poteſt, ut quædam rationes dubitandi adhuc ſuperſint, ſed eædem adeo leves videntur, ut attentionem nullam mereri videantur, aut prorſus contemnantur. Rationes iſtæ haud raro in perceptionibus confuſis latent, ut minime appercipiantur, hoc tamen non obſtante in appetitum ſenſitivum & aver-

averſationem ſenſitivam influunt. Ac ideo contingit, fiduciam quoque gradu differre (§. 802. *Pſych. empir.*): quo minus enim rationes quædam aſſenſum impellunt in partem contrariam, eo maior videtur facilitas boni obtendi. Non jam deſcendimus ad particularia, ideoque non inquirimus in rationes, quæ gignunt aſſenſum in opinione facilitatis boni obtinendi, plurimum variantes, tum quatenus bonum obtinendum dependentiam quandam a nobis includit, tum quatenus poſſibilitas extrinſeca intimus inſpicitur, tum quatenus ſubjecta ad præbendum aſſenſum magis minusve diſpoſita ſunt. Et vix opus eſſe videtur ut moneamus, fiduciam quoque verſari circa liberationem a malo præſente & depulſionem futuri.

§. 552.

Metus a fuga dependet. Metus enim oritur, ſi malum abſens nobis tanquam eventu poſſibile repræſentamus (§. 822. *Pſych. empir.*). Enimvero qui ſibi malum abſens tanquam eventu poſſibile repræſentat, is ante ſibi repræſentare id debet ſimpliciter, qua tale. Quoniam itaque fuga concitatur, ſi nobis malum abſens ſimpliciter, qua tale repræſentamus (§. 818. *Pſych empir.*); fuga metum præcedat neceſſe eſt, ſeu absque ea concipi nequit, conſequenter ab ea dependet (§. 801. *Pſych. empir.*). *Dependentia metus a fuga.*

Metuimus malum, quia idem fugimus. Et quamvis gradus metus dependeat potiſſimum a probabilitate mali adventuri (§. 821. *Pſych. empir.*), gradus tamen fugæ a magnitudine mali dependens (§. 256.), ſimul in metum influit. Inde omnino eſt, ut nonnulli vehementer metuant malum, quod ut eveniat vix ullæ rationes probabiles proſtant. Atque ideo in demendo metu probe diſcernendum, quod ab opinione magnitudinis mali venit, ab eo, quod

quod ab opinione adventus dependet. Sicuti enim fuga quoque verſatur circa amiſſionem boni præſentis; ita quoque eadem metus objectum eſt. Ceterum vide, quæ ſupra jam demonſtravimus & annotavimus (§. 394.).

§. 553.

De cupiditate metui inclusa.

Metus cupiditatem includit. Qui enim malum metuit, id ſibi repræſentat tanquam eventu poſſibile (§. 821. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum metus tendat ad malum futurum amoliendum (§. 396.), depulſio autem mali in numero bonorum ſit (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*), & opinione boni abſentis cupiditas concitetur (§. 810. *Pſych. empir.*); metus cupiditatem includit.

Cupiditatem metui incluſam aperte produnt, qui nolentes malum, ne id eveniat, optant. Naturale homini eſt, ut, quando malum evenire poſſe putat, ne id eveniat optet. Ex quo major fuga eſt, a qua metus dependet (§. 552.), eo major quoque eſt cupiditas, quam metus includit, cumque perturbatio animi tota debeatur multitudini eorum, quæ in perceptionibus & appetitionibus atque averſionibus in unum confuſis continentur, quemadmodum jam obſervavimus in anterioribus, metus quoque nunc major, nunc minus animum perturbat.

§. 554.

Quando metui ſpes ſocietur.

Si conſideremus nondum certum eſſe, quod malum adventurum ſit; metui ſpes ſociatur. Si malum tanquam eventu poſſibile ſpectamus, metus oritur (§. 822. *Pſych. empir.*). Enimvero quia malum evenire poteſt, propterea tamen nondum certum eſt, id eventurum eſſe (§. 171. *Ontol.*). Quamobrem ſi animum attendit metuens ad defectum hujus certitudinis, tanto facilius ſibi perſuadet fieri adhuc poſſe,

Digitized by Google

ſe, ne eveniat, quia metus cupiditatem includit, ut malum depellatur (§. 553.). Quodſi ergo conſideremus nondum certum eſſe, quod malum eventurum ſit; metui ſpes ſociatur.

Atque tum inter ſpem ac metum quaſi medii hæremus, quemadmodum etiam in ſpe accidit (§. 550.). Sicuti enim ſpei metus, ita metui ſpes accedit. Vulgo dicitur, metum non excludere ſpem: ſed id eodem modo intelligendum, quo idem intelligendum eſſe de ſpe metum non excludente diximus (*not. §. cit.*).

§. 555.

Deſperatio omnem ſpem excludit. Deſperatio enim oritur, ſi nobis malum repræſentamus tanquam inevitabile (§. 825. *Pſych. empir.*). Quoniam igitur deſperans non putat, fieri poſſe, ut malum evitetur, ſpes autem metui ſociatur, ſi conſideremus nondum certum eſſe, quod malum eventurum ſit (§. 554.); deſperatio ſpem omnem excludit. *Deſperatio omnem ſpem excludit.*

Opponitur deſperatio, fiduciæ ſicuti metus ſpei. Quemadmodum itaque fiducia metum omnem, ita deſperatio ſpem omnem excludit, ideoque deſperans dicit, ſibi nullam ſpem ſupereſſe ſive mali evitandi, ſive boni obtinendi. Non obtinere bonum, quod cupimus, utique malum eſt (§. 754. *part. 1. Jur. nat.*). Qui ergo putat bonum, quod cupit, a ſe obtineri non poſſe; is malum quoddam tanquam evitatu impoſſibile ſibi repræſentat: hac autem opinione deſperatio concitatur (§. 825. *Pſych. empir.*). Erit autem tanto major deſperatio, quanto major fuerit cupiditas, conſequenter gradus deſperationis dependet a magnitudine iſtius boni, quod obtineri non poſſe putatur (§. 256.). Eodem modo intelligitur, oriri quoque deſperationem, ſi bonum præſens, quo fruimur, a nobis con-

ſervari non poſſe putamus, & hūius quoque magnitudinem dependere a magnitudine boni.

§. 556.

De deſperatione in puſillanimitate contenta.

Puſillanimitas deſperationem includit. Etenim puſillanimitas oritur, ſi quis impedimenta in proſequendo bono, quod cupit, obvia tanquam inſuperabilia ſibi repræſentat (§. 844. *Pſych. empir.*), conſequenter bonum, quod cupit, tanquam obtentu impoſſibile. Enimvero cum non obtinere bonum, quod cupit, in numerum malorum, quæ ſibi obtingere poſſunt, referat (§. 754. *Part. 1. Jur. nat.*); dum bonum, quod cupit, ſibi tanquam obtentu impoſſibile, malum quoque, quod fugit (§. 818. *Pſych. empir.*), tanquam evitatu impoſſibile repræſentat. Quamobrem cum ex repræſentatione mali tanquam evitatu impoſſibilis oriatur deſperatio (§. 825. *Pſych. empir.*); puſillanimitas deſperationem includit.

Utrumque affectum haud raro produnt, qui ſibi perſuadent, ſe bonum, quod vehementer cupiunt, obtinere non poſſe, ſeu non obtenturos eſſe: tum enim vultu & voce puſillanimitatem, verbis deſperationem produnt. Ac ideo quoque de ipſis aliorum eſt judicium, quando dicunt, eos adeo puſillanimes eſſe, ut animum deſpondeant. Equidem non diffiteor id vix ac ne vix quidem obſervari niſi in eo caſu, in quo affectus ſunt admodum vehementes; non tamen jam quæſtio eſt de eo, quod obſervatu facile, ſed de hoc, quod eſt. Attendendus ſaltem eſt animus ad ea, quæ in demonſtratione continentur, per ea enim facile expiſcari dabitur, quæ in animo alterius latent, vel etiam in ſe, reductis nimirum perceptionibus confuſis ad diſtinctas. Et in genere notare velim hoc modo experimenta inſtitui poſſe in longe plurimis, quæ in Ethica demonſtrantur, ut veritas eorum

eorum, quæ a priori demonstrata sunt, a posteriori confirmetur, sicque experientia rationi consona deprehendatur. Atque hæc experimenta revera sunt examina eorum, quæ in Ethica demonstrantur, & ad philosophiam moralem experimentalem spectant.

§. 557.

Desperatio pusillanimitatem includit. Desperatio enim oritur, si quis sibi malum tanquam inevitabile repræsentat, inprimis si simul idem sibi repræsentat tanquam intolerabile (§. 825. *Psych. empir.*). Enimvero qui putat, malum a se evitari non posse, is quoque sibi persuadet, bonum quoddam a se obtineri non posse, idque tanto majus, quanto intolerabilius ipsi videtur malum, cum evitatio mali in numerum bonorum referatur (§. 754. *part 1. Jur. nat.*), ideoque tanto majus bonum censeatur, quanto intolerabilius est malum, intolerabilitate nimirum ex magnitudine mali æstimata. Quoniam itaque pusillanimitas oritur, si quis impedimenta in prosequendo bono, quod cupit, obvia tanquam insuperabilia sibi represeatat (§. 844. *Psych. empir.*), consequenter opinione impossibilitatis boni obtinendi; desperatio pusillanimitatem includit. *De pusillanimitate in desperatione contenta.*

Desperatio & pusillanimitas ita a se invicem dependent, ut si affectus unus oriatur alter quoque concitetur. Non tamen propterea existimandum est, quasi una eademque causa simul concitentur: habet enim uterque affectus causam sibi peculiarem, qua concitatur, nimirum desperatio opinionem mali evitatu impossibilis, aut saltem admodum difficilis, pusillanimitas opinionem boni obtentu impossibilis, aut saltem admodum difficilis. Et si accurate loqui velis, affectus isti non cooriuntur, sed unus præcedit, alter sequitur. Nimi-

rum ſi objectum fuerit bonum, ad quod obtinendum tendit appetitus ſenſitivus, conſequenter quod cupimus, animadverſa difficultate, aut impoſſibilitate boni obtinendi, puſillanimitas oritur, quæ ſuſcitat perceptionem mali, quod in carentia boni iſtius conſiſtit, atque tanquam inevitabile ſeſe ſiſtit, tumque deſperatio accedit. Ex adverſo ſi malum fuerit objectum affectus, circa quod verſatur, animadverſa difficultate, aut impoſſibilitate malum, quod fugit, evitandi, deſperatio oritur, quæ ſuſcitat perceptionem boni, quod in carentia mali iſtius conſiſtit, & tanquam obtentu impoſſibile, aut ſaltem admodum difficile ſiſtitur, tumque ad deſperationem puſillanimitas accedit. Quemadmodum vero perceptiones boni & mali miſcentur, ita etiam miſcentur deſperatio & puſillanimitas, & affectus mixtus perceptione confuſa fovetur, quamdiu ſubſiſtit. Vide, quæ ſupra annotavimus, cum affectus enumeraremus de abſentia in boni in numerum malorum & carentia mali in numerum bonorum relata (*not.* §. 536.). Terendum vero, quamvis affectus initio ſigillatim ſuſcitentur, eos tamen poſtea invicem permixtos ſubſiſtere, quamdiu durant, aut, ſi ſibi mutuo repugnent, alternare.

§. 558.

De triſtitia & deſperatione in terrore contenta.

Terror triſtitiam & deſperationem continet. Terror enim oritur, ſi malum ex improviſo ingruit (§. 829. *Pſych. empir.*). Malum ex improviſo ingruens repræſentatur tanquam evitatu impoſſibile. Quamobrem cum opinione mali præſentis triſtitia (§. 623. *Pſych. empir.*), opinione autem mali tanquam evitatu impoſſibilis deſperatio concitatur (§. 825. *Pſych. empir.*); terror triſtitiam & deſperationem continet.

Magnitudo affectus non modo dependet a magnitudine mali ex improviſo ingruentis (§. 256.), verum etiam ex eo, quod

quod ſpes omnis evitandi malum decollata ſit, quod jam exiſtere experimur. Produnt utrumque verba terrore concuſſi, quando ait ſe nunquam putaſſe, quod tantum malum ſibi obtingere poſſit. Immo ſi per modum interrogandi verba hæc proferi, iisdem ſimul admiratio in terrore latens indicatur (§. 294. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Monuimus jam aliàs, *Ciceronem* terrorem facere ſpeciem metus; ſed cum metus oriatur, ſi malum nobis tanquam eventu poſſibile repræſentamus (§. 822. *Pſych. empir.*), quatenus ex eo, quod evenit, id evenire poſſe intelligitur (§. 170. *Ontol.*), conſequenter cauſa metus in cauſa terroris latet, concedi quidem poteſt, terrorem naturam metus participare quodammodo, non tamen eſſe ſpeciem quandam metus, niſi quando periculum præter ſpem atque exſpectationem imminet, quatenus nimirum cauſa exiſtit malorum, quæ metuimus, aut cum malo præſente ſimul repræſentantur mala, quæ inde emergere poſſunt, veluti ſi incendium ſæviens nos in terrorem conjicit, quod nos ad paupertatem, immo mendicitatem redactum iri putamus. Ut hæc agnoſcamus, neceſſe ſaltem eſt animum attendi ad verba eorum, qui terroris, quo concuſſi ſunt, rationem reddunt. Definivimus quoque terrorem per triſtitiam (§. 827. *Pſych. empir.*), non per metum, quoniam triſtitia maxime ſe manifeſtat in hoc affectu (§. 828. *Pſych. empir.*), & cauſa triſtitiæ in oculos incurrit, præſens nimirum malum.

§. 559.

Horror a fuga dependet & quatenus nobis repræſentamus ſtatum, in quo iſtiusmodi malum, quale horremus, nobis obtingeret, metum continet. Etenim horror oritur, ſi nobis repræſentamus malum arduum tanquam eventu poſſibile (§. 832. *Pſych. empir.*), conſequenter quando horret animus, malum ſpectatur tanquam abſens quod nos. Enimvero ſi malum ſpectatur tanquam abſens quoad nos, ſeu quod a nobis

Dependentia horroris a fuga & de metu in eo Contento.

a nobis abeſt, fuga concitatur (§. 818. *Pſych. empir.*). Horror igitur a fuga dependet (§. 851. *Ontol.*), *Quod erat unum.*

Eniinvero quando nobis repræſentamus ſtatum, in quo idem malum nobis obtingeret, id nobis repræſentamus tanquam eventu poſſibile. Quamobrem cum metus oriatur, ſi quod malum nobis tanquam eventu poſſibile repræſentamus (§. 822. *Pſych. empir.*); horror metum continet. *Quod erat alterum.*

Malum, quod omnium opinione arduum eſt, immo ideo horrendum dicitur, non tamen omnes horrent, etiamſi idem coram intueantur, aut emphatice deſcribi audiunt. Ratio alia non eſt, quam quod quidam ſibi repræſentant ſtatum, in quo malum hoc ipſis accideret, alii vero de eo non cogitant, nec id ad ſe referunt. Hinc ſi quis animum ſtatim advertit ad alias circumſtantias, quarum conſideratione ſuſcitantur affectus alii vehementes; horror nullus obſervatur, etiamſi alias ſit natura timidus, ideoque ad horrorem aliis proclivior. Quamobrem ſine metu horror non concipitur, ac propterea quoque horrorem per metum definivimus (§. 837. *Pſych. empir.*). Magnitudo autem affectus a gradu fugæ dependet, qui a magnitudine mali venit (§. 256.). Atque propterea fuga maxime attendenda eſt in horrore.

§. 560.

De animoſitate a ſpe & cupiditate pendente.

Animoſitas a cupiditate & ſpe dependet. Qui enim animoſus eſt, difficultates obtinendi boni, quod cupit, tanquam ſuperabiles ſibi repræſentat, aut ſuperatu non prorſus impoſſibiles (§. 850. *Pſych. empir.*), conſequenter bonum, quod cupit, tanquam obtentu poſſibile. Quoniam itaque

itaque animositas sine cupiditate concipi nequit, cum ad bonum obtinendum, quod tanquam absens spectatur & cujus repræsentatione cupiditas concitatur (§. 810. *Psych. empir.*), cupiditas tendat (§. 385.); animositas a cupiditate dependet (§. 851. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Similiter quia bonum, quod cupit animosus, tanquam obtentu possibile sibi repræsentat, *per demonstrata*, spes autem oritur, si nobis bonum tanquam obtentu possibile repræsentamus (§. 799. *Psych. empir.*); animositas quoque a spe dependet. *Quod erat alterum.*

Idem jam aliter demonstravimus superius (§. 547.).

Quodsi ponamus, animosum bonum, quod cupit, sibi non repræsentare tanquam obtentu possibile, sed tanquam obtentu impossibile, ut nulla spes ejus obtinendi supersit, pusillanimitas orietur (§. 842. *Psych. empir.*), quæ desperationem includit (§. 556.), aut saltem cum spe cupiditatem abjiciet, consequenter boni obtinendi causa nihil faciet. Ast constat animosum alacriter prosequi bonum, quod cupit, nec quicquam intentatum relinquere, quod facere potest, spe obtinendi id, quod cupit. Quamobrem facile patet, sine cupiditate ac spe concipi non posse animositatem & animosum id, quod cupit, pro impossibili obtentu habere minime posse. Cupiditas animum addit ad difficultates, quantæcunque videantur, superandum, ideoque ab ea potissimum dependet vehementia affectus, & vehementia cupiditatis potissimum in causa est, ut non attendatur difficultatum superandarum magnitudo, sed ad colluctandum cum iis sese accingat animosus, eademque spem sulcit exigua licet probabilitate, immo propemodum nulla innixam.

§. 561.

De effectu acquiescentiæ in se ipso & gloriæ in animositate.

Si animosus opinatur, quod boni obtinendi causa a se fieri potest, bene fieri; acquiescentia in se ipso animositatem accendit. Quod si putet, ea, quæ facturus est, ab aliis approbatum & laudatum iri; gloria eandem inflammat. Etenim si animosus opinatur, quæ boni obtinendi causa facit, ea bene a se fieri, acquiescentia in se ipso oritur (§. 749. *Psych. empir.*). Quamobrem cum acquiescentia in se ipso sit stimulus ad bene faciendum, quando id a se fieri potest (§. 357.), animositas vero tendat ad alacritatem in bono obtinendo (§. 412.); si animosus opinatur, quod boni obtinendi causa facit, id bene a se fieri, acquiescentia in se ipso animositatem accendit. *Quod erat unum.*

Similiter si animosus putat, id, quod factum est, ab aliis approbatum & laudatum iri; benignum de factis suis aliorum judicium sibi promittit (§. 765. *Psych. empir.*). Quamobrem cum opinione benigni aliorum de factis nostris judicii gloria concitetur (§. 768. *Psych. empir.*), ea vero stimulus sit ad præclara præstanda absque ulla spe lucri (§. 771. *Psych. empir.*); gloria animositatem, quæ ad alacritatem in agendo tendit. (§. 412.), inflammat. *Quod erat alterum.*

Quemadmodum *Ovidius* canit: Magnum opus aggredior, sed dat mihi gloria vires; ita quoque recte dicitur, magnum opus aggredior, sed dat mihi acquiescentia in se ipso vires. Unde facile intelligitur, cum animosus opus alacriter aggrediatur, utrumque affectum alacritatem hanc augere, ideoque animositatem inflammare. Sane nisi hi affectus accedant, vix animositas capiet vires, quando superandæ sunt difficultates, quæ metum, immo horrorem pa-

rium.

riunt. Acquiescentia in se ipso & gloria vertunt attentionem a difficultatum superandarum magnitudine ac inprimis a periculo, quod eas superare tentanti minantur. Hoc ipso autem, quod hi affectus attentionem a difficultatum superandarum magnitudine avertunt, spem quoque sulciunt, ne collabatur.

§. 562.

Commiseratio ab amore & tristitia dependet, atque cupiditatem miserum a malo liberandi includit. Quod commiseratio præsupponat amorem, nec sine eo detur, alias jam ostendimus (§. 688. 689. *Psych. empir.*). Et quod in tristitia consistat, nec sine ea concipiatur, ex definitione ipsius nominali patet (§. 687. *Psych. empir.*). Quamobrem jam constat, commiserationem ab amore & tristitia dependere (§. 851. *Ontol.*). *Dependentia commiserationis ab amore & tristitia, & quod cupiditatem includat.*

Ostenditur etiam hoc modo. Si quis alterum amat, is eum considerat tanquam se ipsum (§. 659. *Psych. empir.*), consequenter malum, quo is affligitur, tanquam suum spectat, cumque idem aversetur (§. 590. *Psych. empir.*), consequenter ut abesset mallet (§. 250.), ipsum tanquam malo, quo affligitur, indignum spectat. Quamobrem cum commiseratio oriatur, si alterum indignum judicamus malo, quo affligitur (§. 695. *Psych. empir.*), opinione autem mali præsentis tristitia concitetur (§. 623. *Psych. empir.*); commiserationem ab amore & tristitia dependere patet (§. 851. *Ontol.*). *Quod erat unum.*

Commiseratio tendit ad liberandum alterum a miseria, aut, si id fieri non possit, ad eam sublevandam, vel leniendam (§. 333.). Quamobrem cum liberatio a miseria,

& ejus mitigatio ad numerum bonorum ſit referenda (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*); qui alterius commiſeratur, pro modum boni abſentis eandem ſibi repræſentat. Quamobrem cum ex repræſentatione boni abſentis naſcatur cupiditas (§. 810. *Pſych. empir.*); commiſeratio cupiditatem miſerum a miſeria liberandi continet. *Quod erat alterum.*

Demonſtrationes dependentiæ affectuum a ſe invicem non uno modo fieri poſſunt, prout vel eorundem definitiones nominales, vel reales ſupponas. Ennmeratio eorundem non intelligitur ſufficiens, niſi perpendatur, quot modis bonum, vel malum repræſentari poſſit, ut diverſi mode commoveat appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam, unde fluunt definitiones reales (§. 536.), ac ideo in Ethica utiliſſimæ ſunt definitiones reales, quibus ſuppoſitis cetera, quæ de affectibus demonſtranda, inde deducenda ſunt, immo ea ipſa, quæ definitiones nominales ingredi debent. Tum vero quæſtio huc redit, quodnam affectui nomen ſit tribuendum, ne ab uſu loquendi recedamus. In Pſychologia dedimus definitiones nominales & eorum realitatem demonſtravimus, atque exemplis comprobavimus, inde autem reales deduximus. In demonſtranda igitur dependentia affectuum a ſe invicem perinde eſt, ſive ex definitionibus nominalibus, ſive realibus eandem deducas, prout commodius, vel conſultius viſum fuerit. Quando enim aliquid non uno modo demonſtrari poteſt, nunc brevitatis, nunc evidentiæ habetur ratio, ut una alteri præferatur, nisi eam arripias, quam datæ circumſtantiæ, a quibus facultatum animæ præſens uſus dependet, primum offerunt, vel circumſtantiæ præſentes eadem nos contentos eſſe jubent, velut ſi tempus non permittat, ut inquiramus, num alio adhuc modo demonſtrari poſſit, & deliberemus, quænam demonſtratio alteri ſit præferenda. Subinde etiam non deſunt rationes, ut unum idemque pluribus modis demonſtretur, ut alio

alio loco alia demonstratio addatur, quemadmodum exemplum habes in dependentia animositatis a spe & cupiditate (§. 560.). Dependentia commiserationis ab amore adeo manifesta est, ut vulgo agnoscatur, & unusquisque levi attentione eandem in se observet, quando alterius commiseratur. Tristitia vero ipsa huic affectui manifesto inest, nec occlusa latet, ut sine ea subsistere nequeat. Quamobrem qui alterius commiseratur, eandem in se sentit. Non vero jam quæstio est de nomine, sed de re, quæ isto nomine indigitatur. Etenim fieri potest, ut quis rem agnoscat, seu ejusdem sibi conscius sit, etiamsi hæreat, num hoc vel istud nomen eidem sit tribuendum: id quod in affectibus facillime contingit, etsi ex distinctis notionibus eosdem judices. Cupiditatem vero liberandi eum, cujus commiseremur, a malo, quo affligitur, facta commiserantis produnt, & qui alterius commiseratur, in se ipso sentit, eandemque verbis significat, ubi facta in potestate sua non sunt.

§. 563.

Invidia ab odio & tristitia dependet, & cupiditatem infelicitatis alterius eundemque bono privandi & quo minus id obtineat impediendi continet. Invidiam ab odio dependere alias jam demonstravimus (§. 707. 708. *Psych. empir.*), cumque sine tristia non concipiatur (§. 705. *Psych. empir.*), eandem quoque a tristitia dependere patet, quatenus nimirum invidia non esset possibilis, nisi tristitia possibilis esset. *Dependentia invidiæ ab odio & tristitia, atque cupiditate in ea contenta.*

Ostendi vero idem potest etiam hoc modo. Invidia oritur, si alterum indignum judicamus bono, quo potitur, vel fruitur (§. 714. *Psych. empir.*), consequenter mallemus, si penes nos staret, ne eodem potiretur, vel eodem frueretur. Quoniam itaque hoc molestiam nobis cre-

at (§. 156.); ideo diſplicet, quod alter bono iſto fruatur, aut frui debeat (§. 542. *Pſych. empir.*), ac idem nobis repræſentamus per modum mali præſentis (§. 4.). Quamobrem cum odium concitetur, ſi quid in altero obſervamus, quod nobis diſplicet (§. 677. *Pſych. empir.*), opinione autem mali præſentis concitetur triſtitia (§. 623. *Pſych. empir.*), cauſa invidiæ odium gignit & triſtitiam, ideoque ab odio & triſtitia dependet. *Quod erat unum.*

Enimvero invidia gignit cupiditatem infelicitatis alterius (§. 340.), conſequenter ut alteri obtingant mala, quæ moleſtiam creant (§. 637. 569. *Pſych. empir.*), cumque tendat ad alterum bono, quod ipſi invidemus, privandum, aut quo minus obtineat impediendum (§. 346.), ut is bono privetur & quo minus obtineat impediatur, reſpectu noſtri per modum boni abſentis, quod præſens eſſe mallemus, nobis repræſentamus, ideoque cupiditas oritur (§. 810. *Pſych. empir.*). Patet itaque invidiam continere cupiditatem infelicitatis alterius, eundemque bono privandi & quo minus obtineat impediendi. *Quod erat alterum.*

Probe notandum eſt, ne quæ diverſa ſunt inter ſe confundantur, & ne hæc confuſio ſcrupulum cuidam injiciat, odium, a quo invidia dependet, concitari poſſe vel eadem cauſa, qua invidia concitatur, vel alia quacunque. Quodſi odium jam extiterit, antequam invidiæ cauſa adſit, nimirum antequam alteri bonum quoddam obtingit, id non cauſa accedente majores vires capit, ipſamque ideo invidiam auget. Semper tamen odium ante concitatur, quam invidia animum invadit, ſit ita, quod tempuſculo imperceptibili hanc præcedat, quando alterum odiſſe incipimus ob bonum, quod ipſi invidemus. Cupiditas autem infelicitatis alterius eumque privandi bono, aut quo minus id obtineat impe-

impediendi, ab invidia nunquam abest. Ast ne in dubitationem adducatur, quod in se satis manifestum est, cupiditatem istam intime perspicere debemus. Nimirum quem indignum judicamus bono, eundem dignum judicamus malo, ideoque cupiditas non modo intelligitur de malo privativo, quod in privatione boni consistit, quod alteri invidemus, sed de malo quocunque, quod creat molestiam voluptatem ex bono, quod alteri invidemus, percipiendam si non extinguentem, saltem imminuentem. Atque hinc ulterius facile intelligitur, non requiri ut invidens alteri bonum eundem eodem per se privare cupiat, aut si adhuc obtinendum, ipse impediat, quo minus obtineat; sed cupiditatem subsistere, etiamsi non extendatur ultra vota. Quamobrem objectum hujus cupiditatis sunt etiam, quæ casu quocunque funesto fiunt: quo contingente, ab invidente approbatur, quod factum est, ita ut cupiditas quasi ratihabeat, quod casu, aut ab alio quodam factum est. Nihil hic asseritur, quod non experiri detur, modo non otiosi rerum humanarum spectatores esse velimus, & talia a nobis monentur, ut aliorum attentionem in observando excitemus, ac ita vice cotis fungamur.

§. 564.

Dependentia irrisionis ab invidia.

Ab invidia dependet irrisio. Qui enim alteri invidet bonum, eundem indignum eodem judicat (§. 712. *Psych. empir.*), consequenter dignum judicat malo, quod ipsi obtingit. Cumque homines mala quæcunque, quæ aliis obtingunt, iisdem vitio vertant, et propterea putent, quasi famam eorum lædant, quod tanquam a posteriori satis notum jam sumimus, ex eo autem, quod alterum iis dignum existimamus, quæ opinione nostra famam alterius quomodocunque lædunt, irrisio oriatur (§. 741. *Psych. empir.*); ab invidia irrisio dependet (§. 851. *Ontol.*).

Alias

Alias jam monuimus, alios ob malum, quo ipsos dignos putamus, non irrideri, nisi quatenus id famæ ipsorum adversum esse opinamur, siquidem vocabuli significatum strictiorem retinere velimus, quem eidem tribuit usus loquendi, nec eum ultra eundem extendere lubeat, quemadmodum a nonnullis fieri solet (§. 742. *Psych. empir.*). Quod autem homines mala etiam physica promiscue aliis vitio vertant, quæ per se famæ ipsorum nihil detrahunt, noto notius est. Constat autem affectus sequi opinionem hominum, non vero niti veritate, quamdiu appetitus sensitivus non fuerit reductus ad consensum cum rationali, nec aversatio sensitiva ad consensum cum aversatione rationali. Quodsi hoc factum fuerit, nec alteri invidebimus sua bona, nec eum irridebimus, si mali quidpiam eidem accidit. Dantur etiam, qui irrisionem restringunt ad malum levius, quod videant ob malum levius alios irridentes non tamen eosdem irridere, si grave quoddam ipsis accidat. Sed habet ipsa invidia suos gradus, qui cupiditatem mali alterius restringunt, ac dantur præterea causæ aliæ, quæ invidum ab irrisione avertunt, si malum fuerit gravius.

§. 565.

Quando irrisio ab invidia maxime dependeat.

Quoniam *irrisio* ab invidia dependet (§. 564.), ex eo autem oritur, quod alterum iisdem dignum judicamus, quæ opinione nostra famam ejus lædunt, vel eidem quomodocunque adversantur (§. 741. *Psych. empir.*); eadem ab *invidia maxime dependet, si quis alteri famam invidet.*

Exemplum habemus in eruditis, qui plus in moribus deficiunt, quam in literis profecerunt, & famam aliis invidentes eos publice deridendos aliis propinant, ut vel famæ, quam habent, maculam adspergant, vel impediant, ne famam consequantur. Irrisores istiusmodi longe plurimos alit Germania nostra, ut verbis opus non sit, ubi rerum testi-

teſtimonia quotidiana adſunt. Irriſionem hanc alit literarum, quæ dicuntur, elegantiorum abuſus, quo mirifice ſibi placent levis, ne dicam abjecti animi homines. Cumque ſibi perſuadeant fore, ut, quemadmodum ſibi placent, ita quoque placeant aliis, gloria ad irriſionem eos ſtimulat (§. 769. *Pſych. empir.*). Multum in opinionibus hominum non modo inane ineſt, ſed etiam pravi, iis præſertim, quibus affectus concitari ſolent.

§. 566.

Irriſio ab odio dependet & cupiditatem lædendi famam alterius continet. Irriſio enim oritur, ſi quis alterum dignum exiſtimat iis, quæ famam ejus lædunt, conſequenter malis, quæ famæ adverſa opinatur (§. 741. *Pſych. empir.*), ideoque malum alterius, conſequenter quod eidem tædia creare poteſt (§. 569. *Pſych. empir.*), appetit. Enimvero qui tædia alterius appetit, eum odit (§. 669. *Pſych. empir.*). Irriſio itaque ab odio dependet (§. 851. *Ontol.*). *Quod erat unum.* *Dependentia irriſionis ab odio & de cupiditate in ea contenta.*

Tendit autem irriſio ad detrahendum famæ alterius & labefactandam gloriam ejus (§. 350.). Quamobrem reſpectu ſui bonum exiſtimat, ut alterius fama lædatur (§. 893. *Pſych. empir.*), conſequenter cum hoc bonum *ſibi* repræſentet tanquam abſens, quatenus nimirum quid judicent alii ſibi nondum innotuit, ex repræſentatione autem boni abſentis quod præſens eſſe mallemus, cupiditas oritur (§. 810. 805. *Pſych. empir.*); irriſio cupiditatem continet. *Quod erat alterum.*

Non eſt, quod excipias, non infrequens eſſe, ut deridеantur homines prorſus ignoti, quibus malum quoddam obtingit, quod famam quomodocunque offendit. Etenim ſi curatius omnes circumſtantias conſideres, deprehendes

adeſſe quædam, quæ odium quoddam tacite concitant, aut univerſale quoddam odium occluſum in animo latebit, quod in præſenti excitatum in appetitum ſenſitivum influit. Irriſor vero cupiditatem detrahendi famæ alterius prodit, quod malum alterius, quo delectatur, in malam partem vertit, idemque divulgare ſtudet, ita ut ſi caſus contingat nullo modo a nobis dependens, alter tamen eundem meruiſſe dicatur propter facta mala, aut vitia, quæ ipſi imputantur. Magis manifeſta hæc evadent ſuo loco, quando de vitiis ſumus acturi: id quod de aliis quoque affectibus tenendum. Effectus nimirum affectuum non clarius eluceſcunt, quam ex eorum in vitia influxu: ſunt enim viriorum alimenta.

§. 567.

Cur irriſio ſine gaudio non concipiatur.

Irriſio ſine gaudio non concipitur. Etenim cum irriſio tendat ad detrahendum famæ alterius (§. 350.), mala autem, quæ alteri obtingunt, famæ ipſius adverſa putat irriſor (§. 741. *Pſych. empir.*), cauſam læſionis famæ præſentem agnoſcit. Irriſionem famæ alterius cum reſpectu ſui in numerum bonorum referat, *per demonſtrata in propoſitione præcedente n. 2.* opinione autem boni præſentis concitetur gaudium (§. 624. *Pſych. empir.*); irriſio ſine gaudio non concipitur.

Ideo irriſionem per gaudium definivimus, utpote gaudii ſpeciem, vi demonſtrationis præſentis. Irriſores id in votis habent, ut aliorum famæ labes adſpergatur, occaſione itaque detrahendi famæ aliorum oblata bonum quoddam eſt, quod appetunt. Ejus itaque participes facti gaudent. Irriſores delectari malo alterius, nemo in dubium vocat, ita ut ipſorum gaudium vulgo agnitum in affectuum numerum fuerit relatum. Aſt cum gaudium concitetur opinione boni præſentis, oſtendendum erat, quomodo repræſentatione mali præſentis gaudium concitari poſſit. Irriſoribus paulo arte accenſuimus litteratos, qui ut famæ aliorum detrahant eos

eos publice deridendos aliis propinant. Quantum vero lætentur, ſi ſibi perſuadent, iniquis ſuis ac ſæpe ridiculis cenſuris aliorum famæ detractum iri; inde ſatis intelligitur, quod lætabundi aliis narrent cenſuras ſuas, ut, quando in lucem publicam prodierint, ad eas legendas eos commoveant. Teſtantur idem, qui ſeſe iisdem aſſociant, ipſorumque cenſuris, quibus maculam adſpergere conantur aliorum famæ, delectantur easque divulgare omni animi contentione conantur. Immo diſplicet utrisque, ſi cordatiores auſus iſtiusmodi temerarios improbant non ſine juſta indignatione, cum id intentioni ipſorum adverſetur.

§. 568.

Acquieſcentia in ſe ipſo ſine gaudio non concipitur, amorem ſui alit & cupiditatem recte faciendi continet. Acquieſcentia in ſe ipſo oritur, ſi facta noſtra nobis tanquam bona repræſentamus (§. 751. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque boni præſenti opinione gaudium concitatur (§. 624. *Pſych. empir.*); ſine gaudio acquieſcentia in ſe ipſo concipi nequit. *Quod erat primum.*

Dependentia acquieſcentiæ in ſe ipſo a gaudio & amore ac cupiditate in ea contentis.

Enimvero cum ex eo, quod bene ſeu recte a nobis factum putamus, voluptatem percipiamus (§. 750. *Pſych. empir.*), id nobis placet (§. 542. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum amor oriatur, ſi quod nobis placet in altero obſervamus (§. 654. *Pſych. empir.*), nosmetipſos quoque ob bene ſeu recte facta a nobis amamus. Acquieſcentia igitur in ſe ipſo amorem ſui alit. *Quod erat ſecundum.*

Denique cum acquieſcentia in ſe ipſo tendat ad bene ac recte faciendum, quod faciendum in poſterum (§. 357.); qui in ſe ipſo acquieſcit, in poſterum facienda ſibi

per modum boni abſentis repræſentat. Quamobrem cum hac abſentis repræſentatione concitetur cupiditas (810. *Pſych. empir.*); acquieſcentia in ſe ipſo continet cupiditatem recte faciendi. *Quod erat tertium.*

Definivimus acquieſcentiam in ſe ipſo per gaudium, cum utique gaudii ſpecies ſit (§. 749. *Pſych. empir.*), & quod bene factis gaudeamus, demonſtravimus (§. 750. *Pſych. empir.*), ut conſtaret definitionis nominalis realitas. Cum vero in Ethica potiſſimum attendantur definitiones reales, quibus continetur enumeratio affectuum (§. 536.), in præſenti ex ipſis definitionibus acquieſcentiæ in ſe ipſo & gaudii realibus demonſtrare voluimus, illam ſine hoc concipi non poſſe. Quod amor ſui eodem modo concipitur, quo amor alterius, nemo eſt qui dubitat. Et ſi quis ſcrupuloſior fuerit, quam ut admittere velit definitionem, quæ de amore alterius loquitur, ad amorem ſui ipſius trahi; is perpendat, quæ alias jam monuimus, in moralibus ac in primis quando de affectibus ſermo eſt, hominem ſe ipſum ſpectare tanquam diverſum a ſe ipſo. Ceterum in ſe ipſo acquieſcens amorem ſui haud raro prodit, ut in oculos omnium incurrat: unde etiam dicere ſolemus, quod amori ſui ipſius nimium indulgeat is, cui ea, quæ facit, nimium placent. Videmus quoque in ſe ipſo acquieſcentem fovere cupiditatem in poſterum ſimiliter agendi, eandemque in nobis ipſis obſervamus leviſſima attentione, ita ut ſi alii inique reprehendant, quæ recte facta putamus, in poſterum non aliter facere cupiamus. Inde eſt, quod dicere ſolemus, ſi adhuc faciendum eſſet, quod factum, non non aliter facturos eſſe. Dulcedinem hujus affectus prædicat *Carteſius* & quod recte prædicet demonſtravimus (§. 764. *Pſych. empir.*), ipſimet eandem ſatis experti ſumus. Quamobrem cum hic ipſe affectus magnum momentum habeat in philoſophia morali; omnem quoque operam dare debemus, ut eundem intimius perſpiciamus.

§. 569.

§. 569.

Acquieſcentia in ſeipſo gloriam ſuſcitat, quamprimum facta, illius cauſa, ad judicium aliorum referuntur. Etenim acquieſcentia in ſeipſo oritur, ſi facta noſtra nobis repræſentamus tanquam bona (§. 751. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo animum ſubit cogitatio de aliis, quid de factis ſint judicaturi, cum nobis facile perſuadeamus fore ut etiam alii judicaturi ſint, bene ac recte a nobis factum eſſe, quod fecimus hac vero opinione gloria concitatur (§. 769. *Pſych. empir.*); acquieſcentia in ſeipſo gloriam ſuſcitat quamprimum facta, illius cauſa, ad judicium aliorum referuntur. *Quando acquieſcentia in ſe ipſo gloriam ſuſcitet.*

Monuimus jam alias, fieri poſſe, ut uterque affectus conjungatur, &, ſi vel maxime in unum confundantur, utrumque tamen ab altero manere diſtinctum, & propriam ſibi retinere naturam, quemadmodum in qualitatibus quoque ſenſibilibus contingit. Quamobrem hic oſtendendum erat, quomodo contingat, ut gloria ſit individua comes acquieſcentiæ in ſeipſo & eidem ſocietur. Nec eſt, quod hæreamus in eo, quod benignum de actis noſtris judicium nobis promittamus ab aliis, quæ ipſi bona & recta judicamus. Quamvis enim experientia conſtet, de iis quoque, quæ bene ac recte a nobis facta ſunt, male ſentire alios, eadem tamen magiſtra docemur, non deeſſe alios, qui benignum de iis judicium ferunt, aut, ſi deſint in præſenti, non defuturos in poſterum. Quamobrem vix concipi poteſt caſus, in quo quis ſibi perſuadet, ea, quæ a ſe bene ac recte facta putat, a nemine, neque in præſenti, neque in futuro tempore agnitum iri. In præſenti plurimæ ſunt rationes, cur merita aliorum non agnoſcantur, aut, ſi vel maxime agnoſcantur, ſiniſtris tamen aliorum judiciis expoſita ſint; rationes iſtæ plerumque tales ſunt, quæ futuro tempore ceſſant. Haud infimum locum hic tenet invidia, quæ

poſt mortem ſi non ſemper, ſaltem plerumque ceſſat: ſtudio dico, non ſemper. Fieri enim ſolet, ut homines, qui ſupra omnes eminere volunt, mortuis quoque invideant laudem, quam merentur, ideoque ipſorum merita vel extenuent, vel bene & recte facta in malam partem interpretentur, cum nihil tam bene ac recte fieri poſſit, quod a malevolis iniqua interpretatione in pejus verti non poſſit. Non tamen ſeculum aliquod fingere licet, in quo omnino omnes hoc vitio laborant, ſi vel maxime grafſetur inſtar peſtis, quæ quantumcunque ſæviat, non tamen infecit omnes. Et quia benigna aliorum de factis noſtris judicia nobis placent, eaque optamus; quod maxime cupimus, id maxime credimus.

§. 570.

Gloria in quo conſiſtat.

Gloria in gaudio conſiſtit. Gloria enim oritur, ſi facta noſtra ab aliis bona exiſtmari putamus (§. 769. *Pſych. empir.*). Quodſi jam experimur benignum de iis aliorum judicium, id tanquam bonum quoddam præſens nobis repræſentamus: quodſi vero ſaltem confidimus fore, ut alii de eo, quod fecimus, benignum judicium laturi ſint, ſtatum iſtum, in quo id experturi ſumus aut ſaltem evenire, quod fore confidimus, nobis repræſentantes, illud demum per modum boni præſentis nobis repræſentamus. Quamobrem cum repræſentatione boni præſentis ſuccrescit gaudium (§. 624. *Pſych. empir.*); gloria in gaudio conſiſtit.

Affectum, quem gloriam dicimus, oriri, ſive benignum aliorum judicium experiamur, ſive idem ſaltem nobis polliceamur, experientia docet, & eadem magiſtra diſcimus nos in utroque caſu gaudere. Quando vero facta noſtra referimus ad opinionem aliorum, ſicuti certum ſubjectum non ſpecta-

ſpectamus, ita quoque ad tempus animum non advertimus. Huic itaque affectui adhuc locus eſt, etiamſi ſupponamus poſt obitum demum noſtrum extituros quosdam, qui bene ac recte a nobis facta agnituri atque laudaturi ſunt. Negari equidem non poteſt, pro diverſitate iſtorum caſuum gradum affectus nunc eſſe majorem, nunc minorem; ſed jam non quæſtio de gradu, ſed de exiſtentia affectus ſermo eſt. Definivimus gloriam per gaudium (§. 765. *Pſych. empir.*), & realitatem hujus definitionis a priori evicturi demonſtravimus, opinione benigni judicii aliorum de factis noſtris gaudium concitari (§. 766. *Pſych. empir.*). Aſt hic ex definitione reali oſtendendum erat, gloriam in gaudio conſiſtere. Ceterum etſi hic brevitatis ſaltem cauſa factorum ſaltem bonorum ad opinionem aliorum relatorum mentionem fecimus; alias tamen jam monuimus affectum hunc extendi ad bona quæcunque alia ad aliorum opinionem relata.

§. 571.

Si benignum aliorum judicium adhuc expectamus, gloria a fiducia, aut ſaltem a ſpe dependet. Etenim ſi benignum aliorum judicium adhuc expectamus, tum idem nobis vel tanquam bonum certo obtinendum, vel tanquam bonum obtentu poſſibile repræſentamus, ita tamen ut probabilitas obtinendi major videatur probabilitate non obtinendi. Quamobrem cum opinione boni certo obtinendi concitetur fiducia (§. 802. *Pſych. empir.*), opinione autem boni eventu poſſibilis ſpes concitetur (§. 800. *Pſych. empir.*); ſi benignum aliorum judicium adhuc expectamus, gloria a fiducia, aut ſaltem a ſpe dependet. *Dependentia a fiducia & ſpe.*

Gloria plerumque a fiducia dependet, raro ſaltem a ſpe, tumque ſpes ad fiduciam propius accedere debet, ut metui, qui eidem ſociatur, prædominetur, aut is non attendatur, cum nullæ rationes probabiles in contrarium cogitationem noſtram

noſtram ſubeant. Quemadmodum vero metus ſpem non extinguit, etſi eidem ſocietur, ita quoque gloria ab illa dependens non extinguitur,

§. 572.

Dependentia gloriæ ab acquieſcentia in ſe ipſo.

Si benignum aliorum judicium adhuc expectatur, gloria ab acquieſcentia in ſeipſo dependet. Gloria enim excitatur opinione benigni aliorum de factis noſtris, aut nobis judicii (§. 769. 765. *Pſych. empir.*). Enimvero qui putat alios de factis ſuis, vel ſe bene judicaturos; is ea, quæ fecit, bene a ſe facta opinatur. Quamobrem cum acquieſcentia in ſe ipſo oriatur, ſi facta noſtra nobis tanquam bona repræſentamus (§. 751. *Pſych. empir.*); ſi benignum aliorum judicium adhuc expectamus, gloria ab acquieſcentia in ſe ipſo dependet.

Fieri non poteſt, ut quis ſibi perſuadeat, alios de ſe & factis ſuis bene judicaturos, ſi ipſemet de ſeipſo & factis ſuis male ſentit, aut ſaltem veretur, ne male, aut minus recte factum ſit, quod fecit. Quamobrem nec fieri poteſt, ut gloria concitetur judicio aliorum, quod expectatur, niſi ante concitata fuerit acquieſcentia in ſeipſo. Poteramus propoſitionem præſentem per modum corollarii inferre ex eo, quod paulo ante demonſtravimus, ſcilicet quod acquieſcentia in ſeipſo gloriam ſuſcitet, quamprimum facta illius cauſa ad opinionem aliorum referimus (§. 569.): tum enim benignum aliorum judicium gloriæ cauſa adhuc expectatur. Ut tamen veritas propoſitionis præſentis evidentius conſtaret, eandem indepenter ab illa demonſtrari conſultum duximus.

§. 573.

De cupiditate in gloria contenta.

Gloria continet cupiditatem felicitatis conſervandæ & bene recte faciendi quod faciendum eſt. Gloria enim tendit ad conſervan-

servandam felicitatem & ad recte faciendum, quod faciendum est (§. 371.). Quamobrem qui huic affectui indulget, is conservationem felicitatis & studium recte faciendi sibi repræsentat per modum boni absentis. Quoniam itaque opinione boni absentis concitatur cupiditas (§. 810. *Psych. empir.*); gloria continet cupiditatem felicitatis conservandæ & bene ac recte faciendi, quod faciendum est.

Status, quo affectui præsenti indulgemus, spectatur tanquam absens, quatenus consideratur tanquam in posterum continuandus. Et ut ita consideretur, ipsa dulcedo hujus affectus in causa est, quæ in continuationem ejusdem attentionem convertit. Status continuatio a bene ac recte in posterum agendi studio dependet, ideoque cupiditas felicitatem conservandi excitat cupiditatem bene ac recte faciendi, quod in posterum faciendum est. Nascuntur nobis inconsultis perceptiones & appetitiones ac aversiones ex se invicem, & philosophi est explicare, quomodo & quænam nascantur.

§. 574.

Pœnitentia in tristitia consistit. Etenim pœnitentia oritur, si ea, quæ fecimus, nobis repræsentamus tanquam male, aut minus recte facta, seu opinione mali a nobis patrati concitatur (§. 759. *Psych. empir.*). Quamobrem cum facta mala arguant mala nobis inhærentia, cum quoad facultates cognoscendi, tum quoad facultates appetendi & aversandi, itemque statum ejus repræsentent tanquam malum, quatenus nos obnoxios fecimus malis ex actionibus malis consequentibus, vel periculo eorum nos exposuimus; qui malum a se patratum sibi repræsentat, multa mala tanquam præsentia sibi repræsentat. Enimvero

Pœnitentia tristitiæ species.

vero opinione mali præſentis triſtitia concitatur (§. 623. *Pſych. empir.*); pœnitentia igitur, quæ mali a nobis patrati opinione concitatur, in triſtitia conſiſtit.

Pœnitentiam per triſtitiam definivimus (§. 755. *Pſych. empir.*), & realitatem ejus evicturi oſtendimus mala a ſe patrata ſibi repræſentantem contriſtari debere (§. 756. *Pſych. empir.*). Aſt cum triſtitia oriatur ex repræſentatione mali præſentis (§. 623. *Pſych. empir.*), malum vero a nobis patratum ſit præteritum; ne circa definitionem realem triſtitiæ dubium oriatur enumerationi affectuum adverſum (§. 536) oſtendendum hic erat, quod triſtitia, in qua conſiſtit pœnitentia, non aliter quam malorum præſentium repræſentatione concitetur quamvis acutiores ex demonſtrationibus alias datis (§. 756. 758. *Pſych. empir.*), id per ſe videre poterant. Equidem conſtat animum pœnitentis potiſſimum torqueri malis, quibus ſe obnoxium reddidit, veluti metu pœnæ, quando talis metuenda; non tamen propterea excludenda ſunt mala facultatibus animæ inhærentia, quæ produnt facta, quamvis in perceptione confuſa latentia non appercipiantur. Conſtat enim ex antecedentibus, eadem in actus averſationis ſenſitivæ influere, atque affectum reddere vehementiorem. Immo quando pœnitens ad objectum affectus animum attendit, eundem quoque ſibi conſcius efficitur, & verbis eundem prodit. Nihil itaque a nobis in demonſtratione ſumitur, quod experientiæ repugnat.

§. 575.

De fuga infelicitatis & cupiditate factum infectum reddendi.

Pœnitentia continet fugam infelicitatis & cupiditatem factum infectum reddendi, & malo patrando in poſterum abſtinendi. Pœnitentia enim tendit ad depellendam infelicitatem (§. 363.), conſequenter ſe liberandi a moleſtia, ſive tædiis, quibus torquetur animus (§. 637. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque

que pœnitens istiusmodi statum, qualis præsens est, pro tem- *di & a ma-*
pore futuro sibi repræsentat tanquam malum adhuc ab- *lo patrando*
sens, quod abesse cupit, ex repræsentatione autem mali *abstinendi in*
fuga oritur (§. 818. *Psych. empir.*), pœnitentia fugam con- *pœnitentia*
tinet infelicitatis. *Quod erat primum.* *contenta.*

Enimvero quem pœnitet, is factum infectum reddere mallet (§. 761. *Psych. empir.*). Quoniam igitur, si hoc fieri posset, a tædiis, quibus torquetur animus, liberaretur, sublata quippe eorundem causa, liberatio vero ab istis tædiis in numerum bonorum referatur (§. 756. *part. 1. Jur. nat.*); per modum boni absentis, quod præsens esse mallet, sibi repræsentat, ut factum infectum reddatur. Quamobrem cum hac repræsentatione concitetur cupiditas (§. 810. *Psych. empir.*); pœnitentia cupiditatem factum infectum reddendi continet. *Quod erat secundum.*

Denique pœnitentia tendit ad propositum id, cujus pœnitet, posterum non faciendi (§. 363.), consequenter a malo abstinendi (§. 759. *Psych. emir.*). Quoniam itaque illum statum, quo animus liber est a tormentis ob mala patrata, pœnitens sibi tanquam bonum repræsentat (§. 4.), consequenter etiam abstinentiam a malo, tanquam medium eum obtinendi, repræsentatione autem boni absentis cupiditas concitatur (§. 810. *Psych. empir.*); pœnitentia cupiditatem a malo patrando in posterum abstinendi continet. *Quod erat tertium.*

Pœnitentiam esse affectum molestissimum, jam alias ostendimus, tam a priori, quam a posteriori (§. 758. *Psych. empir.*), utut pro diversa mali, cui obnoxium se fecit pœnitens magnitudine, nunc magis, nunc minus molestus sit (§. 256.). Constat etiam affectum hunc perennare, quatenus memoria male facti durat, ut ex improviso resuscitetur. Hominem itaque infelicem reddit. Statum vero suum dum intuetur

pœnitens, eundem ſpectat vel tanquam præſentem, quatenus tædiis jam actu torquetur, vel tanquam abſentem, quatenus prævidet, pœnitentia reſuſcitata, eundem in poſterum rediturum. Quamobrem ſi eundem ſpectat tanquam rediturum, malum quoddam abſens ſibi repræſentat, fugæ cauſam, & quatenus liberationem a præſente & evitationem futuri ſpectat, bonum quoddam abſens ſibi repræſentat, cupiditatis cauſam. Enimvero ſi appetitus fertur in finem, nimirum liberationem a malo præſente & evitationem futuri, neceſſe eſt ut etiam feratur in medium. Ac ideo excitatur cupiditas factum infectum reddendi, ut cauſa moleſtiarum ſublata tollerentur moleſtiæ, quamvis cum id impoſſibile ſit ultra vota non extendatur, & cupiditas a malo in poſterum abſtineadi, quamvis poſtea vincatur ab affectibus aliis, quando peccandi occaſio offertur. Nihil hic aſſerimus, quod experientia non poteramus, modo ad ea, quæ experientia offert, attentionem & acumen ſufficiens afferamus: ſatis enim conſtat de eadem re non omnes eadem obſervare.

§. 576.

Dependentia pudoris a pœnitentia.

Quamprimum pœnitens factum ad aliorum opinionem refert, pudore ſuffunditur. Quem enim facti pœnitet, is ſibi hoc tanquam malum, aut minus rectum repræſentat (§. 759. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo hoc factum ad aliorum opinionem refert, aliorum cenſuram ſibi repræſentat. Quamobrem cum ex hac repræſentatione naſcatur pudor (§. 779. *Pſych. empir.*); quamprimum pœnitens factum ſuum ad aliorum opinionem refert, pudore ſuffunditur.

Qui famæ ſuæ amans eſt, facta ſua ad aliorum opinionem ſtatim refert, quando ejusdem pœnitet. Eſt autem hominibus natura inſitus aliquis famæ amor, ut ideo contemtum ſui & convicia ferre non poſſint atque iis iraſcan-

tur,

tur, qui male facta ipſis objiciunt. Equidem fieri poteſt, ut is ſupprimatur affectibus aliis prædominantibus, non tamen prorſus extingvitur. Et propterea peſſimi hominum habentur, qui omnem prorſus pudorem exuerunt. Pudor itaque perpetuus fere pœnitentiæ comes eſt, quamvis ſubinde quaſi in fundo lateat. Supra vero jam oſtendimus, quando ad pœnitentiam accedat odium facti (§. 364.), & quando is, quem facti pœnitet, ſibimetipſi indignetur, aut prorſus iraſcatur (§. 365.).

§. 577.

De metu & cupiditate celandi factum ad pœnitentiam accedente.

Quando pœnitens veretur, ne factum aliis innoteſcat; metus naſcitur, ac inde porro cupiditas celandi factum. Etenim quando pœnitens veretur, ne factum aliis innoteſcat; is ſibi tanquam malum repræſentat, ut factum ſuum ad notitiam aliorum perveniat: malum vero hoc adhuc abſens eſſe, per ſe patet, quippe quod aliter ſpectari nequit, quam tanquam futurum & eventu poſſibile. Enimvero opinione mali eventu poſſibilis concitatur metus (§. 822. *Pſych. empir.*). Quamobrem ſi pœnitens veretur, ne factum aliis innoteſcat, metus naſcitur. *Quod erat unum.*

Enimvero metus cupiditatem includit, malum ſcilicet, quod metuimus, evitandi (§. 553.). Quamobrem ſi pœnitens metuit, ne factum, cujus ipſum pœnitet, aliis innoteſcat, conſequenter ſi fieri poſſe opinatur, ut ad aliorum notitiam perveniat; cupiditas celandi factum accenditur. *Quod erat alterum.*

Supponit utique metus pudorem, ſi quis nolit maculam adſpergi famæ ſuæ. Dantur vero etiam cauſæ aliæ, cur quis nolit, factum ſuum aliis innoteſcere, veluti ſi pœnam incurrit, aut damnum quoddam inde emergit. Quamobrem

rem ſaltem diximus, pœnitentem vereri, ne factum ſuum innoteſcat: ut autem vereatur, ne hoc fiat, requiruntur rationes, ob quas factum ſuum aliis, aut certis quibusdam innoteſcere nolit, & quod hoc fieri poſſit, ſibi perſuadere debet. Etenim tum ſibi malum tanquam eventu poſſibile repræſentat, quod ne præſens fiat mavult. Quoniam vero depulſio hujus mali dependentiam a nobis includit; ſi ad hanc animus attenditur, alii porro naſcuntur affectus a metu ac ſpe originem ducentes, quemadmodum facile per ſe videbit, qui ea ad animum revocat, quæ in anterioribus demonſtrata ſunt. Verum enimvero hæc probe conſideranda ſunt, ubi ratio vehementiæ pœnitentiæ reddenda, quæ pro diverſitate circumſtantiarum plurimum variat.

§. 578.

Pudor num ſpecies triſtitiæ ſit.

Pudor in triſtitia conſiſtit. Quem enim pudet malum quod fecit, vel quod ſibi eſſe opinatur (§. 779. *Pſych. empir.*); is malum quoddam ſibi præſentat. Quamobrem cum opinione mali præſentis concitetur triſtitia (§. 623. *Pſych. empir.*); pudor in triſtitia conſiſtit.

Idem jam aliter demonſtravimus, realitatem definitionis nominalis pudoris, quippe quem per triſtitiam definivimus (§. 774. *Pſych. empir.*), evicturi (§. 775. *Pſych. empir.*) Cur vero hic aliter adhuc oſtendamus, ratio eadem, quam in anterioribus jam dedimus. Non eſt quod objicias, triſtitiam non apparere in omni pudore. Dantur enim triſtitiæ plures ſpecies, quæ a ſe invicem differunt, quemadmodum coloris rubri, aut dulcedinis, ſicuti mala omnia non ſunt prorſus eadem & pro diverſitate ſua diverſimode commovent appetendi atque averſandi facultatem. Accedit, quod pro diverſitate circumſtantiarum pudori aſſocientur affectus alii complures, quibus triſtitia, in qua pudor conſiſtit,

ſtit, modificatur, ut novam quandam induat formam. Alia, quæ adhuc dubium quoddam movere poterant, rejicimus in alium locum.

§. 579.

Pudor continet cupiditatem delendi memoriam facti, quod nos pudet, ſi aliis jam innotuit, & metum, ne aliis innoteſcat, & cupiditatem id celandi, ſi nondum innotuit. Etenim pudor tendit ad delendam memoriam facti, quod nos pudet (§. 375.), utique ſi aliis jam innotuit, quod per ſe patet. Deletionem igitur memoriæ facti pro bono habet (§. 156.); quod abſens eſſe, per ſe patet. Quamobrem cum opinione boni abſentis cupiditas concitetur (§. 810. *Pſych. empir.*); pudor continet cupiditatem delendi memoriam facti, quod nos pudet. *Quod erat primum.*

De cupiditate delendi memoriam facti, quod nos pudet, & metu, ne aliis innoteſcat, in pudore contentis.

Quodſi malum, quod nos pudet, aliis nondum innotuerit; cum nihil ſit tam tectum, quin detegatur, tanquam malum eventu poſſibile nobis repræſentamus, ut ad aliorum notitiam id perveniat. Quoniam itaque opinione mali eventu poſſibilis metus concitatur (§. 822. *Pſych. empir.*); ſi malum, quod nos pudet, aliis nondum innotuerit, metum pudor continet. *Quod erat ſecundum.*

Tendit autem pudor ad factum, quod aliis nondum innotuit, aliorum notitiæ ſubtrahendum (§. 575.), conſequenter idem celandum. Quamobrem cum occultatio facti ſpectetur tanquam bonum abſens, opinione autem boni abſentis cupiditas concitetur (§. 810. *Pſych. empir.*); pudor cupiditatem celandi factum continet. *Quod erat tertium.*

Ex cupiditate delendi memoriam facti & factum celandi pro varietate circumſtantiarum alii adhuc naſcuntur affectus, præ-

præſertim ſi utrumque conſideretur quoad dependentiam a nobis. Sed ut de his dicamus, vix opus eſſe videtur, tum quod ex iis, quæ in anterioribus demonſtrata ſunt, facile intelligantur, tum quod ſuo loco plura de iisdem dicenda erunt. Naſcitur cupiditas celandi factum ex ipſo metu (§. 553.), quem ſupponit, ut etiam ex eo, quod metum contineat cupiditatem, evitandi ſcilicet malum, quod metuimus, demonſtrari poſſit, pudorem continere cupiditatem celandi factum, quod nos pudet.

§. 580.

Quando pœnitentia pudoris comes.

Factorum, quæ nos pudet, nos etiam pœnitet. Pudor enim oritur, ſi perſuaſi ſimus, malum, quod fecimus, innotuiſſe aliis, aut cogitemus, id aliis innoteſcere poſſe (§. 779. *Pſych. empir.*). Quod igitur fecimus tanquam malum aut minus recte factum nobis repræſentamus. Quamobrem cum opinione mali a nobis perpetrati pœnitentia oritur (§. 759. *Pſych. empir.*); ſi quod fecimus, id nos pudet, ejusdem etiam nos poenitet.

Equidem non diffitemur, dari nonnullos, quos factum pudet, ejusdem tamen non pœnitet. Aſt tum affectus alii vehementiores pœnitentiam vincunt, quam tamen etſi momentaneam ſubinde ſuſcitat pudor, quando animum nimis inquietat. Ceterum hic ſupponitur, pudore ſuffundi animum, antequam pœnitentia oriatur, ac tum imprimis, quando rationem famæ habemus, utut malo delectemur, aut ſi prava expectationem de eo, quod fecimus, male judicant alii, nos vero veritatem judicii agnoſcimus. Propoſitionem vero præſentem alias jam aliter oſtendimus, atque a poſteriori confirmavimus (§. 783. *Pſych. empir.*).

§. 581.

Dependentia cupiditatis

A gratitudine dependet cupiditas bene faciendi benefactori. Etenim graditudo tendit ad promovendam felicitatem & depel-

depellendam infelicitatem benefactoris (§. 379.) & ad bonum bono referendum (§. 381.). Quoniam igitur beneficia conſiſtunt in bonorum collatione & malorum depulſione (§. 21. *part. 4. Jur. nat.*); gratus beneficia benefactori præſtanda ſibi repræſentat per modum boui abſentis. Quamobrem cum opinione boni abſentis concitetur cupiditas (§. 810. *Pſych. empir.*); ſi quis gratum habet erga benefactorem animum, cupiditas inde oritur, conſequenter cupiditas benefaciendi benefactori a gratitudine dependet (§. (§. 851. *Ontol.*).

Cupiditas hæc non ultra vota extenditur, ſiquidem in poteſtate beneficiarii non ſit benefactori bonum bono actu referre, aut ipſo facto gratitudinem eidem declarare. Adeo arcto vinculo cum gratitudine connexa eſt, ut cum ea hæc quoque tollatur.

§. 582.

A gratitudine dependet gaudium, ſi benefactori bonum obtingit; commiſeratio, ſi quid mali accidit. Qui enim gratum habet erga benefactorem animum, eundem amat (§. 784. *Pſych. empir.*), ideoque eundem conſiderat tanquam ſe ipſum (§. 659. *Pſych. em-pir.*), conſequenter ſi ipſi contingit aliquod bonum, id ſpectat ac ſi obtingeret ſibimetipſi. Quoniam itaque opinione boni præſentis gaudium concitatur (§. 624. *Pſych. empir.*); a gratitudine gaudium dependet, ſi benefactori bonum obtingit. *Quod erat unum.* *Dependentia gaudii & commiſerationis a gratitudine.*

Similiter ſi quis gratum habuerit erga benefactorem animum, eundem amat (§. 784. *Pſych. empir.*). Sed qui alterum amat, ejusdem commiſeratur (§. 688, *Pſych. empir.*), ſi quid mali eidem accidit (§. 695. *Pſych. empir.*).

Quamobrem qui gratum habet erga benefactorem ſuum animum, ejusdem commiſeratur, ſi quid mali ipſi acciderit, conſequenter a gratitudine dependet commiſeratio. *Quod erat alterum.*

Non minus malum, quam bonum benefactoris tanquam proprium ſpectat, qui gratum erga ipſum habet animum. Utrumque affectum auget cupiditas eidem benefaciendi (§. 380.), ac propterea contingit, ut bono benefactoris haud raro magis delectetur beneficiarius, quam benefactor, & malo ejus magis, quam ipſe contriſtetur. Nimirum gradus gaudii & triſtitiæ beneficiarii a magnitudine amoris potiſſimum dependet, non vero a magnitudine boni & mali, a qua magnitudo affectus, quo commovetur animus benefactoris, dependet, & quæ nec eadem utrisque videtur, cum unusquisque eandem ex ſe & ſtatu ſuo æſtimet. Amor enim accendit cupiditatem benefaciendi benefactori &, quamvis hæc in votis terminetur, beneficiarius tamen ardentius cupit, ut bonis quibusvis cumuletur benefactor & malis quantumlibet minima ab eodem abſint.

§. 583.

De cupiditate in favore contenta.

Cui favemus, eidem quoque cupimus. Si quis enim alteri favet, eundem amat (§. 791. *Pſych. empir.*), conſequenter quod voluntatem alteri creat appetit (§. 650. *Pſych. empir.*), ideoque quod ipſi bonum eſt (§. 589. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque bonum alterius tanquam abſens ſibi repræſentat, opinione autem boni abſentis concitatur cupiditas (§. 810. *Pſych. empir.*); cui favemus, eidem quoque cupimus.

Cupiditas boni ejus, cui favemus, adeo arcto vinculo cum favore cohæret, ut ab eo ſeparari minime poſſit, ideoque etiam pro gradu favoris gradus cupiditatis variat. Ut vero

vero favor tendat ad eum, cui favemus, in promovenda felicitate aliis præferendum (§. 383.), ratio singularis amoris, quæ in aliis deficit (§. 792. *Psych. empir.*), efficit. Prælatio igitur ipsius non supponit alium affectum, quam cupiditatem felicitatem ejusdem promovendi, sed saltem in casu, in quo idem pluribus præstari poterat, ad ipsum restringit, quia amor erga ipsum prævalet, ex quo tanquam fonte suo cupiditas promanat. Non tamen prælatio semper debetur favori, aut favori majori: sed dantur etiam causæ aliæ ab hoc affectu nullo modo pendentes, quæ appetitum determinant, quemadmodum experientia abunde docet. Quæ vero hujus loci non sunt, de his ut in præsenti dicatur ratio nulla suadet.

§. 584.

Quoniam cui favemus, eidem quoque cupimus (§. 583.), cupiditas vero tendit etiam ad malum absens avertendum, & ad liberationem a præsente (§. 388.); *cui favemus, ejusdem quoque, si quid mali ipsi obtingit, aut metuendum, commiseramur* (§. 695. *Psych. empir.*), consequenter cum eum, cui favemus, in felicitate ejus promovenda aliis, quos amamus, præferamus (§. 793. *Psych. empir.*), *in communi plurium miseria nos propius tangit miseria ejus, cui favemus, quam ceterorum.*

Dependentia commiserationis a favore.

Commiseratio in præsenti casu effectus favoris est. Quemadmodum itaque amor, in quo favor consistit (§. 791. *Psych. empir.*), ob rationem singularem, ob quam concitatur (§. 792. *Psych. empir.*), ad certam personam singulari modo restringitur, ut eam bono præ ceteris dignam & malo indignam censeamus; ita etiam commiseratio ab amore dependente (§. 688. *Psych. empir.*) ad eandem eodem modo restringitur. Experientia hoc satis superque testatur. Etenim si commune quoddam

malum pluribus contingit, veluti ſi incendio vaſtatæ fuerint ædes, qui commune damnum dolent, ſe tamen inprimis dolere damnum ejus ajunt, cui favent, hoc ipſo favorem prodentes. Idem effectus, qui favoris eſt, aut perſonam quandam in promovenda felicitatis aliis præferamus, a gradu etiam amoris dependere poteſt: id quod notandum, ne experientia minus cautos confundat.

§. 585.

Dependentia hilaritatis a triſtitia & cupiditate & quænam cupiditas in ea contineatur.

Hilaritas a triſtitia & cupiditate liberationis a malo dependet & cupiditatem vitandi ſimile malum in poſterum continet. Hilaritas enim oritur, ſi nobis repræſentamus malum, rem tædii creatricem, tanquam tædia non amplius creaturum (§. 856. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum malum præſens triſtitiam concitet (§. 623. *Pſych. empir.*), quæ tendit ad infelicitatem, conſequenter ad triſtitiam, tædiorum prædominium (§. 637. 619. *Pſych. empir.*), depellendum (§. 619.) ideoque cupiditatem liberationis a malo includit (§. 510. *Pſych. empir.*); hilaritas a triſtitia & cupiditate liberationis a malo dependet. *Quod erat unum.*

Enimvero hilaritas ipſa tendit ad malum, a quo liberati ſumus, aut periculum, quod evanuit, in poſterum præcavendum, quantum in poteſtate noſtra fuerit: quod in ea non fuerit præcavere malum, ſaltem ad vota tendit (§. 417.). Quando igitur hilares ſumus, malum, a quo liberati ſumus, tanquam abſens, quod tamen redire poſſe nobis repræſentamus, atque ideo evitationem iſtius mali in poſterum tanquam bonum abſens. Quamobrem cum opinione boni abſentis cupiditas concitetur (§. 810. *Pſych. empir.*); hilaritas continet cupiditatem in poſterum vitandi iſtiusmodi malum, a quo liberati ſumus. *Quod erat alterum.*

Hi-

Hilaritas concipi nequit ſine memoria mali, a quo liberati ſumus, atque triſtitiæ, quæ animum afflixit, itemque cupiditatis, ut ab illo liberaremur. Quamobrem cum jam experiamur nos voti noſtri compotes factos eſſe ac potitos bono, quod anxii optabamus; non eſt quod dubitemus hilaritatem a triſtitia & cupiditate liberationis a malo dependere (§. 851. *Ontol.*). Hilarem vero optare, ne iſtiusmodi malum denuo ſibi obtingat & ubi a ſe quodammodo dependet, ut id in poſterum evitet, aſſeverare, quod in poſterum cautius ſit mercaturus, ne denuo in iſtiusmodi malum incidat, noto notius eſt. Atque hoc pacto hilaris abunde prodit cupiditatem in hilaritate contentam. Quoniam ſine memoria mali, quo vexabamur, & cupiditatis, ut ab eodem liberaremur, hilaritas concipi nequit; ideo quoque videmus langueſcente memoria ſtatus triſtitiæ langueſcere quoque hilaritatem, ita ut tandem memoria liberationis a malo diu præteritæ parum aut nihil nos commoveat, etiamſi maxima fuerit hilaritas, cum e malo emergeremus. Præteritorum memoriæ vim in appetitum ſenſitivum & averſationem ſenſitivam quod dies ſenſim ſenſimque imminuat, unusquisque in ſe experiri poteſt. Ac ideo quoque dies imminuit tandemque extinguit affectus, qui concitantur opinione boni, vel mali præſentis, utut ea per modum præſentis recens memoria adhuc repræſentet.

§. 586.

Faſtidium continet fugam ejus, quod faſtidimus. Faſtidium enim oritur, ſi quod nobis tanquam bonum repræſentamus, idem deinceps tanquam malum repræſentemus (§. 859. *Pſych. empir.*). Quamobrem cum id, quod faſtidimus, nobis repræſentemus per modum mali abſentis, opinione autem mali abſentis fuga concitetur (§. 813. *Pſych. empir.*); faſtidium continet fugam ejus, quod faſtidimus. *De fuga in faſtidio contenta.*

Sine fuga ejus, quod faſtidimus, faſtidium concipi nequit, ſiquidem faſtidium ſumamus in ſignificatu ſtrictiori, ut a ſatietate diſtinguatur, quomadmodum fieri debet, ſi id in numerum affectuum referre velimus, qui in actibus vehementioribus appetitus ſenſitivi & averſationis conſiſtunt (§. 603. *Pſych. empir.*). Ne igitur dubia inania negotium faceſſant, propoſitionem ſequentem addere lubet.

§. 587.

Quid ſatietas contineat.

Satietas non continet fugam ejus, quo antea delectabamur, ſed ſaltem privationem cupiditatis, ſeu in hac conſiſtit. Etenim ſatietati locus eſt, ſi ex eo non amplius voluptatem percipimus, ex quo antea percipiebamus, nullam tamen moleſtiam. Quamobrem id, quod nobis antea repræſentabamus tanquam bonum, nunc nobis neque tanquam bonum, neque tanquam malum repræſentamus (§. 4.). Quoniam itaque nonniſi opinione boni præſentis cupiditas (§. 814. *Pſych. empir.*), nonniſi opinione mali abſentis fuga concitatur (§. 813. *Pſych. empir.*); ſatietas nec cupiditatem, nec fugam continet. *Quod erat unum.*

Quia tamen antea id cupiebamus, quod nunc non cupimus, *per demonſtrata*; ſatietas privationem cupiditatis continet, ſeu in ea conſiſtit.

Experimur id plerumque, quando ſenſibus grata quæ fuerunt grata eſſe deſinunt, non tamen ingrata fiunt: non enim iis non amplius idem ſtatuimus pretium, quod antea ſtatueramus. Atque hic caſus eſt, quando dies imminunt delectationes ſenſuales, etiamſi innocuæ ſint, aut ſaltem videantur. Quamvis vero iſtæ, quæ ſenſum hilarabant, non amplius amemus, ut cupiditatem concitare poſſent; eadem tamen nec odimus, ut fuga concitari queat. In ſatietate igitur

igitur non apparet niſi privatio cupiditatis, quæ antehac animum invadebat. Quodſi hæc probe perpendas, ſatietatem a faſtidio facile diſtingves, eandemque diſtingui ab hoc debere agnoſces.

§. 588.

Deſiderium a ſpe, vel fiducia dependet, & cupiditatem boni, quod expectamus, & ſi quidem mora adventum boni ſeu ejus, quod deſiderii a ſpe expectamus, in dubitationem adducit, metum continet. Deſiderium enim oritur, ſi mora adventus boni, quod ſperamus, tædium nobis creat (§. 853. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque deſiderium ſine ſpe concipi nequit, utpote quod ſupponit objectum quod in ſpe habemus, deſiderium a ſpe dependet. *Quod erat primum.* *Dependentia vel fiducia, & cupiditate ac metu in iis contentis.*

Enimvero ſi de adventu boni nulla nobis ſuperſit dubitatio, ut id, quod exſpectamus, certo adventurum putemus, cum hac opinione fiducia concitetur (§. 802. *Pſych. empir.*), ſicque ſpes in fiduciam abeat, deſiderium a fiducia dependet. *Quod erat ſecundum.*

Ex definitione deſiderii porro patet, nos bonum, quod ſperamus, vel certo exſpectamus, nobis repræſentare per modum boni abſentis, quod præſens eſſe mallemus. Quamobrem cum hac opinione concitetur cupiditas (§. 810 *Pſych. empir.*); deſiderium continet cupiditatem boni, quod expectamus. *Quod erat tertium.*

Denique cum ſpei metus ſocietur, ſi ſperans animum advertit ad poſſibilitatem boni obtinendi, atque animadvertit, fieri adhuc poſſe, ut id non obtineat, (§. 455.); quando deſiderium a ſpe dependet, metum continet

tinet, ſi mora adventum boni, ſeu ejus, quod exſpectamus, in dubitationem adducit. *Quod erat quantum.*

Fiducia metum omnem excludit (§. 551.), conſequens deſiderium metum continere nequit, niſi quando a ſpe dependet. Qua igitur de cauſa metus ſpei, eadem etiam de cauſa deſiderio accedit. Cur vero mora adventum boni, quod exſpectamus, in dubitationem adducat, ex circumſtantiis intelligitur. Mora vero moleſtior accidit pro diverſo gradu cupiditatis boni, quod exſpectamus. Dantur vero etiam cauſæ aliæ, quas circumſtantiæ deſiderantis ſuggerunt.

§. 589.

In quonam ira conſiſtat. *Ira conſiſtit in triſtitia, odio perſonæ injuriam facientis & cupiditate vindictæ, eidemque pro diverſitate circumſtantiarum affectus alii permiſcentur.* Ira enim concitatur opinione injuriæ nobis factæ, ſeu opinione mali ex facto alterius nobis vel aliis emergentis (§. 868. *Pſych. empir.*). Quoniam itaque factum alterius nobis repræſentamus per modum mali præſentis, opinione autem mali præſentis triſtitia concitatur (§. 623. *Pſych. empir.*); quin in ira triſtitia adſit, dubitandum non eſt. *Quod erat primum.*

Quoniam vero ex facto alterius, quod nobis tanquam malum repræſentamus, moleſtiam percipimus (§. 569. *Pſych. empir.*), id vero, ex quo moleſtia percipitur, nobis diſplicet (§. 542. *Pſych. empir.*); factum, quo ad iram concitamur, utique diſplicet. Quamobrem cum odium oriatur, ſi quid in altero nobis diſplicet (§. 674. *Pſych. empir.*); in ira quoque odium adeſt. *Quod erat ſecundum.*

Ex hoc autem odio naſci cupiditatem vindictæ, quando iraſcimur, jam alias demonſtravimus & a poſteriori con-

confirmavimus (§. 872. *Pſych. empir.*), *Quod erat tertium.*

Denique quod pro varietate circumſtantiarum accedant affectus alii, atque iræ permiſceantur, alibi quoque jam oſtendimus (§. 863. & *ſeqq. Pſych. empir.*) & datis circumſtantiis ex definitionibus affectuum realibus facile colligitur, quinam affectus in dato caſu iræ permiſceantur. *Quod erat quartum.*

Patet itaque iram conſiſtere in triſtitia, odio perſonæ injuriam facientis & cupiditate vindictæ, eidemque pro diverſitate circumſtantiarum affectus alios permiſceri.

Si triſtitia ſumatur pro tædiorum, ſeu moleſtiarum prædominio (§. 619. *Pſych. empir.*); nullum ſupererit dubium, quin triſtitiæ ſpecies ſit ira, quamvis a triſtitia ſimplici prorſus diverſa appareat, quia triſtitia odio & cupiditate vindictæ una concitatis & aliis affectibus eidem permixtis ita modificatur, ut aliam quaſi formam induat. Prodit autem triſtitia ſeſe, ſi ceteri affectus langveſcunt, aut prorſus extingvuntur, ut ſola reſidua maneat: prodit quoque eandem ploratus inprimis fœminarum, quas facile lachrymas effundere notum eſt. Non autem eſt, quod dubitemus, triſtitiam in principio concitari, utut tempuſculo imperceptibili ſeſe eidem jungant odium & cupiditas vindictæ, ac pro datis circumſtantiis affectus alii, ita ut ideo a nobis nonniſi ſimul apperciplantur, & ita confuſa affectus mixti perceptio prodeat. Cum vero ira tendat ad vindictam (§. 422.), cupiditas vindictæ in ira præ ceteris affectibus elucet atque vultus, geſtus & verba eandem produnt, odium vero & affectus ceteri caſu ſuperaccedentes quaſi occluſi latent.

§. 590.

Quoniam ira potiſſimum in triſtitia, odio & cupiditate vindictæ conſiſtit (§. 589.), indignatio vero ab ira in *In quonam indignatio conſiſtat.*

in eo differt, quod abſit vindictæ cupiditas (§. 873. *Pſych. empir.*); *in indignatione triſtitia ac odium invicem permiſcentur.*

Indignatio non modo gradu differt ab ira, quia cupiditas vindictæ abeſt, quæ vehementiam iræ valde auget, verum etiam quia alienum malum minus nos movet quam proprium, niſi impenſe alterum amemus, quo in caſu quoque iraſcimur ob injuriam alteri illatam (§. 874. *Pſych. empir.*). Accedit eadem de cauſa, quod in indignatione odium non easdem capiat vires, quam in ira (§. 878. 879. *Pſych. empir.*). Ideo ſane contingit, ut gradus indignationis adeo decreſcat, ut nulla fere vehementia, qualis ad affectus requiritur (§. 693. *Pſych. empir.*), obſervetur.

§. 591.

De actibus ordinariis appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ.

Actus ordinarii, ſeu minus vehementes appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ ſunt affectus naſcentes. Etenim cum appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva ſuos habeat gradus (§. 599. *Pſych. empir.*), atque affectus non ſint niſi actus vehementiores (§. 603. *Pſych. empir.*), cum quibus extraordinarius ſangvinis & fluidi nervei in corpore motus conjungitur (§. 611. *Pſych. empir.*), qui vero perinde ac ceteri actus (§. 580. 582. *Pſych. empir.*) confuſa boni & mali repræſentatione concitantur (§. 605. *Pſych. empir.*); affectus a ceteris actibus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ nonniſi gradu differunt, ſicuti motus ſangvinis ordinarius ab illo extraordinario, qui affectibus reſpondet, nonnisi gradu differt. Actus igitur ordinarii, ſeu minus vehementes appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ ſunt affectus naſcentes.

Anima vulgo dicitur pati, quatenus habet perceptiones confuſas, ac inde oriuntur actus appetitus ſenſitivi & averſa-

ſationis ſenſitivæ, ſeu appetitiones & averſiones; agere autem, quatenus habet perceptiones diſtinctas ac inde dependentes actus appetitus & averſationis rationalis, ſeu volitiones & nolitiones. Et ideo omnes appetitiones & averſiones confuſis perceptionibus ſuſcitatæ, non ſpectato gradu eorundem, ſunt paſſiones animæ, atque hoc modo cum affectibus in ſenſu ſtrictiori ſumtis, quemadmodum a nobis factum (§. 603. *Pſych. empir.*), communi hoc nomine ſub eodem genere comprehenduntur. Sunt autem revera affectus naſcentes, qui nondum adulti vires nondum acquiſiverunt, in quibus ipſorum vehementia conſiſtit, ſicuti infantes, utut nondum virili robore gaudeant, non minus homines ſunt, quam adulti. Immo docet experientia appetitiones & averſiones ſimplices ſeu ordinarias vires acquirere & in affectus degenerare, ſi magnitudo boni & mali, vel aliæ circumſtantiæ, a quibus vehementia affectus dependet, exaggerentur, ſicuti ex adverſo affectus reducuntur ad appetitiones & averſiones ordinarias, ſi eædem extenuentur. Enimvero non nudæ ſpeculationis gratia hæc dicuntur, ſed propter uſum, quem habent in philoſophia morali, cum in praxi morali omnes actus appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, nullo reſpectu habito gradus eorundem, ſeu omnes animæ paſſiones in eundem cenſum referantur.

§. 592.

Qui affectibus uti, non abuti, eorque regere voluerit, per- De modo
pendere debet, quo tendant ſinguli affectus, & num hoc, ad quod utendi & re-
obtinendum, vel depellendum tendunt, ſit legi naturæ conſentaneum, gendi affectus
an vero eidem repugnet. Uſus enim affectuum in eo conſiſtit, ut tendant ad obtinendum verum bonum & ad depellendum verum malum (§. 517.), abuſus vero in eo, ut tendant ad malum committendum, bonum vero omittendum vel impediendum, ſeu homines impellant ad actiones malas (§. 520.),

& affectus reguntur, ſi diriguntur ad obtinendum verum bonum, & depellendum verum malum, atque coercentur, ne eorum impetu abrepti ruamus in malum & jacturam boni faciamus, ſive quod actu habemus, ſive quod conſequi poſſumus (§. 528.). Neceſſe igitur eſt, ut perpendamus, quo tendant ſinguli affectus, & ne agamus quod legi naturæ repugnat, cujus indiſpenſabilis obligatio eſt (§. 142. *part. 1. Phil. pract. univ.*); utrum hoc, ad quod obtinendum vel depellendum tendunt, ſit legi naturæ conſentaneum, an eidem repugnet.

Non alio fine oſtendimus, quo tendant ſinguli affectus, quam quia hoc noſſe debemus, ſi affectibus uti, non vero abuti velimus (§. 519.), eosdemque regere (§. 533.). Poteramus igitur ex principiis in ſuperioribus evictis de ſingulis affectibus demonſtrare, in quonam eorum uſus & abuſus conſiſtat, & quomodo ſint dirigendi, ut abuſus omnis evitetur. Enimvero cum affectuum uſus ad culturam virtutis & fugam vitiorum maximum adjumentum afferat (§. 526.), & abuſus ad actiones malas, ſeu legi naturæ contrarias ſeducat (§. 520.); in ſpeciali tractatione de virtutibus ac vitiis ſingulis oſtendendum erit, quorumnam affectuum uſus faciat ad virtutem unamquamque promovendam, vitium vero quodcunque vitandum, & quorumnam affectuum abuſus vitia gignat atque alat, & quomodo affectus iſti ſint regendi, ne virtuti impedimenta objiciant, & ut a vitiis ad virtutis tramitem revocentur. Non igitur opus eſt, ut in præſenti ſimus prolixiores atque ea cumulemus, quæ alibi rectius traduntur ac intelliguntur.

§. 593.

In quonam is conſiſtat. *Si quis affectibus uti, non abuti voluerit, neceſſe eſt ut perceptio confuſa affectus creatrix conveniat cum repræſentatione boni ac mali*

mali diſtincta, ratione volitionis & nolitionis. Etenim ſi quis affectibus uti, non abuti voluerit, eos regimini intellectus ſubjicere debet (§. 528.). Quamobrem cum iidem eidem ſubjiciantur, ſi appetitus ſenſitivus reductus fuerit ad conſenſum cum rationali, ſeu voluntate perfecta, & averſatio ſenſitiva reducta fuerit ad conſenſum cum averſatione rationali, ſeu noluntate perfecta (§. 532.), conſequenter ſenſus & imaginatio in repræſentando bono & malo cum intellectu conſentiunt (§. 580. *part. 2. hil. pract. univ.*); ideo neceſſe eſt, ut quod intellectus tanquam bonum vel malum nobis repræſentat, idem quoque ut tale exhibeant ſenſus atque imaginatio, ſeu ut diſtincta boni & mali repræſentatio cum repræſentatione confuſa conveniat (§. 575. *part. 2. Phil. Pract. univ.*). Enimvero perceptio boni & mali confuſa affectus creatrix eſt (§. 605. *Pſych. empir.*). Quodſi ergo affectibus uti, non abuti velimus, neceſſe eſt, ut perceptio confuſa affectus creatrix conveniat cum repræſentatione boni ac mali diſtincta, ratione volitionis & nolitionis.

Diſtincta boni & mali repræſentatio nullo errore infecta eſſe debet: alias enim cum confuſa perceptione, quæ a ſenſu & imaginatione venit, permiſcetur & intellectu abutimur. Vide, quæ ſupra jam annotavimus (*not.* §. 532.), & quorum memoria hic refricanda fuit, ut dubitationes inanes præcidantur. Intellectus regere debet uſum facultatum inferiorum, non vero ſervire abuſui eorundem. Notio boni diſtincta reſolvitur in notionem perfectionis noſtræ atque ſtatus noſtri (§. 554. *Pſych. empir*), cum ea non conſentit notio confuſa, niſi quatenus eandem repræſentat. Ex vero hoc bono vera percipitur voluptas (§. 559, *Pſych. empir.*), quæ ſtimulare debet appetitum ſenſitivum, ut cum rationali ſeu voluntate libera ad idem tendat. Similiter no-

tio diſtincta mali reſolvitur in notionem imperfectionis noſtræ ac ſtatus noſtri (§. 565. *Pſycb. empir.*): cum ea non conſentit nodo confuſa, niſi quatenus eandem repræſentat. Ex vero hoc malo percipitur moleſtia conſtans (§. 571. *Pſycb. empir.*), quæ ſtimulare debet averſationem ſenſitivam, ut ad idem depellendum tendat cum rationali, ſeu noluntate libera. Quodſi hæc ita ſeſe habeant, affectus naturæ humanæ convenienter diriguntur ad committendas actiones legi naturæ convenientes & ad omittendas actiones eidem repugnantes. Quando ex habitu agimus, appetitus & averſatio non commoventur niſi perceptionibus confuſis, quas nonniſi appercipimus, ita ut veluti impetu quodam ſpontaneo abripi videamur ad agendum & non agendum. Tum vero ſufficit, ut perceptio confuſa ſit explicabilis per diſtinctam, & præſentia ac qualitas confuſæ ex ipſa actione poſitiva, vel privativa colligi poſſit. Obtinet hoc in qualibet actione ex habitu profluente, & philoſophi eſt tum inquirere in perceptionem, a qua dependet appetitio, vel averſio, & confuſam reſolvere in diſtinctam: id quomodo fieri poſſit, ex demonſtrationibus anterioribus addiſcendum. Ut autem hoc fiat, utile eſt, tum ad verum judicium de actionibus tam poſitivis, quam privativis ferendum, tum ad interiora animi quæ latent, in apricum producendum.

§. 594.

Quando affectus hominiinſint, quomodo per eminentiam in Deo exiſtunt.

Si perceptio confuſa boni & mali affectuum creatrix conveniat cum repræſentatione diſtincta boni & mali, ratione volitionis & nolitionis; affectus formaliter inſunt appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ, quales eminenter inſunt Deo, & per eminentiam quoque exiſtere concipiuntur in facultate appetendi & averſandi rationali hominis. Etenim ſi perceptio confuſa boni & mali affectuum creatrix conveniat cum repræſentatione diſtincta boni & mali, ratione volitionis & nolitionis, tum nodo

notio diſtincta boni & mali eſt ratio volitionis nolitionis, qualis confuſa in nobis excitat affectus, quod per ſe patet. Enimvero affectus Deo tribui nequeunt, niſi quatenus diſtincta boni & mali repræſentatio eſt ratio volitionis & nolitionis, qualis confuſa in nobis excitat affectus (§. 213. *part. 2. Theol. nat.*), iidemque ipſi inſunt per eminentiam (§. 1104. *part. 1. Theol. nat.*). Quamobrem ſi perceptio confuſa boni & mali affectuum creatrix conveniat cum repræſentatione diſtincta boni & mali, ratione volitionis & nolitionis, affectus formaliter inſunt appetitui ſenſitivo & averſationi ſenſitivæ, quales eminenter inſunt Deo. *Quod erat unum.*

Porro ſi perceptio confuſa boni & mali affectuum creatrix convenit cum repræſentatione diſtincta boni & mali, ratione volitionis & nolitionis, voluntas equidem & noluntas non determinantur per confuſam perceptionem, qua concitantur affectus, cum his tamen ad idem tendunt, ut perinde ſit ac ſi cum affectibus per eandem perceptionem confuſam determinarentur, ſicque actus voluntatis & noluntatis ſuppleant vicem affectuum, ſi hi vel maxime abeſſe ſupponantur. Atque hoc reſpectu in facultate appetendi & averſandi rationali hominis per eminentiam exiſtere concipiuntur affectus, quemadmodum Deo per eminentiam tribuuntur (§. 845. *Ontol.*). *Quod erat alterum.*

Abſit ut tibi perſuadeas, propoſitionem præſentem referendam eſſe ad tricas Scholaſticorum. Habet enim utraque pars ejusdem ſuam utilitatem. Per partem enim primam patet, quomodo affectus purgentur ab omni labe, & eorundem uſus ducat hominem ad ſimilitudinem cum Deo, quantum

tum differentia inter ſpiritum illimitatum & infinitum atque limitatum & finitum permittit, cum affectuum ibuſus hominem Deo prorſus diſſimilem reddat. Imitari autem homo debet Deum, quantum in facultatibus ipſius eſt, ut ſanctitatis divinæ quædam imago in ipſo appareat & anima ſpeculum quoddam ejus evadat (§ 784. *part.* 1. *Theol. nat.*), eo ſcilicet ſenſu, quo creaturæ ſunt ſpeculum perfectionum divinarum. Sane ſi ipſimet in nobis experiamur, quomodo affectus eo dirigantur, ut ad obtinendum verum bonum & depellendum verum malum cum apppetitu rationali tendant, omnium optime tunc intelligimus, quomodo affectus Deo inſint per eminentiam & illæſa ſumma ejusdem perfectione ipſi tribui poſſint. Pars vero altera propoſitionis nos docet, quod vocabula, quibus affectus denotamus, etiam uſurpari poſſint de volitionibus & nolitionibus primæ, ſeu de actibus appetitus & averſationis rationalis, etiamſi nullus habeatur reſpectus ad affectus, aut actus eorum appetitus ſenſitivi & averſationis ſenſitivæ, quos affectus naſcentes ſupra diximus (§. 591.), veluti cum dicimus nos ſperare, quando judicamus, id, quod obtinere optamus, obtentu non impoſſibile eſſe propter has, vel iſtas rationes, quibus ad aſſenſum compellitur intellectus. Atque ita demum patebit, quomodo animus ad eam tranquillitatem perduci poſſit, ut impetu affectuum non perturbetur. Sed hæc omnia clariora evadent per ea, quæ in partibus ſequentibus demonſtraturi ſumus.

§. 595.

De regimine affectuum in dominio perfecto.

In dominio perfecto in ſenſus, imaginationem atque affectus regimini intellectus affectus ſubjiciantur. Etenim in dominio perfecto in ſenſus, imaginationem atque affectus appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva cum rationali ſempre prorſus conſentit (§. 572. *part.* 2. *Phil. pract. univ.*). Enimvero

vero ſi appetitus ſenſitivus & averſatio ſenſitiva reducti fuerint ad conſenſum cum rationali, ſeu volunte & noluntate perfecta, affectus regimini intellectus ſubjiciuntur (§. 532.). In dominio igitur perfecto in ſenſus, imaginationem atque affectus regimini intellectus affectus ſubjiciuntur.

Multa de hoc dominio demonſtravimus alias (§. 554. *part. 2. Phil. pract. univ.*), cum veluti meta ſit, ad quam contendit omnis praxis moralis. Qui dominium hoc acquiſivit, illi ſufficientes ſunt vires reſiſtendi ſenſui, imaginationi atque affectibus, ne prævaleant adverſus rationem (§. 554. *cit.*) &, ubi perfectum fuerit, nulla unquam datur pugna partis ſuperioris ac inferioris facultatis appetendi (§. 573. *Part. 2. Phil. pract. univ.*), & quod diſtincte tanquam bonum nobis repræſentamus, idem confuſe perceptum ſemper quoque bonum videtur (§. 574. *part. 2. Phil. pract. univ.*), nec ullus unquam inter ſenſum & imaginationem atque inter intellectum datur diſſenſus (§. 577. *part. 2. Phil. pract. univ.*). Quamobrem regimen affectuum perfectius concipi nequit, quam in dominio perfecto. Quæ igitur de hoc dominio in genere demonſtravimus, ea ad regimen affectum quoque & rectum eorundem uſum applicanda ſunt.

§. 596.

Quoniam in dominio perfecto in ſenſus, imaginationem atque affectus regimini intellectus affectus ſubjiciuntur (§. 595); *Quæ de dominio perfecto in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendo demonſtrata ſunt* (§. 568. *part. 2. Phil. pract. univ.*), *ad acquirendum regimen affectuum quoque faciunt.* *De modo acquirendi regimen affectuum.*

Quæ igitur alibi jam demonſtravimus, ea hic repetenda non ſunt, neque enim cramben bis coctam apponimus, nec idem ſub diverſis nominibus inculcamus, ſit ita quod

non omnes unum idemque eodem nomine appellare conſueverint, quia hactenus philoſophiam in ſyſtema veri nominis redigere neglexerunt philoſophi, neque ideo ſignificatum verborum ad determinatas notiones reduxerunt. Quodſi perpendas modum acquirendi dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus; quam multa & ardua præſupponantur ſtatim videbis, atque agnoſces, ea in philoſophia univerſalis parte altera fuiſſe ſufficienter expoſita (§. 163. *part. 2. Phil. pract. univ.*), præſertim ſi eam analyſin inſtituere libuerit, quam ad diſtincte percipiendam ſucceſſivam aſſenſus generationem commendavimus & explicavimus (§. 992. 993. *Log.*). Quæ in philoſophia practica universali demonſtrata ſunt, inſtar fili Ariadnæi ſunt, quo in recto tramite retinemur, quando ad tractationem ſpecialem pervenitur, ne Labyrinthum ingreſſi ab eodem aberremus, nec exitum reperire valeamus. Patet hoc quoad theoriam in jure naturæ; quoad praxin vero patebit ex Ethica.

§. 597.

De difficultate acquirendi affectuum regimen.

Regimen affectuum acquirere difficile eſt. Qui enim regimen affectuum acquirere vult, is addiſcere debet, quomodo affectus concitentur (§. 531.), idcoque omnes affectus ipſi cogniti atque perſpecti ſint neceſſe eſt, cognita quoque & perſpecta eſſe debet affectuum a ſe invicem dependentia (§. 535), dare debet operam, ut repræſentatione boni veri ac mali veri concitentur (§. 531.), ut appetitum ſenſitivum cum appetitu rationali & averſationem ſenſitivam ad conſenſum cum rationali reducat (§. 533.), ac dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirat (§. 596.). Quodſi vero perpendamus, quæ ad hæc omnia requirantur, & quanto ſtudio atque labore ea addiſcenda ſint, quæ addiſci eo fine debent, & habi-

bitus faciendi ea, quæ hactenus a nobis in præſenti, tum etiam olim in parte altera Philoſophiæ practicæ univerſalis demonſtrata ſunt, acquirantur; cum difficultas oriatur ex multitudine addiſcendorum & habituum acquirendorum cauſa agendorum, is haud difficulter perſpiciet, difficile admodum eſſe, ut regimen affectuum acquiratur.

Cum in Syſtemate ſequentia continuo nexu ex anterioribus deducantur, ut nullo fore negotio perficiatur analyſis cujuslibet notionis in omnes anteriores, quæ eam ingrediuntur, & a quibus omnis claritas & evidentia tandem dependet, quam modo allegavimus (*not.* §. 596.); difficultatem regiminis affectuum acquirendi penitus perſpiciet, qui in ſyſtemate noſtro probe fuerit verſatus, ac analyſin, quam diximus, inſtituere voluerit, ad quam extra ſyſtema nulla patet via. Eluceſcit etiam hinc ſyſtematis veri utilitas, quæ ab eo ſolo exſpectari poteſt. Qui ſyſtemata damnant, aut abjecte de iisdem ſentiunt, nullam ſyſtematis veri notionem habent, & prouti quisque ſpectrum quoddam, vel idolum ſibi fingit, quod eo nomine appellat, de eodem judicat notioni ſuæ ſpuriæ convenienter. Monuimus jam alias, quam difficile ſit dominium in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirere (*not.* §. 568. *par.* 2. *Phil. pract. univ.*). Quamobrem cum ad regimen affectuum acquirendum etiam faciant, quæ de dominio in ſenſus, imaginationem atque affectus acquirendo demonſtrata ſunt (§. 596), difficultas dominium hoc acquirendi etiam ad modum acquirendi regimen affectuum pertinet. Quodſi vero quis difficultatem hanc perpenderit, is tanto minus mirabitur, quod regimen affectuum adeo rara avis ſit in hisce terris & homines nimium indulgeant affectibus vel inſcii, quando nihil ſe iisdem dare putant, quia regimini iſti acquirendo nullam operam impendunt, niſi fortunam ſubinde magiſtram nanciſcantur, aut caſus neceſſitatem regendi non nunquam im-

ponat, quemadmodum in omni praxi morali accidit. Sed nolumus plura addere de regimine affectuum, cum conſultius ducamus ea, quæ adhuc tradi poterant, reſervare tractationi ſpeciali, ubi & facilius intelliguntur, & memoria retinentur, & eorum utilitas evidentior eſt.

CAPVT V.

De Puritate animi.

§. 598.

Labes animi quid ſit.

Labes animi vocatur defectus quilibet rectitudinis in appetitione, vel averſione data, non abuſu, vel abuſu facultatis cujuscunque dependens. Quoniam actiones externæ ab appetitionibus & averſionibus animæ dependent (§. 954. *Pſych. empir.*); *labe animi inficiuntur eius actiones externæ, quatenus non phyſice, ſed moraliter ſpectantur, ſeu tanquam actiones humanæ ab internis non ſeparandæ.*

Nemo eſt qui neſciat appetitiones & averſiones animæ determinari per perceptiones in anima præexiſtentes, & a nobis abunde demonſtratum eſt. Quamobrem ſi appetimus, quod appetendum non erat, averſamur id, a quo abſtinendum non erat; nullum vitium per ſe inhæret appetitui vel averſationi, ſed a facultatibus cognoſcitivis & ad eas referendis, quas intermedias vocamus, in facultates appetendi & averſandi derivatur. Unde etiam ſuperius oſtendimus, voluptatis & noluntatis corruptionem dependere a vitio intellectus (§. 15.). Quando igitur appetitio & averſio reprehendi poteſt, quatenus volumus, quod velle non debebamus, aut nolumus, quod nolle non debemus, aut quod non propterea velle debemus, ob quod id volumus, vel

vel non propterea nolle debemus, ob quod id nolumus, &, ſi qua alia ſunt in actione humana, quæ atro carbone notanda; ratio ſemper quærenda eſt in perceptionibus determinantibus, quibus nonnulla inſunt, quæ ab abuſu vel non uſu facultatum cognoſcendi & non uſu intermediarum dependent. Quod vero moralitas actionum humanarum non ſpectetur in actione externa phyſice conſiderata, ſed in actibus internis, a quibus dependent, & quas præcedere illas obſervamus, aut cum iisdem coexiſtere, nemo eſt qui neſciat. Atque ideo virtutes & vitia habitus animæ ſunt, non corporis, quamvis actiones externæ appetitionibus & averſationibus reſpondentes motu organorum corporis perficiantur.

§. 599.

Paritas & Impuritas animi quid ſit.

Animum purum dicimus, ſi appetitioni & averſioni, ſeu volitioni & nolitioni, nihil vitioſi inhæret, ſeu ſi fuerit ab omni prorſus labe immunis. Et in hac immunitate, ſeu carentia omnis labis conſiſtit *Puritas animi.* Unde ſimul patet, quandonam *animus* ſit *impurus* & in quonam *Impuritas animi* conſiſtat, nimirum ſi appetitioni & averſationi, ſeu volitioni & nolitioni vitioſi quidpiam inhæret, aut utraque tota vitioſa ſit, ſeu ſi labe quadam ſit infecta. Dici etiam ſolet *Puritas & Impuritas cordis*, idiomate patrio quoque Reinigkeit und Unreinigkeit des Hertzens.

Noto notius eſt, communi ſermone facultatem appetendi & averſandi in genere *cordis* nomine venire, nec aliter eandem quam hoc nomine facultas iſta indigitatur a Philoſophis Sinenſibus. Et hinc etiam explicanda eſt phraſis ex ſcriptura ſacra deſumta, qua lex naturæ dicitur cordi hominis inſcripta, quatenus ſcilicet actiones in ſe bonæ, quas præcipit lex naturæ, per ſe appetibiles, ſunt (§. 96. 153. *part.* 1.

Phil. pract. univ.), & actiones in ſe malæ, quas lex naturæ prohibet, per ſe averſabiles ſunt (*ſ.* 67. 153. *part.* I. *Phil. pract. univ.*). Atque ideo quoque nonnulli ſedem appetitus & averſationis, ideoque etiam affectuum in corde eſſe ſtatuunt, quod vident affectus comitari extraordinariam commotionem ſangvinis. Sed nobis retinendi ſunt termini in philoſophia recepti, quibus in anterioribus uſi ſumus & in poſterum utemur, ne citra urgentem neceſſitatem ambiguitati locum faciamus. Sed demus exemplum, ut definitionem puritatis animi, &, quæ eam ingreditur, labis animi recte intelligamus. Ponamus Titium dare pauperibus eleemoſynas largas, non quod ipſorum commiſeretur, ſed ut videatur, qui non eſt. Nemo non videt, Titium non dare eleemoſynam, ut ſublevet miſeriam pauperis, ſed ut laudem miſericordiæ conſequatur, quam minime meretur. Volitio hic non procedit ab amore, quo alios complecti jubet lex naturæ, ſed ab ambitione, qua affectamus laudem immeritam. Affectare laudem immeritam vitioſum eſt, cum ambitio, affectationis hujusmater, vitium ſit. Quamvis itaque volitio dandi miſero eleemoſynam in ſe ſpectata bona ſit, nec reprehendi poſſit, labe tamen inficitur, quatenus eidem inhæret vitioſi quidpiam, eademque determinatur non per motivum a bonitate intrinſeca actionis deſumtum, ſed quod a vitio derivatur, quod idem in hunc actum influit. Quomodo vero ab abuſu & non uſu facultatum cognoſcendi & intermediarum defectus rectitudini in volitione dependeat, ad receſſus & latebras in animis hominum pertinet, & prolixitatis vitandæ cauſa hic explicandum non eſt, quod ſuo loco ex inſtituto explicabitur. Similiter ſi quis dat eleemoſynam non hilari animo, volitio labe quadam inficitur, quemadmodum ſuo loco clarius conſtabit.

§. 600.

Quomodo impuritas

Quoniam tum demum purus eſt animus, ſi appetitioni, vel averſioni, ſeu volitioni & nolitioni nihil vitioſi in-

inhæret (§. 599.), quid vero vitioſum ſit, ex lege naturæ patet (§. 322. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*); *ſi in determinationem appetitionis ſeu volitionis influit, quod legi naturæ adverſum, vel in determinationem averſionis ſeu nolitionis, quod eidem minime convenit, puritas animi deficit, utut actio in priori caſu poſitiva, in poſteriori privativa legi naturæ conſentanea ſit.* *animi cognoſcatur.*

Exemplum eſto, quod modo dedimus, ſi quis det eleemoſynam, ut videatur miſericors aut liberalis, cum non ſit, aut non det hilari animo. Etenim tum in determinationem volitionis affectatio laudis immeritæ & ſimulatio virtutis, a qua animus alienus eſt, legi naturæ repugnat. Similiter ſi quis ab adulterio ſeſe abſtinet, non quia id lege naturæ prohibitum, ſeu voluntati divinæ adverſum, ſed quia metuit remotionem ab officio, quo fungitur, cum alias idem committere mallet; puritas animi deficit, cum appetitus in adulterium feratur, etſi id actu committere vereatur. Aſt Joſephus, qui nolebat adulterium committere, quia timore Dei filiali adductus facere nolebat, quod voluntati ipſius adverſum, eo ipſo puritatem animi prodidit. Quodſi prævidiſſet periculum, quod denegato concubitu illicito imminebat, & hoc ſe permoveri paſſus fuiſſet, ut in eundem conſentiret; animus evaſiſſet impurus. Impurum eſſe animum, qui adulterium committere mallet, modo non deeſſet occaſio, ut voti ſui compos redderetur, per ſe patet, cum tunc appetitus per ſe feratur in id, quod lege naturæ prohibitum. Quemadmodum actiones externæ non ſemper ſimplices ſunt, ſed plerumque compoſitæ, ita ut complexus plurium ſimplicium unam actionem faciat, quæ uno nomine compellatur, cujus exemplum ipſum adulterium eſt; ita etiam volitiones compoſitæ ſunt quæ in complexu volitionum & nolitionum, prout caſus tulerit, conſiſtunt, & diverſas rationes determinantes habent: ac idem quoque de nolitionibus tenendum. Ita ſi quis dat eleemoſynam, ut videatur miſericors, volitioni dandi eleemoſy-

moſynam ineſt appetitio laudis immeritæ & volitio decipiendi alios, qui actus voluntatis & appetitus per rationes peculiares determinantur. Similiter ſi quis adulterium committere mallet, niſi verenda eſſet remotio ab officio; nolitio committendi adulterium continet volitionem committendi & nolitionem remotionis ab officio. Non eſt, quod excipias, fieri non poſſe, ut idem ſimul velimus, & nolimus: etenim fieri ſaltem nequit, ut idem velimus & nolimus uno eodemque reſpectu, fieri autem utique poteſt, ut certo reſpectu aliquid velimus, alio reſpectu idem nolimus, prouti nimirum certo reſpectu id ſpectamus tanquam bonum, alio autem reſpectu tanquam malum. Ita in exemplo dato adulterium ſpectatur tanquam bonum ob voluptatem, quæ ex concubitu, præſertim cum hac perſona, percipitur; idem vero ſpectatur tanquam malum, quatenus periculum remotionis ab officio cum eodem conjungitur. Priori reſpectu adulterium committere vult, qui libidinoſus eſt, poſteriori non vult. Et quamvis nolitio ſit efficax, ut actus externus omittatur, volitionem tamen non perimit, ſed ea ſubſiſtit. Atque ita videmus, quomodo labes inhæreat nolitioni, ut puritas animi deficiat, etſi recte faciat adulterii cupidus, quod ab eodem ſeſe abſtineat. In animi puritate itaque dijudicanda opus eſt acumine, quo ſinguli actus ſimplices, qui in volitione aut nolitione inſunt, a ſe invicem ſeparantur, & de hisce ſingulis ex lege naturæ ſtatuendum. Atque hæc attendenda ſunt in ſignis virtutum & vitiorum, quamvis ſola non ſufficiant, neque enim exemplum, quod dedimus, omnes continet modos, quibus volitio, vel nolitio labe quadam inſici poteſt. Attamen quæ dicta ſunt attentionem noſtram excitare valent in caſibus aliis & acumen noſtrum in ea dirigere, ad quæ illa afferenda.

§. 601.

Puritas animi deficiens, ſi actio recta non ſit.

Quando actio recta non eſt, puritas animi deficit. Etenim ſi actio recta non eſt, aliquid deſideratur, vel ex parte intel-

intellectus, vel voluntatis aut noluntatis (§. 719. *part. 1. phil. pract. univ.*). Quamobrem cum in eo, quod deſideratur, defectus rectitudinis conſiſtat (§. 81. *part. 1. Phil. pract. univ.*), defectus aliquis rectitudinis in appetitione, vel averſione, quæ tendit ad agendum vel ab agendo ſeſe abſtinendum, datur. Quoniam vero intellectus utitur miniſterio ſenſuum, imaginationis atque memoriæ & facultatum intermediarum, attentionis & reflexionis (§. 14. *part. 1. Eth.*), inde autem dependent appetitiones & averſiones ſenſitivæ una cum affectibus (§. 580. 582. *Pſych. empir.*); ſi quis rectitudinis defectus notatur in volitione, quæ tendit ad agendum, vel in nolitione, quæ tendit ad ſeſe ab actione patranda abſtinendum, cum uſus omnium facultatum conſentiat, ſi ad determinandam actionis rectitudinem concurrit (§. 203. *part 1. Jur. nat.*), is vel ab abuſu, vel a non uſu facultatis cujusdam dependet. Quamobrem patet tum labe quadam infici animum (§. 598.). Enimvero puritas animi deficit, quando labe quadam animus inficitur (§. 599.). Quando itaque actio recta non eſt, puritas animi deficit.

Ad actionum rectitudinem omnino requiritur conſentiens uſus omnium facultatum, conſequenter ſi rectitudinis defectus notetur, is aliunde eſſe nequit, quam vel ab abuſu, vel non uſu facultatis unius, vel alterius. Vide, quæ alibi annotavimus (*not.* §. 203. *part. 1. Jur. nat.*). Ad rectitudinem actionum lege naturæ obligamur (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter omnis defectus rectitudinis eidem averſatur, ideoque puritati animi officit. Qui perpendit, quomodo corruptio a facultatibus inferioribus deriveturin intellectum & voluntatem ac noluntatem; nihil difficultatis in propoſitione præſente deprehendet.

§. 602.

De rectitudine actionis, ſi animus fuerit purus.

Si animus purus eſt, actio quoque recta eſt, moraliter ſcilicet. Etenim ſi animus purus eſt, appetitioni & averſioni ſeu volitioni & nolitioni, nihil vitioſi inhæret, ſed animus ab omni prorſus labe immunis eſt (§. 599.), conſequenter in volitione ac nolitione nullus notatur rectitudinis defectus, qui ab abuſu, vel non uſu facultatis cujuslibet dependeat (§. 589.). Enimvero actio nonniſi recta eſt, quatenus ſcilicet moraliter ſpectata cenſetur ex actione interna, ſi nihil deſideratur ex parte intellectus, conſequenter etiam facultatum ceterarum eidem ſervientium (§. 14. *part. 1. Eth.*) & voluntatis ac noluntatis (§. 79. 81. *part. 4. Phil. pract. univ.*), conſequenter etiam appetitus ſenſitivi & averſionis ſenſitivæ, quos regere debet intellectus (§. 41. 578.). Quodſi ergo animus purus fuerit, actio quoque recta eſt, moraliter ſcilicet.

Alias jam monuimus, rectitudinem actionis duplicem eſſe, aliam moralem, aliam phyſicam, aut, ſi mavis, in actionis humanæ rectitudine diſtingvendum eſſe, quod moralis eſt, a phyſico. Rectitudo moralis reſpicit actionem internam, ut nihil in eo deprehendatur, quod reprehendi poſſit, ac immediate volitionem atque nolitionem; phyſica autem potiſſimum externam, quæ a facultate locomotiva dependet, vel ſubinde etiam actionem internam, quæ in ſola cogitatione terminatur, nec in facultatem appetendi & averſandi, ſeu voluntatem atque noluntatem influit. Non omnis defectus rectitudinis phyſicæ puritatem animi tollit. Inde eſt, quod vulgo dicitur: Si deſunt vires, tamen eſt laudanda voluntas. Equidem lex naturæ urget omnimodam actionum rectitudinem (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), nec ab ea excluditur, quod in ſe ſpectatum mere phyſicum eſt (§. 79. *part.*

part. 1. Phil. pract. univ.), & rectitudo omnimoda naturæ humanæ conveniens eſt (§. 65. *part. 1. Phil. pract. univ.*); in cenſenda tamen puritate animi habenda eſt ratio infirmitatis humanæ (§. 371. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*), ne nimius rigor ultra ſortem humanam extendatur.

§. 603.

Quoniam ſi animus purus eſt, actio quoque recta eſt, (§. 602.), ſi vero hæc recta non eſt, puritas quoque animi deficit (§. 601.); *rectitudo actionis & puritas animi firmiſſimo vinculo connexæ ſunt, nec a ſe invicem ſeparari poſſunt*, conſequenter *cui puritas animi curæ cordique eſt, is operam dare debet, ut actio quælibet ſit recta.* *De neceſſario nexu rectitudinis actionis & puritatis animi.*

Quoniam recte agere debemus (§. 189. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod rectum eſt velle, quod minus rectum eſt, nolle debemus. Ex parte igitur voluntatis vel noluntatis ſemper notatur defectus, ſi in actibus facultatum ceterarum aliquis defectus notatur. Qualiscunque igitur tandem fuerit abuſus, vel non uſus facultatis, labe quadam animi inficitur voluntas (§. 598.), atque ita animus purus non eſt (§. 599.). Aſt quoniam non omnis abuſus & non uſus imputabilis (§. 693. *part. 2. Phil. pract. univ.*); ideo in cenſenda puritate animi ratio habenda eſt infirmitatis humanæ, quemadmodum modo monuimus (*not.* §. 602.). Quicquid deficit in volitione & nolitione, id æſtimandum eſt ex rationibus voluntatem, vel noluntatem determinantibus, hæ autem ſunt actus ceterarum facultatum, ſive poſitivi, ſive privativi, conſequenter vel ab abuſu, vel non uſu earundem veniunt.

§. 604.

Naturaliter obligamur operam dare, ut puritatem animi conſequamur. Etenim naturaliter obligamur ad conſenſum uſus omnium facultatum conſequendum (§. 204. *part. 1.* *De naturali obligatione ad puritatem animi.*

Jur. nat.), & ad vitandum abuſum (§. 205. *part.* 1. Jur. nat.); atque non uſum (§. 206. *part.* 1. *Jur. nat.*), obligamur etiam ad verum bonum appetendum & verum malum averſandum (§. 265. *part.* 1. *Jur. nat.*). Quodſi igitur voluntas fertur in bonum verum, & noluntas tendit ad abſtinendum a malo vero, atque ceteræ facultates omnes cum voluntate, vel noluntate conſentiunt, nihil deprehenditur in volitione, vel nolitione, quod vitioſum ſit, ſeu legi naturæ quomodocunque adverſetur. Quamobrem cum animus purus ſit, ſi volitioni, vel nolitioni nihil vitioſi inhæret (§. 599.); naturaliter obligamur operam dare, ut puritatem animi conſequamur.

Puritas animi non requirit, quam ut actio humana omni ex parte conformetur legi naturæ, ſive poſitiva ſunt, quam committere volumus, ſive negativa, quam committere nolumus. Quemadmodum vulgo dicitur bonum non eſſe niſi ex integra cauſa; ita etiam actio humana bona non eſt, niſi complexus omnium actuum, in quo conſiſtit, legi naturæ conformis ſit. Facultates omnes ad actionem quamlibet concurrere debent, niſi aliquis notari debeat in eadem defectus. Ac ideo in actione qualibet ſpectandus eſt cujuslibet facultatis actus & juxta naturæ legem examinandus ut pateat, num qua adſit labes animi, qua inficitur volitio vel nolitio, etſi actio in ſe conſiderata bona ſit, quam committere volumus, vel mala, quam committere nolumus (§. 600). Hæc ſollicitudo animi omnino requiritur ad cuſtodiam legis naturæ, conſequenter non eſt arbitrii noſtri, ſed officium, quod lege naturæ præſcriptum. Peccant itaque qui eam inſuper habent (§. 440. *part.* 1. *Phil. pract. univ.*).

§. 605.

An voluntas & noluntas bona ad purimus nondum purus eſt, ſi voluntas & noluntas ſunt bona. Etenim voluntas bona eſt, ſi ad actiones bonas com-

committendas generaliter determinata eſt, & boni animi eſt, cui firmum eſt propoſitum non committendi niſi actiones bonas (§. 119.). Similiter noluntas bona eſt, ſi ad actiones malas non committendas generaliter determinata eſt, ideoque firmum propoſitum non committendi actionem malam (§. 125.). Enimvero inde non modo demonſtratum eſt, ſi quis errores foveat de actionibus bonis & malis, illa non obſtante ipſum patrare actiones malas & bonas committere nolle (§. 131.), verum etiam facile patet, propterea fieri adhuc poſſe, ut non uſu, vel abuſu facultatum ceterarum labes animi contrahatur (§. 598.), qua inficitur volitio, vel nolitio, ſicque animus redditur impurus (§. 599.). Purus igitur nondum eſt, ſi voluntas & noluntas fuerit bona. *ritatem animi ſufficiat.*

Qui diſtinctam notionem voluntatis & noluntatis bonæ atque puritatis animi non habent, puritatem animi cum voluntate & noluntate bona facile confundunt. Aſt ſi ad notionem diſtinctam animum attendas, ſtatim videmus a bonitate voluntatis & noluntatis, ſeu bono animo non valere conſequentiam ad puritatem animi. Bonus enim animus conſiſtit in determinabilitate voluntatis & noluntatis, quæ rationem nonniſi generalem habet; aſt puritas animi ſupponit actum quendam in ſpecie, nimirum certam volitionem & nolitionem, quæ rationes determinantes ſpeciales habet ac generali non obſtante variari poſſunt. Accedit quod in determinationem generalem, qua voluntas & noluntas bona efficitur, non influant abuſus & non uſus facultatum ceterarum, qui in determinationem volitionis & nolitionis hic & nunc influunt. Experientia quoque abunde loquitur, quantum a rectitudine actionum aberrare ſoleant, qui boni alias ſunt animi, ſeu voluntatem & noluntatem bonam habent. Exempla dedimus ſupra (*not.* §. 131.), & notio notius eſt, quantum affectibus indulgeant homines, quibus

bona eſt voluntas atque noluntas, ut eadem non una labe inficiatur Patet ratio ex demonſtratione ſequente.

§. 606.

De regimine affectuum ad puritatem animi neceſſario.

Qui affectus regere nondum didicit, animum purum habere nequit. Qui enim affectus nondum regere didicit, is eosdem dirigere nequit ad obtinendum verum bonum & depellendum verum malum, ſed eorum impetu ſe adhuc abripi patitur, ut faciat, quod faciendum non erat, aut non faciat, quod faciendum erat (§. 528.). Quamobrem fieri poteſt, ut volitioni & nolitioni inhæreat aliquid vitioſi, ſi vel maxime tota vitioſa non ſit (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Quoniam itaque animus purus non eſt, ſi volitioni, aut nolitioni vitioſi quid inhæreat (§. 599.); qui affectus regere nondum didicit, animum purum habere nequit.

Puritati animi nihil magis officit, quam impetus affectuum, quos intellectus non regit. Quot vero, quæſo, ſunt qui affectus regere didicerunt, præſertim ſi de regimine univerſali, eodemque perpetuo ſermo fuerit. Indulgent homines affectibus, etiam dum de eorum in voluntatem influxu minime cogitant. Immo affectus communis fere elater ſunt, quo ad agendum & non agendum, ſeu ab actione ſeſe abſtinendum plerique impelluntur. Quodſi actiones humanas ad examen revocare volueris, quomodo ab affectibus dependeant ſtatim animadvertes. Oſtendimus alias affectus impedire, quo minus virtus colatur, & ad vitia homines abripere (§. 541. *part. 2. Phil. pract. univ.*), eosdemque ad erronea de actionibus judicia nos ſeducere, & opinione boni, vel mali apparentis concitentur (§. 542. *part. 2. Phil. pract. univ.*); aſt in præſenti adhuc accedit influxus in volitiones ac nolitiones, quæ in ſe ſpectatæ bonæ

ſunt

ſunt, ſed per volitiones atque nolitiones iſtis immixtas labe afficiuntur. Influxum hunc illuſtrat exemplum dantis eleemoſynam ut videatur miſericors, qui non eſt (*not.* §. 599.) ubi laudis immeritæ cupiditas & vana gloria labe inficit volitionem, & animum impurum efficit. Simile exemplum habes in judice, qui jus quidem dicit ei, cujus eſt, ſed nonniſi muneribus acceptis, item in eo, quem luxus impellit ad diligentiam aſſiduam & indefatigatam in munere ſuo rite obeundo.

§. 607.

Quoniam animum purum habere nequit, qui affectus regere nondum didicit (§. 606.), regimen autem affectuum acquirere admodum difficile eſt (§. 597.); ideo vel hinc intelligitur, *puritatem animi obtentu admodum difficilem eſſe.*

De difficultate puritatem animi conſequendi.

Difficultatem hanc abunde perſpiciet, qui in difficultatem conſequendi regimen affectuum eo modo inquirere voluerit, quem ſupra commendavimus (§. *not.* §. 597.), etſi de ceteris non cogitet, quibus animus inquinatur. Quoniam tamen affectus maxime officiunt puritati animi, ideo quoque maxime neceſſarium eſt, ut de affectibus regimini intellectus ſubjiciendis ſollicitus ſit, qui animum purum habere cupit, quem habere velle omnes debemus (§. 604.). Tenendum vero affectus non modo præſentes, verum etiam præteritos influere in appetitum rationalem & averſationem rationalem: quo in caſu ſe nihil affectui dare opinatur, qui totus ad agendum, vel non agendum eodem impellitur. Pertinet hoc ad receſſus in animis hominum, ad quos parum animum attendunt homines, immo de quibus plerique non cogitant. Solerti igitur examine opus eſt, non ſine acumine inſtituendo, ſi proficere velis.

§. 608.

Digitized by Google

§. 608.

De culpa puritati animi officiente.

Quævis culpa puritati animi officit. Culpa enim eſt defectus rectitudinis actionis quoad intellectum vincibilis (§. 717. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui non uſui facultatum tribuendus (§. 744. *part. 1. Phil. pract. univ.*), conſequenter quatenus quod agimus, vel non agimus, ideoque etjam volumus, vel nolumus, culpoſum eſt, in appetitione, vel averſione culpoſa defectus quidam rectitudinis adeſt, a non uſu facultatum dependens. Quoniam itaque labes animi eſt quilibet defectus rectitudinis in appetitione, vel averſione data a non uſu facultatis dependens (§. 598.), &, ſi ab hac labe immunis non eſt volitio, vel nolitio, puritas animi deficit (§. 599.), quævis culpa puritati animi officit.

Oſtenditur etiam hoc modo. Culpam quamlibet vitare debemus (§. 299. *part. 1. Jur. nat.*), conſequenter actio culpoſa legi naturæ contraria (§. 718. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ideoque vitioſa (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Actionem itaque culpoſam qui vult, ejus volitioni vitioſi quid inhæret. Enimvero ſi volitioni vitioſi quid inhæret, animus purus non eſt (§. 599.). Culpa igitur quælibet puritati animi officit.

Multis modis culpa committitur, quemadmodum ex diverſis ſpeciebus culpæ liquet (§. 748. *& ſeqq. part. 1. Phil. pract. univ.*). Quamobrem ad puritatem animi multum confert immunitas a culpa. Quodſi ergo operam demus, ut animum a culpa immunem præſtemus; eo ipſo puritati animi conſulimus. Enimvero quid facere debeamus, ut culpam quamlibet evitare diſcamus, alibi jam oſtendimus (§. 644. *& ſeqq. part. 2. Phil. pract. univ.*). Quodſi ea perpendamus, quam difficile ſit hoc ſtudium in dubium minime re-

me revocabimus. Atque hinc ulterius patet, puritatem animi non adeo facile acquiri poſſe. Equidem culpa minor labes animi eſt, quam malitia, aut vitium alio modo ſeſe inſinuans volitioni, vel nolitioni; non tamen propterea nulla eſt, quæ in puritate animi non ſit attendenda. Omnis actio culpoſa imperfectionem arguit naturæ humanæ, a qua nos liberare poteramus atque debebamus. Quamvis itaque minus imputetur actio culpoſa, quam actiones aliæ malæ, aut labem quandam a vitio contrahentes; non tamen propterea nihili fieri debet, ut tibi perſuadeas, animum tuum immunem eſſe ab animi labe, etiamſi non ſit culpa vacuum. Conſtat etiam multa damna dari poſſe culpa, ita ut malitia humanitatem ſuperare cenſeatur, ſi quis ſciens ac volens culpa dare vellet. Exemplo ſunt incendia culpoſa. Ac inde intelligitur, quam ſit neceſſe, ut ab hac etiam labe immunis præſtetur animus.

§. 609.

De fine illicito per actiones bonas intento.

Si per actiones bonas intenditur finis illicitus, puritas animi deficit. Etenim qui finem illicitum intendit, cum propter eum agat (§. 616. *part. 1. Phil pract. univ.*), quod illicitum eſt, conſequenter legi naturæ contrarium (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*), vult. Quamobrem cum vitioſum ſit, quod legi naturæ contrarium eſt (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), volitioni actionem bonam committendi vitioſi quid inhæret. Quoniam itaque animus purus non eſt, ſi volitioni aut nolitioni vitioſi quid inhæret (§. 599.); ſi per actiones bonas intenditur finis illicitus, puritas animi deficit.

Pertinet huc exemplum dantis eleemoſynam, ut videatur miſericors, vel liberalis, cum non ſit. Cum enim intendat laudem immeritam, ac aliis imponere velit; finis, quem intendit, illicitus eſt. Et quoniam ad dandum eleemoſy-

nam obligamur (§. 241. 242. *part. 1. Jur. nat.*), & propterea actio in se spectata bona est; finis illicitus intenditur per actionem bonam. Nemo autem non fatebitur ultro, animum dantis eleemosynam ut videatur misericors, vel liberalis, aut ut laudem benefactoris pauperum consequatur, pessimum minime esse, nisi hypocrisin licitam putet: id quod absurdum. Similiter qui honesto modo opes acquirere studet, ut dives prædicetur post fata; per actiones bonas finem illicitum intendit, & hac intentione animus impurus redditur. Notandum vero actionibus bonis hic accenseri etiam licitas, non modo debitas, cum utræque legi naturæ non repugnent, sed conveniant (§. 170. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Ita donationes licitæ sunt, cum, quod nostrum est, alteri quoque gratis dare vi dominii valeamus. Enimvero si quis donis corrumpere intendit judicem, favorem ejus captaturus; per actionem licitam finem illicitum intendit, qui donationem illicitam efficit & animo labem adspergit, ut purus non sit. Nimirum mediis licitis non utendum, ut finem illicitum consequamur. Ex mediis non censendus est finis, sed is ad legem naturæ referendus, ut appareat, utrum licitus sit, an illicitus. Quodsi actionum humanarum studiosus fueris spectator, quantus sit numerus actionum, quæ in se spectatæ bonæ sunt, seu debitæ, aut licitæ, hæc haud autem inficiuntur, haud difficulter addisces

§. 610.

De puritate animi deficiente ob media illicita.

Si quis per actiones malas intendit bonum finem, vel licitum; puritas animi deficit. Qui bonum finem sive licitum intendit, propter eum cum agat (§ 616. *part. 1. Phil. pract. univ.*), ejus volitio bona est. Enimvero si per actiones malas eundem consequi vult, volitio ejus mala est, consequenter cum legi naturæ repugnet (§. 135. *part. 1. Phil. pract. univ.*), volitio vitiosa bonæ permiscetur (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*).

univ.). Quamobrem cum puritas animi deficiat, ſi quid vitioſi inhæret volitioni (§. 598.); ſi quis per actiones malas intendit bonum finem vel licitum, puritas animi deficit.

Hinc vulgo dicitur non eſſe facienda mala, ut inde eveniant bona, & exemplo ſutoris illuſtratur, qui corium furatus eſt, ut ex eo gratis pauperibus efficeret calceos. Simile exemplum eſt filiæ, quæ quæſtum ſui corporis facit, ut matri pauperi de alimentis proſpiciat. Pertinent huc duces, qui militibus licentiam publice proſtituendi uxores & virgines concedunt, ut terrorem hoſti incutiant eumque ad æquas pacis conditiones acceptandum permoveant. Finis licitus non efficit actionem, quæ illicita eſt, bonam; ſed hæc potius intentionem finis boni, vel liciti labe ſua inficit. De actionibus itaque non ſtatuendum eſt ex fine, qui per eas intenditur, quando quæritur, num ſint bonæ, vel licitæ.

§. 611.

Qui metu pœnæ actionem lege naturæ præceptam committit, De eo, qui prohibitam vero omittit, puritatem animi non poſſidet. Qui enim metu pœnæ actionem lege naturæ præceptam committit, eam non committere mallet, modo pœna non eſſet metuenda, conſequenter nolitio eandem committendi non tollitur, ſed ſaltem impeditur, quo minus actus externus non ceſſet. Quamvis itaque metu pœnæ adducatur ut actionem lege naturæ præceptam committere velit, cum alias eandem non actu committeret; nolitio tamen committendi legi naturæ contraria, cum vitioſa ſit (§. 322. *part. 1. Phil pract. univ.*), illam vitiat. Quamobrem cum puritas animi deficiat, ſi volitioni inhæret aliquid vitioſi (§. 598.); qui metu pœnæ actionem lege naturæ præce-

metu pœnæ actionem bonam committit, malam omittit.

ptam committit, puritatem animi non poſſidet. *Quod erat unum.*

Similiter qui metu pœnæ actionem lege naturæ prohibitam omittit, is eam committere mallet, modo pœna non eſſet metuenda, conſequenter volitio eandem committendi non tollitur, ſed ſaltem impeditur, quo minus in actum externum erumpat. Quamvis itaque metu pœnæ adducatur, ut actionem lege naturæ prohibitam committere nolit; volitio tamen committendi legi naturæ contraria, cum vitioſa ſit (§. 322. *part. 1. Phil. pract. univ.*), illam vitiat. Unde porro ut ante patet, eum, qui metu pœnæ actionem lege naturæ prohibitam committere non vult, puritatem animi non poſſidere. *Quod erat alterum.*

Oſtendimus jam alias, actionem rectam non eſſe, quæ metu pœnarum extorquetur (§. 349. *part. 1. Phil. pract. univ.*). Et ex demonſtratione, quam dedimus, patet, defectum rectitudinis conſiſtere ex parte voluntatis. Unde omnino palam eſſe, animum labe infici (§. 598.), conſequenter purum non eſſe (§. 599.). Equidem ad ſervandam legem poſitivam homo aliter obligari nequit, quam pœnis atque præmiis (§. 300. *part. 1. Phil. pract. univ.*), quod vero de pœnis demonſtratum eſt, eodem modo intelligitur de præmiis; obligatione tamen poſitiva non intenditur puritas animi, ſed ſaltem compoſitio voluntatis & noluntatis ad voluntatem & noluntatem legislatoris, ſeu ut actus externi ſive poſitivi, ſive privativi ſint legi conformes. Manet animus impurus, quamdiu ſolo metu pœnæ, vel etiam ſpe præmii regitur voluntas.

§. 612.

De eo, qui ſpe lucri actionem bonam omittit.

Qui ſaltem ſpe lucri actionem lege naturæ præceptam committit, prohibitam vero omittit, puritatem animi non poſſidet. Etenim

nim qui ſaltem ſpe lucri actionem lege naturæ præceptam committit; is eam non committere mallet, modo lucri, quod cupit, particeps fieri poſſet eam omittendo, conſequenter nolitio eam committendi non tollitur, ſed ſaltem impeditur, quo minus actio externa non intermittatur. Unde porro eodem modo, quo ante (§. 611.), conficitur, qui ſaltem ſpe lucri actionem lege naturæ præceptam committit, eundem animi puritatem non poſſidere. *Quod erat unum.* *nam committit, malam omittit.*

Similiter qui ſaltem ſpe lucri actionem lege naturæ prohibitam omittit, is eam committere mallet, modo lucri, quod cupit. particeps fieri poſſet, eam committendo, conſequenter volitio eam committendi non tollitur, ſed ſaltem impeditur, quo minus in actum externum erumpat. Unde porro eodem, quo ante (§. 611.), modo conficitur, qui ſaltem ſpe lucri actionem lege naturæ prohibitam omittit, eundem animi puritatem non poſſidere. *Quod erat alterum.*

Quæ hic de lucri ſpe demonſtrantur, ea intelligenda ſunt de bono quocunque, quod ex commiſſione actionis bonæ, vel omiſſione malæ ſperatur, exinde tamen non neceſſario ſequitur. Ipſa ſane demonſtratio hoc aperte loquitur. Metus pœnæ & ſpes lucri voluntati atque noluntati tandummodo efficaciam detrahunt, non vero animum purum efficiunt, quoad puritatem & impuritatem eam prorſus intactam relinquunt. Quæ reſpectu ſtatus civilis moneri poterant, ea reſervamus ſuo loco.

§. 613.

Qui virtuti omni deditus non eſt, animum purum ſervare nequit. Cum enim virtuti deditus actiones ſuas legi naturali con- *Studium omnium virtutum ad pu-*

ritatem animi neceſſarium.

conformiter dirigat (§. 321. *part. 1. Phil. pract. univ.*), qui vero actiones ſuas contraria ratione dirigit, quam lege naturali præſcribitur, vitio deditus ſit, (§. 322. *part. 2. Phil. pract. univ.*); qui virtuti omni deditus non eſt, aut vitiis quibusdam imbutum habet animum, aut ſaltem non veretur ſubinde committere actiones legi naturæ adverſas, & ſi deſit patrandi occaſio, aut alio quocunque modo impediatur, ne volitio in actum externum prorumpat, non tamen deeſt eas committendi volitio. Quamobrem fieri nequit, quin ſubinde vel tota volitio vitioſa ſit, vel eidem ſaltem admiſceantur volitiones vitioſæ. Quoniam itaque animus purus non eſt, ſi volitioni, vel etiam nolitioni, de qua idem intelligitur, quod de volitione jam demonſtratum, inhæreat aliquid vitioſi (§. 599.); qui virtuti omni deditus non eſt, animum purum ſervare nequit.

Inde omnino eſt, ut actiones bonæ labe inficiantur a volitionibus pravis, quæ iisdem aſſociantur, & ſic quod virtutis erat in partem vitii trahatur, prouti teſtantur exempla, ad quæ ante provocavimus (*not.* §. 599.), & ex omni tractatione ſpeciali clarius eluceſcet. Nimirum cum actiones ſimplices, quæ unam eandemque actionem humanam conjunctim conſtituunt, ad diverſas virtutes referantur; ſi quis virtutibus omnibus non fuerit deditus, actiones vitioſæ ad alias, quæ virtutis ſunt, concurrunt eandemque vitiant. Immo cum quædam inclinationes naturales prædominentur, ſi easdem intellectus non regit, nulla fere actio ab omni labe prorſus pura eſt. Quodſi ergo animi puritatem deſideres, neceſſe eſt ut omni animi contentione virtutem omnem conſequi ſtudeas. Ceterum hinc patet, Philoſophi eſſe, ut in Ethica oſtendat, quænam vitia unamquamque virtutem inquinent pro diverſitate inclinationum naturalium: ſunt enim vitia promiſcue omnia impedimenta virtutum ipſa

ipſis minime oppoſitarum & puritatis animi, in quæ inquirendum & quomodo ea tollenda ſint demonſtrandum in Ethica (§. 10. *part. 1. Eth.*). Denique hinc etiam porro eluceſcit difficultas puritatem animi conſequendi, de qua paulo ante diximus (§. 607.), ut tanto minus ſit quod miremur, ſi puritatem animi adeo raram eſſe deprehendimus.

§. 614.

De animi puritate ad vitam perfectam requiſita.

Ad vitam perfectam requiritur animi puritas. Qui enim vitæ perfectæ ſtudet, ejus actiones omnes quoad minima legi naturali conformari debent (§. 17. *part. 2. Phil. pract. univ.*), conſequenter nulli unquam volitioni, nulli etiam nolitioni aliquid vitioſi, ſeu quod legi naturæ contrarium eſt, inhærere debet. Quoniam itaque tum demum purus eſt animus, ſi volitioni ac nolitioni nihil vitioſi inhæret (§. 599.); ad vitam perfectam puritas animi requiritur,

Relegenda hic ſunt, quæ de vita morali perfecta docuimus in parte altera philoſophiæ practicæ univerſalis. Atque tum clarius adhuc perſpicies nexum inter vitam perfectam & puritatem animi intercedentem, atque intelliges, quomodo vitæ perfectæ ſtudio puritas animi promoveatur.

§. 615.

De puritate animi voluntatis & nolunt.itis perfectæ comite.

Cujus voluntas & noluntas perfecta eſt, is puritate animi gaudet. Qnodſi enim voluntas perfecta eſt, ea non determinatur niſi per bonum verum, conſequenter volitioni non ineſt aliquis actus, qui tendit ad bonum apparens, ſeu appetitio mali ſub ratione boni, neque noluntas aliter determinatur niſi per malum verum, conſequenter nolitioni non ineſt aliquis actus, qui tendit ad abſtinentiam

tiam a malo apparente, ſeu averſio boni ſub ratione mali (§. 271. *part. 1. Jur. nat.*). Quoniam itaque volitioni nihil vitioſi inhæret, puritas autem animi non deficit, ſi volitioni & nolitioni nihil mali inhæret (§. 599.); cujus voluntas & noluntas perfecta eſt, is puritate animi gaudet.

Sane ſi actus voluntatis & noluntatis adhuc labe quadam inficiuntur, voluntas & noluntas nondum perfecta dici poteſt, cum labes iſta dependeat ab abuſu quarundam facultatum (§. 598.), ad perfectam autem voluntatem & noluntatem utique requiratur conſenſus omnium facultatum (§. 271. 201. *part. 1. Jur. nat.*).

§. 616.

De animi puritate acquirenda.

Cum is puritate animi gaudeat, cujus voluntas & voluntas perfecta eſt (§. 615.); *qui puritatem animi conſequi vult, indefeſſam operam in voluntate perficienda collocare debet.*

Quæcunque igitur de voluntate & noluntate perficienda ſupra integro capite primo demonſtrata ſunt, ad puritatem quoque animi conſequendam faciunt. Atque hinc quoque eluceſcit difficultas puritatem animi conſequendi. Quoniam puritas animi ſpectanda eſt in ſingulis virtutibus, ubi etiam perpendenda virtutum a ſe invicem dependentia, & quomodo vitia eandem labe ſua inficiant; tractatio ſpecialis multo uberiorem lucem affundet doctrinæ de puritate animi.

Finis partis II. Ethicæ.

Digitized by Google

CONSPECTUS

TOMI II.

PHILOSOPHIÆ MORALIS,

SIVE

ETHICÆ

DE

VOLVNTATE PERFICIENDA ET DIRECTIONE APPETITVS SENSITIVI ATQVE AFFECTVVM VIRTVTVM MORALIVM CAVSA

CAPUT I.

De modo voluntatem perficiendi, pag. 1.

CAPUT II.

De modo emendandi voluntatem, 180.

CAPUT III.

De modo concitandi & ſedandi affectus, 302.

CAPUT IV.

De Regimine affectuum, ſeu eorum uſu & abuſu, 631.

CAPUT V.

De Puritate animi, 724.

FINIS CONSPECTUS.

Digitized by Google

INDEX
RERVM RRÆCIPUARUM, IN QUO NUMERI PARAGRAPHOS DENOTANT.

A.

Abuſus rerum, quibus corpus conſervatur, 43. cur ad malum deſtructivum pertineat, 53.

Acquieſcentia in ſeipſo quomodo concitetur, 353. 354. quando felicitatis pars, 355. 356. quo tendat, 357. qualis ſit ſtimulus, 358. quod ſine gaudio, amore & cupiditate non concipiatur, 568. quando gloriam concitet, 569. quando cum ea ſimul concitetur, 368. quomodo deleatur, 469. quomodo præcaveatur, ne evaneſcat, 470.

Actiones ad opinionem amati relatæ, 300.

Actiones bonæ quotuplices, 115. quomodo earum notio primo ingignatur, 5.

Actiones bonæ privativæ quænam ſint, 118.

Actionum humanarum differentia reſpectu bonorum & malorum, 114.

Actionum malarum notio quænam primo nobis ingignatur, 5.

Actiones malæ poſitivæ quænam ſint, 117.

Actiones malæ privativæ quænam ſint, 116.

Actus varii, quibus voluntas & noluntas non emendatur, 222.

Admiratio quando ceſſet, 515. quo tendat, 516.

Adſuefactione ſola agendi num voluntas perficiatur, 147.

Æſtus venereus cur tanquam ſtimulus datus, 72.

Affectus quomodo ſe habeant ad appetitum & averſationem 158. ad appetitui & averſationi rationali per ſe repugnent, 159. quinam prædominentur, 439. quando homini inſint eo modo, quo Deo per eminentiam tribuuntur, 594. an per eminentiam inſint appetitui & averſationi rationali, 574. num eradicari poſſint, 243. quomodo ſola ſenſu concitentur, 244. 245. quando ſola vi imaginationis, 246. quomodo vi imaginationis reſuſcitentur, 247. quomodo in aliis concitentur, 248. 249. quomodo in ſe concitentur & ſedentur, 514. num re præſentatione boni veri & mali veri concitari poſſint, 521. quorum nam ratio in iis concitandis habenda, 254. quando regimini intellectus ſubjiciantur, 532. 533. quo tendant, 254.

Affectus in ſe ſpectati num ſint boni & quomodo evadant mali, 527.

Affectuum gradus unde dependeat, 256.

Affectus regere quid ſit, 528. eos regendi modus, 592. *& ſeqq.*
Affectus ſedare quid ſit, 431. quomodo ſedentur, 432. 433. & ſeqq. 440. 441.
Affectuum abuſus in quo conſiſtat, 520. an naturæ lege prohibitus, 524.
Affectuum dependentia a ſe invicem quem in finem addiſcenda, 535.
Affectuum enumeratio, 536. quomodo fiat certa, 534.
Affectuum regimen quid ſit, 528. in dominio morali perfecto datur, 595. quomodo acquiratur, 596.
Affectuum uſus in quo conſiſtat, 517. quænam requirat, 518. 519. quomodo fieri poſſit, 522. quomodo eundem conſequamur, 592. & ſeqq. ejus effectus, 525. quid conferat ad culturam virtutis, fugam vitiorum, 526. an lege naturæ præceptus, 523.
Affectus contrarii quinam dicantur, 438. quinam ſint, 442. 443.
Affectuum jucundorum dependentia ab amore, 538.
Affectuum moleſtorum dependentia ab odio, 540.
Amans quando tædium percipiat ex voluptate amati, 324.
Amor quomodo in oſore concitandus, 323. quomodo alterius nobis concilietur, 286. *& ſeqq.* quomodo extingvatur, aut imminuatur, 447. & ſeqq. quo tendat, 292. 293. num ſimulari poſſit, 315. ſi odio ſimulato tegatur, 320. quomodo ob ſimilitudinem ſui, 297. vel ejus, quem amamus, concitetur, 298.
Amoris diſſimulatio, 318.
Amor animalium & rerum inanimatarum quomodo concitandus, 289. 290. quo tendat, 294. 296. quomodo extingvatur, aut minuatur, 450.
Amor certorum factorum quomodo concitetur, 372.
Amor Dei quomodo influat in bonitatem & perfectionem voluntatis & noluntatis, 142.
Amor ejus, quod perſonæ inhæret, 295.
Amor limitatus quando ſit, 291.
Amor ſimulatus quomodo detegatur, 316. 317.
Amor ſui quando acquieſcentia in ſeipſo & gloria concitetur, 373.
Amor virtutis quomodo ingignatur, 229. quomodo inſtilletur, 234. 235. quomodo alatur, 236. 237.
Animoſitas quomodo concitetur, 410. 411. quo tendat, 412. ejus dependentia a ſpe & cupiditate, 547. 560. quando ab acquieſcentia in ſeipſo accendatur, 561. quando a gloria inflammetur, 561.
Animus bonus definitio, 19.
Animorum unio quomodo efficiatur, 301. ejus impedimentum, 322.
Appetitus num feratur in cognitum, 147. quomodo ſe habeat ad ea, ex

quibus voluptas percipitur, 156. quo tendat, 250. 251. quomodo naturaliter tendat ad ſui conſervationem & perfectionem, 81. quomodo generaliter determinatus ſit, 30.

Appetitus determinatio generalis quomodo actu determinetur, 101. quid ſit, 31.

Appetitus determinatio ad ſui conſervationem & perfectionem, 34. ad perficiendum ſtatum externum, 38. ad ſui multiplicationem, 71. ad conſervationem familiæ, 77. ad ſocietatem & inſerviendum aliis, 39. ad ea, ex quibus voluptas percipitur, 158.

Appetitus honoris 160. luxus, 160. pecuniæ, 49. 112. 160. rerum ſenſum hilarantium, 49. rerum propter qualitates ſenſibiles, 159. appetitus pecuniæ quando homini naturalis, 65. appetitus ſe multiplicandi quomodo moveatur, 71.

Appetitus ſenſitivi perfectio a regimine affectuum dependens, 529.

Audacia quomodo concitetur, 410. 411. quomodo arceatur, 500. ejus dependentia a ſpe & cupiditate, 547.

Averſatio quomodo naturaliter determinata ſit, 32. num abhorreat ab incognito, 147. quomodo ſe habeat ad ea, quibus moleſtia percipitur, 157. quomodo ad res propter qualitates ſenſibiles, 159. quomodo excitet appetitum, 102. quo tendat, 250. 251.

Averſationis determinatio naturalis adea, ex quibus moleſtia percipitur, 158. quoad conſervationem & perfectionem ſui, 35. ad avertendum ſtatus externi imperfectionem 38. ad averſandum multiplicationi ſui contrarium, 78. quoad vitam ſolitariam & aliis nocendum, 40.

Averſationis ſenſitivæ perfectio a regimine affectuum dependens, 529.

B.

Benefactoris quando commiſeremur, 380.

Bona quotuplicia ſint, 95. cur ex qualitatibus ſenſibilibus dignoſcantur, 47.

Boni notio quænam primo nobis ingignatur, 5. quando primo ingenita ſeductrix evadat, & quomodo id præcavendum, 6.

Boni notio falſa impedit, quo minus voluntas & noluntas perficiatur, 151.

Boni repræſentatione eadem cur in uno gaudium, in altero voluptas quædam concitetur, 277.

Bonum a malo quomodo diſcernatur ante intellectus uſum, 4. quinam ex lucro æſtiment, 170. quando præcaveri nequit, ne id ſub ratione mali averſemur, 8. quomodo hoc in infantibus & pueris præcaveatur, 9.

Bonum communicativum. Definitio, 38. quomo-

quomodo id referatur ad appetitum, 84. ad quidnam faciat, 85.
Bonum communionis. Definitio, 90. quomodo differat, 90. quomodo ad appetitum referatur, 91. quid in ſocietate humana bonum cenſeatur, 92. quando cognoſcatur, 93. 94.
Bonum conſervativum. Definitio, 43. ad quam inclinationem naturalem referatur, 44. cur per ſe non moveat appetitum, 45.
Bonum multiplicativum. Definitio, 73. in quibus aliis bonis includatur, 75. ad quamnam inclinationem naturalem referendum, 74. quomodo movere nequeat appetitum, 75.
Bonum perfectivum. Definitio, 61. in quonam conſiſtat, 61. ad qamnam inclinationem naturalem referatur, 63. quando appetitum movere nequeat, 63. quando agnoſcatur, 63.
Bonum ſocietatis ex quo æſtimetur, 92.
Bonum ſuitatis. Definitio, 95. quænam bona ad id referenda, 95.
Bonum venturum quando gaudium concitet, 280. 281.
Boni veri ab apparente diſcretio ad perfectionem voluntatis & noluntatis neceſſaria, 3.

C.

Cibus cur qualitatibus ſenſibilibus ſe commendet ſenſibus, 48. modus perverſus quantitatem ejus determinandi, 50.
Commiſeratio quomodo excitetur, 325. 326. quomodo extingvatur, aut minuatur, 457. quando evaneſcat, 458. quomodo conſervetur, 459. quo tendat, 333. quod dependeat ab amore, triſtitia & cupiditate, 562. a favore, 584. a gratitudine, 582.
Commiſeratio in benefactores quomodo concitetur, 380.
Commiſeratio animalium & rerum inanimatarum quando obtineat, 327. 328. quo tendat, 334. & ſeqq.
Conſuetudo agendi quomodo contrahatur, 22.
Conſuetudo cum aliis quando mores corrumpat, 220. quantum valeat in formandis moribus, 218. num eadem voluntas & noluntas emendetur, 217. ejus affectus, 219.
Corruptio cui facultati appetendi & averſandi inhæreat ante intellectus uſum, 16.
Corruptio voluntatis & noluntatis. Definitio, 10. 11. exiſtentia, 12. quomodo in voluntatem & noluntatem derivetur, 16. 22. quomodo hoc impediatur, 17. quomodo ipſa præcaveatur, 155. 223. 224. quando continuo creſcat, 238. num metu pœnarum & ſpe præmiorum eidem medela afferatur, 192.
Cupiditas quomodo concitetur, 387. quo tendat, 388. quomodo reſtingva-

gvatur, 484. 485. 486. unde pendeat, 390. qualis dependeat ab amore, 537. qualis a gratitudine, 581. num major metu in pusillanimitate, 549.
Cupiditas celandi factum quando ad pœnitentiam accedat, 577.
Cupiditas delectationum sensualium, lucri, honoris & laudis num sit inclinatio naturalis, 182.
Cupido multa habendi quomodo orta, 169.

D.

Damni causa quinam quid aversentur, 171.
Dependentia ab autoritate aliena in agendo num voluntas & noluntas emendetur, 212. ejus effectus, 203. cur facile inducat mutationem in agendo, 204.
Desiderium quomodo concitetur, 413. 414. quo tendat, 415. quomodo extingvatur, 501. ejus impedimentum, 502. quod a spe & fiducia dependeat, 580. quando cupiditatem & metum contineat, 588.
Desperatio quomodo concitetur, 393. quo tendat, 396. quando in tristitiam abeat, 398. & quo hæc tendat, 399. quod spem excludat, 555. pusillanimitatem includat, 557. quomodo fugetur, 491.
Determinatio particularis ad bonum & malum possibilis, 130.

E.

Educatorum cura circa malum deformans, 70. circa hilarandi sensum, 165. circa corruptionem præcavendam, 155.
Emendatio voluntatis & noluntatis. Definitio, 153. ejus impedimenta, 241. quomodo hæc tollantur, 242. & homo bonæ voluntatis erroneis opinionibus imbutus, 240.
Enumeratio affectuum, 536. quomodo fiat certa, 539.

F.

Fastidium quomodo concitetur, 418. quo tendat, 419. quomodo tollatur, 505. quod fugam contineat, 586.
Fames cur tanquam stimulus data, 45. quomodo eadem naturaliter utamur ad sui conservationem, 103.
Favor quomodo concitetur, 382. quo tendat, 383. quomodo extingvatur, 480. quod cupiditatem contineat, 583.
Felicitas unde æstimanda, 107. quomodo post obitum æstimanda, 111. quomodo falso æstimetur, 112.
Fiducia quomodo concitanda, 384. quo tendat, 386. quomodo tollatur, 483. quod metum excludat, 551. ejus dependentia a cupiditate, 543.
Fluctuatio animi quomodo concitetur, 403.

403. quo tendat, 404. ejus dependentia a cupiditate, 546. a ſpe, 546.
Fuga quomodo concitetur, 389. unde pendeat, 390. 539. quo tendat, 391. quomodo arceatur, aut imminuatur, 487.
Fuga actionum malarum quo tendat, 392.
Fuga mali qualem cupiditatem conciter, 497. quando ex ea oriatur vacillatio animi & puſillanimitas, 498.

G.

Gaudium quomodo concitetur, 255. 257. 258. 261. ut virtute concitetur, quid faciendum, 264. quomodo opinione boni venturi concitetur, 280. 281. quomodo ſedetur, 444. quo tendat, 279. quando motivum virtutis, 263. ejus dependentia ab amore, 541. a gratitudine, 582. ſi quis eidem indulgere velit, 262.
Gaudii gradus unde pendeat, ſi quis obtinet, quod cupit, 257. 260. ſi obtinet alius, 250.
Gaudium lachrimoſum quale ſit, 284. quando ſit, 285.
Gloria in quo conſiſtat, 570. quomodo concitanda, 366. 367. quomodo extingvenda, 473. quando amorem ſui concitet, 371. quando felicitatis pars ſit, 369. 370. quod a fiducia & ſpe, 571. ab acquieſcentia in ſe ipſo dependeat, 572. qualem cupiditatem contineat, 573.
Gratitudo quomodo concitetur, 377. 381. quomodo extingvatur & imminuatur, 478. quando evaneſcat, 479.

H.

Habitus nullus ſine moleſtia acquiritur, 27. quamdiu averſabilis, 28. quando eum acquirere non intermittamus, 29. quamdiu duret, ſi metu pœnæ, vel ſpe præmii comparatus, 140.
Habitus facultatis locomotivæ ſunt bonum perfectivum, 61.
Habitus morales quando labe inficiantur, 66.
Hilaritas quomodo concitetur, 416. quo tendat, 417. quomodo extingvatur, 503. 504. ejus dependentia a triſtitia & cupiditate, 535.
Honor ex titulis & præcedentia quomodo æſtimari cœpit, 174. quando per ſe appetatur, 174.
Honoris cupidus quinam dicatur, 178. quomodo quis fiat, 181. quomodo voluntas ejus refrenetur, 184 200. quomodo noluntas refrenetur, 203. 197.
Horror quomodo concitetur, 405. quo tendat, 406. quomodo excutiatur, 499 quod a fuga dependeat, 559. metum contineat, 559.
Horror naturalis quid ſit, 33.

Ignoran-

I.

Ignorantia differentiæ inter bonam & perfectam voluntatem & noluntatem impedimentum eam perficiendi, 149.
Ignorantia rerum, ex quibus voluptas nocua percipitur, ad quid conducat, 24.
Ignorantia vitiorum num voluntas & noluntas emendetur, 208. ejus effectus, 208.
Imitatio empirica non eſt modus perficiendi & bonam efficiendi voluntatem & noluntatem, 146.
Imitatione empirica bene agentium num voluntas & noluntas emendetur, 209. quem ea præſtet uſum, 209. ejus effectus, 210.
Imitator empiricus facile mutatur, 211.
Impedimenta emendationis voluntatis. 241. quomodo tollantur, 242.
Impuritas animi, ſ. *cordis.* Definitio 599. quomodo cognoſcatur, 600.
Inclinationes ad delectationes ſenſuales, lucrum & honorem atque laudem num voluntatem corrumpant, 183.
Inclinationes naturales communes in quo conſiſtant, 31. ab intellectu regendæ, 41.
Inclinationum naturalium regimen, 184. & ſeqq. quamnam ſcientiam requirat, 194.
Incognitum num appetere, vel averſari valeamus, 147.
Indignatio in quonam conſiſtat, 590. quomodo concitetur, 423. quo tendat, 425. quomodo ſedetur & præcaveatur, 511.
Indignatio punitentis in ſe ipſum, 365.
Inertia voluntatis ad bonum. Definitio, 10.
Infelicitas unde æſtimanda, 109. quando non uſui intellectus debeatur, no. quomodo poſt obitum æſtimanda, 111.
Infelicitas privativa cum miſeria connexa, 331. ejus effectus, 332.
Intellectus regere debet inclinationes naturales, 41. quomodo aptus reddatur ad hoc regimen, 42. quomodo regat inclinationes ad delectationes ſenſuales, 185. 186. 190. ad lucrum, 187. 190. ad honorem atque laudem, 188. 190. quomodo promiſcue omnes, 189. quamnam ſcientia ad hoc regimen requiratur, 194.
Invidia quomodo evitetur, 337. quomodo in alium concitetur, 338. 339. quo tendat, 346. quomodo exaggeratur, 460. 461. quando evanescat, 462. ejus abſurditas, 463. effectus, 340. 342. dependentia ab odio & triſtitia, 563. qualem cupiditatem contineat, 563.
Invidia in bruta & rem inanimam quomodo concitetur, 342. & ſeqq. quo tendat, 347.
Ira inquonam conſiſtat, 589. quando

do in indignationem abeat, 424. quomodo concitanda, 420. 421. quo tendat, 422. quomodo ſedanda, 506. 507. quomodo mitigetur, 509. quomodo præcaveatur, 510. quando miſſam faciamus, 508.
Ira in animantia & res inanimatas quando concitetur, 425. quo tendat, 427.
Ira pœnitentis in ſe ipſum, 365.
Irriſio quomodo concitanda, 348. 349. 351. quo tendat, 350. quomodo extingvatur, 464. & ſeqq. quod ſine gaudio non concipiatur, 567. ejus dependentia ab invidia, 564. 565. ab odio, 566. quales cupiditatem contineat, 567.
Iubendo num voluntas & noluntas emendetur, 221.
Iuris naturæ ſcientia ad voluntatem & noluntatem perficiendam neceſſaria, 134. 135.

L.

Labes animi. Definitio, 598.
Lachrimæ ſignum triſtitiæ, 284.
Laudis cupidi quando homines fiant, 181.
Laudis cupidi noluntas quomodo refrenenda, 197. 203.
Laudis cupidi voluntas quomodo refrenanda, 194. 200.
Lenitas quid ſit, 428. quomodo concitetur, 429. quo tendat, 400
Lex naturæ quomodo in natura humana radicetur, 36.
Liberos eosque bene educatos habere ad quodnam bonum referendum, 76.
Lucri cauſa quinam quid appetant, 171.
Lucri cupidi quinam dicantur, 173. quomodo fiant homines, 181.
Lucri cupidi noluntas quomodo refrenetur, 197. 203.
Lucri cupidi voluntas quomodo refrenetur, 194. 200.

M.

Mali notio quænam primo nobis ingignatur, 5. quomodo ea ſeductrix evadat, 7. quomodo ne fiat præcavendum, 7.
Mali repræſentatione eadem cur in uno triſtitia, in altero ſaltem moleſtia quædam concitetur, 277.
Mali veri ab apparente diſcretio ad perfectionem voluntatis & noluntatis neceſſaria, 3.
Malum a bono quomodo diſcernatur ante intellectus uſum, 4. quinam ex damno æſtiment, 170. ne appetatur ſub ratione boni quando præcaveri nequeat, 8. quomodo in infantibus & pueris hoc impediatur, 9.
Malum alienum quosnam per ſe delectet, 352.
Malum communionis. Definitio, 96. quomodo differat, 96. quomodo agnoſcatur, 99.
Malum deformativum ſ. *deformans.* Definitio, 66. quotuplex & in quo conſiſtat, 66. ad quamnam reclinationem natu-

naturalem referatur, 68. quando non moveat appetitum, 69. quando non agnoſcatur, 69.
Malum deſtructivum. Definitio, 53. ad quamnam inclinationem naturalem referatur, 54. quodnam ſit maximum, 59.
Malum deſtructivum latens. Definitio, 55. quando id non agnoſcamus, nec averſemur, 56.
Malum deſtructivum patens. Definitio, 55. quomodo agnoſcatur & averſabile efficiatur, 57.
Malum diminutivum. Definitio, 79. ad quamnam reclinationem referendum, 80.
Malum illatum. Definitio, 89. quomodo ad averſationem referatur, 89.
Malum improviſum perſonæ amatæ obtingens, 401.
Malum in ſocietate quid cenſeatur, 98. quomodo ad facultatem averſandi referantr, 97.
Malum ſuitatis. Definitio, 100. quænam mala ad id referenda, 100.
Malum venturum quando triſtitiam concitet, 280. 281.
Malus animus. Definitio, 129.
Metus quomodo concitetur, 393. unde dependeat, 394. quo tendat, 396. quando evaneſcat, aut imminuatur, 488. 490. ejus dependentia a fuga, 552. quod cupiditatem includat, 553. an major ſpe in puſillanimitate, 549. quando ſpei ſocietur, 550. 554. quando pœnitentiæ, 577. quando vacillationi animi, 548.
Metus pœnarum quo tendat, 397. num ad puritatem animi conducat, 611.
Miſeria. Definitio, 329. an hominem faciat infelicem, 330. 331.
Miſer quinam dicatur, 329. quando infelix, 329.
Moleſta quinam per ſe averſantur, 161.
Moleſtia quomodo concitetur, 276.
Moleſtiæ quantitas quomodo æſtimanda, 104.
Moleſtia innocua ne deterreat ab agendo, quomodo impediatur, 25. quomodo ſolo ſenſu agnoſcatur, 26.
Mors malum deſtructivum maximum, 59. cur eam naturaliter omnium maxime averſemur, 32.
Motiva quomodo efficacius urgenda, 233.

N.

Noluntas num corrumpi poſſit, 12. quomodo in infantibus & pueris corrumpatur, 13. quomodo id prævendum, quamdiu metu pœnæ & ſpe præmiorum determinanda, 139. quomodo perficiatur, 134. & ſeqq. quando in pueris id tentandum, 137. num ante intellectus uſum perfici poſſit, 2. num pœnarum metu & ſpe præmiorum, 138. quænam ad eam perficiendam neceſſaria, 3. quando refrenanda, 205. 206. quomodo metu pœnæ refrenetur, 196. 197. quo-

quomodo ſpe præmii, 202. 203. quando & quomodo ſua ſponte refrenetur, 198. 204.
Voluntas bona. Definitio, 125. quale principium in dijudicando malo ſupponat, 126. quomodo bona efficiatur, 127. num dependeat a bona voluntate, 124. quodo nondum perfecta ſit, 152. cur non ſufficiat ad actiones malas omittendas, 131.
Voluntas mala. Definitio, 129.
Voluntas recte agere adſueta quomodo conſtans & perpetua efficiatur, 225.
Voluntatis corruptio. Definitio, 11. num detur, 12. unde dependeat, 15. unde corruptio in eam derivetur 16. quomodo ante intellectus uſum impedienda, 223. 224.
Voluntatis determinabilitas per ea, quæ honori & laudi adverſantur, num ſit bona, 179.
Voluntatis determinatio generalis, ad actiones bonas non committendas impoſſibilis, 128.
Voluntatis determinatio. Definitio, 153. quid ſupponat, 154.
Voluntatis perficiendæ impedimentum, 149. 151. quomodo tollatur, 150. 152.

O.

Obedientia cæca num voluntas & noluntas perficiatur, 215. ejus effectus, 215. 216.
Occaſionis male agendi privatio quemnam habeat uſum, 207. 23. 24.
Odium quomodo in tertium concitetur, 313. quomodo in amante, 323. quo tendat, 308. 310. quomodo extingvatur, vel imminuatur, 451. & ſeqq. ſi in id converſus fuerit amor, 455. quomodo refrenandum, ſi quem aliam ob cauſam amamus, 456. num ſimulari poſſit, 315. ejus effectus, 322. affectus quoad actiones reſpectu alterius, 321.
Odium ob ſimilitudinem cum perſona alia concitatum, 314.
Odii diſſimulatio, 318.
Odium alterius quomodo vitetur, 302. 304. 305. quomodo bonorum odium vitetur, 303.
Odium amore occhuſum quomodo detegendum, 319.
Odium animalium & rerum inanimatarum quomodo concitetur, 306. quænam eo fine præcognoſcenda, 307. quo tendat, 312. quomodo extingvatur, aut imminuatur, 454.
Odium facti, cujus nos pœniter, quando concitetur, 364.
Odium limitatum, 309.
Odium ſimulatum, 316. 317.
Odium vitii quomodo ingignatur, 229. 230. 231. quomodo alatur, 232.

P.

Pecunia quatenus ad bonum conſervativum refertur, 51. quo reſpectu ad bonum perfectivum requiratur, 64.

quomodo per ſe appetibilis facta, 168.
Pecuniæ appetitus num naturalis, 49. 51. quando ſit, 65.
Perfectio ſui cum perfectione ſtatus ſui connexa, 37.
Perficere voluntatem & noluntatem quando impoſſibile, 2.
Pœnæ metus effectus, 139. num voluntatem & noluntatem perficiat, 138. num ſit remedium corruptionis voluntatis & noluntatis, 192.
Pœnitens quando ſibimetipſi indignetur & iraſcatur, 365.
Pœnitentia quomodo concitetur, 359. 360. quomodo extinguatur, 471. 472. quando infelicitatis pars, 361. 362. quod ſit triſtitiæ ſpecies, 874. qualem fugam & cupiditatem contineat, 575.
Potus cur qualitatibus ſenſibilibus ſe commendet ſenſibus, 48.
Potus quantitatem determinandi modus perverſus, 50.
Proclivitas voluntatis in malum. Definitio, 10.
Prædominari quinam affectus dicatur, 459.
Præmiorum ſpes num ſit remedium corruptionis voluntatis & noluntatis 192. num ea voluntas & noluntas perficiatur, 138.
Præparatio ad emendationem voluntatis & noluntatis, 224.
Privatio occaſionis male agendi ad quid conducat, 23.
Proclivitas ad affectus varias, 253.
Pudor quomodo concitetur, 374. quo tendat, 375. 376. quomodo extinguatur, 474. & ſeqq. quod in triſtitia conſiſtat, 578. cupiditatem & metum contineat, 579. quando a pœnitentia dependeat, 577. quando pœnitentia ejus comes, 580.
Puſillanimitas quomodo concitetur, 407. 408. quo tendat, 409. quomodo tollatur, 495. 496. quando a ſpe dependeat, 545. quando a cupiditate, 546. quod deſperationem includat, 556.
Puritas animi, ſive *cordis*. Definitio, 599. num lege naturæ præcepta, 604. ad vitam perfectam requiſita, 614. quomodo acquiratur, 616. cur acquiſitu difficilis, 607. quando deficit, 601. & ſeqq. 608. & ſeqq. quinam ea gaudeat, 615.

R.

Ratio bonitatis & malitiæ actionum cur ad voluntatem & noluntatem perficiendam neceſſaria, 136
Reclinationes naturales communes in quo conſiſtant, 33. ab intellectu regendæ 41
Reclinatio naturalis ab iis, quæ aliorum conſervationi & perfectioni adverſantur, 82.
Rectitudo actionis cum puritate animi cohæ-

cohæret, 602. 603. ejus defectus ad quodnam malum referendum, 66.

Regimen affectuum. definitio, 528. an lege naturæ præceptum, 528. 530. quidnam inde dependeat, 529. ad puritatem animi requisitum, 606. quomodo acquiratur, 531. 596. cur acquisitu difficile, 597.

Res quænam ad bonum conservativum requirantur, 53. quænam ad malum destructivum referantur, 53. mali destructivi causa quæ sunt, quomodo aversemur, 58. quænam respectu mali destructivi maxime noceant, 60. quænam ad malum deformativum requirantur, 67.

Res inservientes perficiendis facultatibus animæ & facultati locomotivæ, 61. earum usus bonus, 61.

Res, quibus corpus nostrum conservatur, quatenus sint bonæ, 43.

S.

Satietas quid contineat, 587.

Scientia boni & mali ad voluntatis perfectionem requiritur, 1.

Sedare affectus quid sit, 431.

Segnities voluntatis ad bonum. Definitio, 10.

Sensum hilarantia cur bona habeantur, 46. quinam per se appetant, 162.

Sensui molesta quinam per se aversentur, 162.

Sitis cur tanquan stimulus data, 45. quomodo naturaliter utamur ad sui conservationem, 103.

Spes quomodo concitetur, 384. quo tendat, 385. quando abjiciatur, 481. quomodo imminuatur, 482. ejus dependentia a cupiditate, 542. ab amore, 544. quando ei metus societur, 550.

Status jucundus. Definitio, 105. quomodo a felicitate differat, 106.

Status tædiosus. Definitio, 105.

Status tolerabilis. Definitio, 105.

Studium inserviendi aliis cur delectet, 85 an sit virtus, 86. an bonum perfectivum, 87.

Studium placendi amato in agendo, 299.

T.

Terror quomodo concitetur, 400. 401. 393. quo tendat, 396. ejus effectus, 402. quod tristitiam & desperationem contineat, 558. quomodo præcaveatur, 492.

Timor quando evanescat, 489. 490.

Timoris Dei filialis influxus in bonitatem & perfectionem voluntatis & noluntatis, 141.

Digitized by Google

Timore Dei ſervili cur voluntas non perficiatur, 143.

Triſtitia quomodo comcitetur, 265. 273. ſi non obtineamus, quod cupimus, 266. & ſeqq. ſi quid nobis accidat, quod alteri moleſtiam creat, 271. quo tendat, 279. quomodo ſedetur, 445. quando in gaudium abeat, aut hilaritatem, 446. quando lacrymoſa, 283. ejus dependentia ab odio, 541. quando motivum mali fugiendi, 274. 275. quomodo opinione mali adventuri concitetur, 280. 282.

Triſtitiæ gradus ſi noſtri & aliorum cauſa eadem re contriſtemur, 272.

V.

Vacillatio animi quomodo tollatur, 493. & ſeqq.

Velle abſtinere ab actione mala & nolle eam committere quomodo differant, 123

Vetando num voluntas & noluntas emendetur, 221.

Virtutis amor quomodo ingignatur, 229. quomodo inſtilletur, 234. 235. quomodo alatur, 236.

Virtutis omnis cultura ad puritatem animi neceſſaria, 613.

Virtutis motiva quomodo acuantur, 237.

Virtutes intellectuales ſunt bonum perfectivum, 61.

Virtutes morales, ſunt bonum perfectivum, 61.

Vitium quomodo dediſcamus, 223. quomodo ab eo ad virtutem adducendi ſimus, 226. & ſeqq.

Vitiorum ignorantia quemnam habeat uſum, 205.

Vitii odium quomodo ingignatur, 229. 230. 231. quomodo alatur, 232.

Unio animorum quomodo fiat, 301. ejus impedimentum, 322.

Uſus rerum, quibus corpus conſervatur, 43.

Voluntas quomodo bona efficiatur, 12. num corrumpi poſſit, 12. quomodo in infantibus & pueris corrumpatur, 13. quomodo præcaveatur, 14. quomodo determinanda ſit, ut ſit bona, 121. 122. quamdiu metu pœnarum & ſpe præmii determinanda, 139. quomodo determinabilis facta per ea, quibus pecunia acquiritur, 169. per ea, quæ honorem afferunt & laudem pariunt, 175. cur determinabilis ſit per delectationes ſenſuales, lucrum, honorem & laudem, 180. quando refrenanda, 205. 206. quomodo refrenetur, 193. 194. quomodo ſpe præmii refrenetur, 199 200. cur refrenanda ſit ipſius vincendi cauſa, 206. quando ſit ſpon-

ſponte refrenetur, 195. 201. quomodo perficiatur, 134. & ſeqq. quomodo ad eam perficiendam ſimus adducendi, 137. num pœnarum metu perfici poſſit, vel ſpe præmiorum, 138. cur ante intellectus uſum perfici nequeat, 2. quænam ad eum perficiendum neceſſaria, 3.

Voluntas bona. Definitio, 119. quale principium in dijudicando bono ſupponat, 120. qualem ſcientiam, 133. ejus ſignum, 144. quod nondum ſit perfecta, 132. cur non ſufficiat ad actiones malas omittendas, bonas committendas, 131. num ad puritatem animi ſufficiat, 605.

Voluntas mala. Definitio, 129.

Voluntas perfecta qualem cognitionem ſupponat, 133. ejus ſignum, 145.

Voluntas recte agere adſuefacti quomodo conſtans & perpetua efficiatur, 225.

Voluntatis corruptio. Definitio, 10. diviſio in poſitivam & privativam, 10. exiſtentia, 12. unde dependeat, 15. unde corruptio in voluntatem derivetur, 16. quomodo præveatur, 23. quomodo ante intellectus uſum impediatur, 223. 224. quomodo contingat per inclinationes ad delectationes ſenſuales, lucrum, honorem atque laudem, 183. quomodo id impediatur, 184.

Voluntatis determinatio generalis ad actiones malas impoſſibilis, 128.

Voluntatis determinatio per ſenſum, 163.

Voluntatis determinabilitas per ea, quæ ſenſum hilarant, variat, 164.

Voluntatis determinatio per honorem & laudem num in ſe mala ſit, 177.

Voluntatis determinatio per lucrum num in ſe mala ſit, 172. quando fiat, 172.

Voluntatis determinatio per delectationes ſenſuales num in ſe mala ſit, 167. quando mala evadat, 167.

Voluntatis emendatio. Definitio, 153. quid ſupponat, 154. cur tempeſtive inchoanda, 439.

Voluntatis inertia & ſegnities ad bonum. Definitio, 10.

Voluntatis perficiendæ & bonæ efficiendæ impedimenta, 149. 151. quomodo tollantur, 150, 152.

Voluntatis proclivitas in malum. Definitio, 10.

Voluptas

Voluptas quomodo concitetur, 276. quomodo quantitas ejus æſtimanda, 104. quomodo intenſitas, 108. quonam æſtimatio fallax, 112. 113. quando ex honore & laude percepta delectationi ſenſuali æquipolloat, 776

Voluptatem creantia quinam per ſe appetat, 161.

Voluptas nocua quomodo ab innocua ſolo ſenſu diſcernatur 18. quomodo ejus notio infantibus & pueris ingignenda, 19. & ſeqq.

Voluptuoſus quinam dicatur, 166. quomodo homines fiant, 181.

Voluptuoſi noluntas quomodo refrenetur, 197. quomodo ſpe premii, 203.

Voluptuoſi voluntas quomodo refrenetur, 194. quomodo ſpe præmii 200.

Z.

Zelotypia. Definitio, 512. quid ſit, 513.

FINIS INDICIS

Tomi II. Ethicæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google